



a/-

Thorp, July, 1898.



L 127

—/6

Sir George Hill's copy

1st ed; 1557

1578
+ 1581

PROMTVARII ICONVM INSIGNIORVM A` SECVLO HOMINVM,

subiectis eorum vitis, per compendiũ ex probatissimis autoribus desumptis,


Editio secunda, illustrium virorum, qui à prima successerunt, imaginibus aucta atque locupletata.

PRIMA PARS.

IN VIRTVTE,  ET FORTVNA.

LVGDVNI,
Apud Gulielmum Rouillium.

1578.



AD CHRISTIANISS. FRANCIÆ REGEM HENRICVM II.

Gulielmi Rouillij Epistola.



EGES Dij mortales, immortalitatem consequi possunt duabus potißimum rationibus, literarum honore, & armorum gloria. Quæ duo æternitati paranda officia, vni olim Palladi mysticè attributa, post paucos, sed maximos Principes Alexandrum, Cæsarem, & Carolum Magnum simul sic præstitit, & ea exercuit felicißimæ memoriæ Rex Franciscus pater tuus (ô Rex Christianißime) vt consummandam armorum gloriam filio relinquens, literarum honorem ad summum extulerit. Tu verò vtrumque sic es amplexus, vt togatæ militiæ decus patri aliquatenus concedens, rerum bellicarum victorias, & triumphos persequaris, pari nixu iuxtà, atque successu. Quamobrem cùm huius vtriusque laudis memoranda exempla ad te, supra cæteros omnes Christianos Principes referri debeant: hoc ipsum volumen, quod

illa continet, tibi dicandum iure statuimus. In quo illustrissimi quique ab orbe condito ad tuum vsque Regnum homines, qui duplicem hanc, aut alterutram immortalitatis viam affectarunt: & imagine viuacissimè picta, & historia verissimè scripta, per succedentium temporum, & Imperiorum seriem spectantur, tanquam in triumphali pompa procedentes: capitibus tantùm per lunarem veluti fenestellam prominentibus: ex quibus, quasi leonem ab vnguibus reliquam corporis faciem, sed & mentem ipsam φυσιογνωμικῶς *licet estimare. Hoc igitur polycephalon opus curiosa conquisitione inuestigatum, & multis vigiliis elaboratum, tuæ inclytissimæ Maiestatis Imperio tueri dignabere: quod sanè iam non nostrum, sed tuum absoluto dedicationis voto esse incipit: cùm Rex ille sis, cui & labores nostros, & res nostras, & nosmetipsos debere profitemur.*

***





GVLIELMVS ROVILLIVS LECTORI.



VEMADMODVM in Megalensibus ſub verſatilium ſcenarũ vmbraculis, præter cætera ludorũ ornamenta, variæ diuerſarum perſonarum formæ quondam viſæ ſunt ſpectabiles: ſic in hoc orbe terrarum, ampliſſimo ſub cœlorum velis theatro, nihil dignius conſpici poteſt, quàm humana facies, in qua (etiam ex Dæmonum confeſſione) admirandum, & venerabile Dei ſpectrum ineſt: virtutúmque omniũ ſigna in ſpatio tam anguſto, ſed auguſto, clarè relucent. De cuius etiam eximia, & excelſa dignitate, ſic cecinit Ouidius:

Pronáque cùm ſpectent animalia cætera terram:
Os homini ſublime dedit, cœlúmque videre:
Iuſſit & erectos ad ſydera tollere vultus.

Quamobrem veteres illi, de propaganda immortali Nobilium perſonarum, & ſua ipſorum gloria ſolliciti: valdéque prudenter antiquitatis memoriam conſeruantes, & doctrinæ poſteritatis prouidentes: virorum, & fœminarum illuſtrium formas, non modò literis, ac hypographis, tanquam certis quibuſdam lineamentis depinxerunt: quinetiam eas adſeruari curarunt in poſteritatem, idolis, tabulis, ſignis, ſtatis, ſcalptis, exaratis, conflatis, & percuſſis. Ac præcipuè ſpecioſiſſimam & nobiliſſimam hominis partem (quam Natura maximè conſpicuam, & ſemper apertam eſſe voluit) nimirum faciem, in metallicis numiſmatum orbiculis, parmulíſque æreis, argenteis, & aureis ſignarunt, & expreſſerunt. Idq; duabus potiſſimùm rationibus. Primùm quòd numiſmata ſint literis magis durabilia: cùm propter ſuam ex ſolido metallo naturam, tùm propter diligentem eorum in reconditis theſauris aſſeruationem. Deinde quòd

(iuxta Regis Candaulis apud Herodotum sentētiam) certiores sint homini quàm aures, oculi. Nam (vt ait Horatius)

Segniùs irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Porrò illæ Numismatum figuræ à materia fusilis vel percussi metalli, Metallæ, extenuatóque elemento Medallæ sunt appellatæ vt Dedalæ olim figuræ dicebantur. Nisi quis Medallas quasi Imperatorias à verbo ΜΕΔΩ quod est Impero, magis deduci velit: quoniam Imperatorum plæræque facies iis sint impressæ. Eæ autem ad æternum venerãdæ antiquitatis honorem vindicandum his temporibus curiosis per viros studiosos partim fuerunt exquisitæ, partim ex Antiquorum sepulchris erutæ, & è terræ latebris effossæ, partim fortuitò repertæ, priscorum vtriusque sexus hominum proprias formas, & naturales, sic ad viuum referentes: vt ex illis, qui & quales fuerint signati ex vultu tanquam ex mentis speculo ratione Physiognomica cõiectari liceat. Sunt etenim (vt à sapiētibus dictũ) vultus animorum indices: in quarum rerum considerationē nos Antiquariis, & studiosis omnibus gratificari cupientes nulli neque labori, neque sumptui pepercimus ad eiusmodi eiconas cephalicas vndique conquirendas, ex diuersis gentium oris, & à magnatibus viris auro, ære, argento, cõflatas percusśásve aut gēmis exculptas, prout maximo cuiq; visum fuit sui, & suæ charissimæ antiquitatis memoriã cõseruare. Ad quos etiam magnates, & Principes viros peruenerũt, & alienæ, & exteræ priscorum, qui excelluerũt, hominũ imagines: quas ab repertoribus ferè pauperibus, & terrã versantibus obtinuerunt, vel prece, vel precio, vel vi, vel munere oblata, nempè rei vt rarissimæ, ita preciosissimæ. Metallinas illas seu Medallinas effigies lineamētis ad Archetypum deduci, ac deinde imprimi curauimus: suscripto ad singulas summario rerum memorabiliũ argumento ex optimis quibusque Historiographis, & Chronicis breuiter collecto: seruatóque tēporum, ætatum, Imperiorũ, ac Regnorum sibi succedentium, aut concurrentiũ ordine. Totúmq; opus ab rerum, & personarũ inuestigatione prompta, Promptuariũ dici placuit. In quo eorum qui à mũdi primordiis extiterunt, homines memorabiles spectandos oculos oculis, atq; oribus ora, & præclara eorum

eorum facta legenda corã exhibemus. Quod ſanè opus vt infiniti propè fuit laboris: ſic plurimi fructus id quoque fore ſperamus. Huius nanq; theatri ſpectatores nõ ſolùm oculos delectabunt, nec pictura paſcent inani: verumetiã animos ſuos digniſſima rerũ, & perſonarũ cognitione exſatiabũt. Et qui iampridẽ in viuis eſſe deſierũt: eos ab inferis in lucẽ reuocatos veluti per ſpeculũ coràm intuebuntur loquẽtes intelligent: faciẽtes contemplabũtur, retroacta tempora ab omni hominũ memoria ad ſuum ſeculũ reuocabũt. Denique exẽpla vitæ cuiuſlibet vndecunque ſumẽt: & hęc lecta narrãdo illud obtinebũt: vt antequã fuerint ipſi, cum iis qui amplius non ſunt, olim fuiſſe videãtur.

Cæterùm ne quis lege Cornelia nos falſi arguat, quòd cõmẽtitias, ſeu factitias quaſdã figuras velut adulterina numiſmata in publicũ ſparſerimus: cõcedatur cõfeſſioni venia εἰς τὸ γὰρ ἀδύνατον οὐδεὶς ἀναρτῶται. Priſcorũ enim hominũ qui ante diluuiũ, & ante inuentas pingendi, & ſcalpendi artes vixiſſe memorantur, vt Adæ, Abrahæ, & Patriarcharũ εἰκόνας nõ negamus à nobis fuiſſe per imaginationẽ effictas: & cum nullũ haberemus Prototypũ, ex deſcripta eorũ Natura, moribus, ætate, regione, & rebus geſtis φανταστικῶς fuiſſe cõformatas. Quî minus enim nobis id liceat: quàm Phidię ſtatuario nobiliſſimo, qui ex pauculis Homeri verſibus formam τοῦ Διὸς ἀοράτου diuinauit: & Olympium fabricauit? Quàm Zeuſidi qui ex ſelectis quinq; Agrigentinarũ virginum formis pulcherrimã Deã cogitatione apprehẽdit, ac repræſentauit? Quî minus quàm Aſinio Pollioni, qui Autorũ ſuę bibliothecæ imagines ex eorũ ſcriptis confingere primus Romanorũ eſt auſus? Deniq; quî minus quàm illi, qui Homeri ſuperioris arte inuenta: faciem ex ipſius Poëmate & ingenio coniectatus eſt? Quare hoc nobis minus vitio datum iri confidimus. Nam vt in hanc ſentẽtiam ſcripſit Plin. *Quæ non ſunt finguntur: pariúntque deſyderia non traditi vultus. Et maius nullum eſt felicitatis ſpecimen: quàm ſemper omnes ſcire cupere, qualis fuerit aliquis.* Hæc ille. Nos igitur talia imitati exempla, ſine exemplo rationem tantum hiſtoriæ ſecuti, & phantaſiam, adiuti etiam conſilio, ac iudicio, doctorum qui nobis ſunt amici primorum hominum, & nonnullorum mediis etiam temporibus τῶν ἀγράφων imagines excogitauimus. Ad hoc ſcilicet vt Hiſtoria noſtra quemadmodum ſcripta, ſic etiam picta ſuum habeat principium.

Exinde etiã non rarò nobis cõtigit habuiſſe à primoribus viris duo, tria, quatuórve, aut plura vnius & eiuſdem Imperatoris, Regis, Principis, aut alterius hominis illuſtris numiſmata: antiqua quidem illa, &(vt apparebat) minimè ſuppoſita: ſed tamen omnino inter ſe diſſimilia, aut propter ætatis incremẽtum, aut perſonarum formæ mutationem, aut regionum vbi ſignabantur differentiam, aut aliud quoduis accidens. Et nos certè ex iis tam multis, & tam variis eiconibus, optimas & veriſſimas quaſque pro prudentum hominum iudicio ſelegimus. Quare ſi quis fortè extiterit, qui quas habet Metallicas imagines: & ab illis, haſce noſtras diſſimiles depræhẽdat: ne ſtatim nos falſi arguat. At is ſciat nequẽ ſuas, neque noſtras in orbe ſolas haberi: & nos (ſi rixari liberet) eodem argumento, ſed maiori melioríque ratione ſuas illius falſas, & ſuppoſitas poſſe contendere. Quicunque enim viſurus ſit venturis ſeculis Argentea, aut Ærea Cephalica Caroli quinti Imperatoris Sereniſsimi, aut Chriſtianiſsimi Francorum Regis Henrici ſecundi, aut Solymani magni Turcarum Deſpotæ (qui omnes hodie viuunt & regnant) ex ea tanta diuerſitate, atque diſsimilitudine: quòd aliorum quidem capita ſint ſenilia, aliorum iuuenilia, barbata, imberbia, armata, inermia, nuda, operta, & pileata, inornata, & coronata lauro, auro vel diademate: ſi ea ideo protinus falſa iudicabit: næ is omni prorſus iudicio carere videbitur: perſpecta ætatum, temporum, locorum, & habituum mutatione: præſertim cùm ipſa in ambitu ἐπιγραφὴ vbique ſimilis, vbique eadem, veritatem ſatis arguat. Proinde nemo ex illis formarum varietatibus calumniandi occaſionem arripiat. Denique (vt finem faciamus) hîc habes (ò lector) theſaurum locupletiſsimum omnium exemplorum virtutis, gloriæ, honoris, & immortalitatis. Hîc enim tibi cernere licet coràm capita quaſi viua, & ora pene ſpirantia maximorum & primorum, in nationibus & populis virorum, qui leges tulerunt, imperarunt, regna rexerunt, mores conſtituerunt, linguas excoluerunt, doctrinas & artes exercuerunt, & qui denique ingenio, virtute, præſtantia, ac rebus geſtis terra, & mari famam immortalem ſibi pararunt. Tu ad eum te compara modum, vt per egregias tuarum virtutum laudes, tui quoq; imago in poſterioribus huius libri reformationibus locũ habere inſignẽ digna cenſeatur.

AVTHORES HOC IN Promptuario citati.

SAcra Biblia
Iosephus
Berosus
Homerus
Thucydides
Metasthenes
Vergilius
Xenophon
Ouidius
Diogenes Laertius
Herodotus
T. Liuius
Dionysius Halicar.
Procopius
Corn. Tacitus
Strabo
Iuuenalis
Dares Phry.
Dictis Cret.
Ægesippus
Valer. Maximus
Iornandes
Macrobius
Appianus
Plutarchus
Iustinus
Herodianus
Gellius
Cicero
Horatius
Lucanus
Eutropius
Tertullianus
Cassiodorus
Suetonius
Orosius
Lucius Florus
Plinius secundus
D. Augustinus
D. Hieronymus
Euseb. Cæsar.
Historia Ecclesiastic.
Historia Trip.
Historia Schol.
Prosper Aquita.
Fulgentius
Isidorus
Lactantius
Catalog. Sanct.
Ælius Spart.
Ælius Lampr.
Herodianus
Pomponius Lætus
Dion Cassius
Iulius Capit.
Volcatius Gall.
Flauius Vopiscus
Aurelius Victor
Bapt. Egnatius
Ammianus Marcell.
Claudianus
Cælius Rhodig.
Blondus
Solinus
Hermannus Cõtractus
Sabellicus
Platina
Io. Rauis. Textor
Boccatius
Raph. Volaterr.
Paulus Æmilius
Valer. Anselmus
Matthæus Palm.
Abbas Vsper.
Paralipomena rerũ memorabilium
Chron. Carionis
Nauclerus
Chro. Functij
Supplem. Chronic.
Budæus de Asse
Guaguinus
Chron. Phrygionis
Elucidarium magnum
Annales Aquitaniæ
Illustr. Galliæ
Chron. Chronicorum
Gesta Regum Franc.
Cosmogr. Munsteri
Paulus Iouius
Richerius de reb. Turcarum
Chron. Germani cuiusdam.
Marinus Barletius
Genealogia Imp.
Chron. 58. Regum Francorum.

FINIS.

AD LECTOREM.



ISTORIAM *ſcripturo ratio in primis temporum, hominum, & geſtorum eſt habenda. In quibus cum diuerſos autores variè diſſentientes animaduerteremus, vnum tandem ſequendum nobis propoſuimus Phrygionem, vt planiſſimum ita veriſsimũ Chronographũ. Eadem eſt in noſtrorũ quoque tẽporum ſcriptoribus varietas: vt in Mediolanenſi Hiſtoria deprehendere licet: quam ſanè ex autorũ ſcriptione, (arrogantes contemptores ne videremur) data opera exſcrpſimus. Verumtamen exquiſitæ veritatis, ac ſedulæ noſtræ diligentiæ exhibendæ gratia, certiorem aliquem temporum ordinem ſubſcripſimus ad hunc modum.*

Primus Dux Mediolani fuit Io. Galeacius, cuius Res geſtas ſcripſerunt S. Antoninus, Florentiæ Archiepiſcopus, Supplem. Chronic. & Pau. Iouius, qui tres de exitu vitæ conueniunt anno 1402. *at de Principatus initio neutiquam. Iouius nanque nihil meminit. S. Antoninus ab anno* 1385. *principium ſtatuit. Supplem. Chron. ab anno* 1382. *Sed nec iidem in Principatus duratione conſentiunt. Iouius illi annos aſsignat* 24. *Supplemen.* 37. *Archiepiſcopus non numerat. Ex quorum rationibus, tandem colligimus, (Iouium & grauiſsimum autorem, & in hoc veriſsimum ſecuti) principium Ducatus Mediolanenſis fuiſſe ab anno D.* 1378. *Io. Maria Vicecomes Dux Mediolanenſis ſecundus, illico patri ſucceſſor, Ducatum obtinuit annos* 10. *proinde mortuus eſt anno* 1412. *Philippus Maria Dux tertius, vacante per interregni tempus aula, populari tumultu, poſtea anno* 1413. *in priſtinum Maiorũ ſtatũ eſt erectus: in quo ſtetit annos* 33. *Itaque deceſsit anno* 1446. *Et hoc idem adſtruit S. Antoninus Archiep. qui temporibus vixit iiſdem. Sphortia Dux quartus populari factione vexatus eſt annos tres, priuſquam ad Ducatum perueniret: quem tandem vi armata eſt adeptus, anno* 1449. *(vt ſcribit Archiepiſcopus) & in eo reſedit annos* 16. *Quare neceſſe eſt vita deceſsiſſe anno* 1465. *Supplemen. autem annum addit. Galeacius Maria Dux quintus eſt deſignatus eodem anno* 1466. *in quo vixit annos decem, mortuus eſt anno* 1476. *Ioã. Maria Sphortia Dux ſextus, duodecimo poſt*

patris

patris mortem die Principatũ adiit, anno iam incipiente 1476. eúmque tenuit sub Ludouico Sphortia, cognomento Moro, socero suo, vsque ad annum 1494. fuit ergo tempus Ducatus, eius annorum 18. & aliquot mensium. Ludouicus Sphortia cognomento Morus, mox nepoti contra ius succedens, Ducatum inuasit eodem anno 1494. Rexítque annos 5. & sex menses, donec captiuus in Galliam ductus est anno 1500. Porrò non ignores (candide Lector) plærosque scriptores in chronologia neglexisse dies, & menses annis superaccedentes: quæ sanè omißio, temporum progressu multiplicata, ordinem chronicum turbauit. Illud quoque te admonere voluimus, nos ad nõnullarum finẽ historiarum, vnum tantùm, aut certè duos allegasse autores, tametsi ex pluribus exceptæ forent. Quamobrem si non omnia apud illum vnum, aut alterum autorem scripta comperies, ne protinus commentitia existimes. Idcirco enim reliquos præteriimus, ne citatorum congerie graues, & ostentatione superstitiosi videremur. Quòd si in iis quoque autoribus dißidentia nonnunquam loca inuenias: existima ex rei ipsius iudicio, nos quantùm fieri potuit discordes cõciliasse, & ex dubiis vero simillima quæque & maximè consentanea desumpsisse. Postremò hoc etiam obseruabis, eodem scriptore chronico, seu historico diuersis temporibus, ac regionibus sæpius impresso, ac identidem retractato, & emendato, & amplificato, chartas, & capita nonnulla immutari potuisse. Vnde si quis aliter citata, quàm in suo legat exemplari, is iustißimam nostram consideret rationem: qua examinata, aut paulò ante, aut paulò post comperiet quadrare Chronologiam.

***







DOCET nos sacra scriptura quemadmodum in principio creauerit Deus cœlum & terram: atque vt sexto die formarit hominem (Adam inquam ac Euam) ad imaginem & similitudinem suam: deinde vt Adamo collocato in terrestri paradiso, prohibuerit, cum interminatione mortis, de ligno scientiæ boni & mali edere. At verò à serpente decepta prima mulier, mandatum transgressa, de fructu vetito edit: ac virum suum protoplastum ad edendum illexit: quare statim sub iugum peccati & mortis traditi sunt: atque è paradiso illo semper virente, & sponte omnia ferente eiecti, in terram execratam, in qua laboribus & sudoribus infinitis vitam transigerent. Adam itaque terram exercuit: Euam vxorem cognouit, quæ peperit illi Cain, deinde Abel, qui à fratre Cain per inuidiam occisus est. Gen. 1. 2. 3. & 4. cap.

ADAM annos natus 130. genuit Seth, à quo patres pietate insignes originem traxere. Seth natus annos 105. genuit Enos: hic cœpit inuocare nomen Domini. Enos, annorum 90. genuit Caïnam. Caïnam annorum 70. genuit Malaleel. Malaleel annorum 65. genuit Iared. Iared annorum 162. genuit Henoch. Henoch annorum 65. genuit Mathusalam. Porrò Henoch annos natus 365. sublatus est à Deo, nec apparuit. Mathusala annorum 187. genuit Lamech. Lamech annorum 182. genuit Noe. Noe annorum 500. genuit Sem, Cham & Iaphet, 100. annis ante diluuium. Erat itaque 600. annorum Noe tempore diluuij. Obiit Adam anno ætatis suæ 930. Vide Gene. cap. 5. & 7.





NOE filius Lamech, vir sanè fuit pius ac probus, ac proinde pietate ac iustitia Deo acceptiss. huius tempore gigantes quidam omnes nationes infestabant: quare statuit Deus delere omnia animãtia, seruato Noe cum familia eius. Iubet itaq; ipsi Noe vt arcam fabricet (hanc centum annis perfecit) & vt in eam ingrediatur, assumátque secum ex omni animantium genere masculum & femellam: quibus in arcam ingressis, longam cubitorum 300. altam 30. pluit super terram 40. diebus, & 40. noctibus, adeò vt quindecim cubitis eminentissimos montes aqua superaret. Tunc omne animal tam rationis cõpos, quàm expers, aquis obrutum est anno à condito mundo 1656. ante Christum natum 2306. At verò post 150. dies recordatus est Deus ipsius Noe, incepítque aqua decrescere: stetítque arca super montes Armeniæ. Tandem post aliquot etiam dies ex arca exiens Noe cum familia, ac Deo gratias agens, sacra peregit. Cæterùm ostendit illi Deus arcum in nubibus in signum fœderis perpetui, terram vniuersam in posterum aquarũ inundatione nunquam submersum iri. Vide Gene.cap.7.8.& 9.

SEM, filius Noe, mares quinque genuit: primus horum fuit Ælam, à quo Ælamitæ orti sunt. Hi fuere præcipui inter Persas. Secundus, Assur: ab hoc Assyrij prognati. Tertius, Arphaxad: à quo Arphaxadæi dicti, qui postea Chaldæi sunt vocati. Quartus, Lud: vnde Lydi originem traxere. Quintus, Aram: hic nomen suum Aramenis dedit, quos Græci Syros vocant. Vide Gene.10.& 11.cap. & Paralip.cap.1.Ioseph. lib.1. Antiqui. cap.14.





CHAM filius Noe, cùm patrem primum vitisatorem, suóque inuento inebriatum ludibrio habuisset, ab eodem tulit maledictionem. Hic genuit filios quatuor, primum nomine Chus, à quo Æthiopes, qui inde Chusæi dicebantur, originem traxere: secundum nomine Mesraim: ab hoc Mesræi dicti, aliàs etiã Ægyptij: nam Mesrim Hebraicè Ægyptum significat: tertium nomine Phut: à quo Libes, quos Phutos de nomine suo vocauit: quartum verò nomine Chanaan, vnde Chananæi, atque Chananæa eorum regio dicta, quæ postea Iudæa vocata est. Vide Gen. cap. 9. & 10. item Ioseph. lib. Antiq. 1. cap. 12.

IAPHET cum fratre suo Sem accepit benedictionem à patre, quòd ambo retecta patris verenda velassent. Porrò Iaphet genuit filios septem: primum nomine Gomer, à quo Gomeritæ, qui à Græcis postea Galatæ dicti sunt. Secundum Magog, à quo Magogæ, à Græcis Scythæ nuncupati. Tertium Madai, à quo Medi. Quartum Iauan, à quo Iones. Quintum Tubal, à quo Iberi, qui nunc Hispani. Sextum Mosoch, à quo Moschini, qui postea Capadoces dicti sunt. Septimum Thiras, qui eos apud quos primatum tenuit, Thirenses appellauit, qui postea à Græcis Thraces sunt vocitati. Tot, tantæque gentes, ac nationes à filiis Iaphet originem sumpsere. Cæterùm hi tres fratres, Iaphet, Sem, & Cham, nati sunt ipsi Noe 100. annis ante diluuium, vti iam supra diximus. Vide vt supra.







ARPHAXAD filius Sem, genitus est biennio post diluuium, videlicet anno ab orbe condito 1658. ante Christum natum 2304. Hic cum esset annorum 35. genuit Sale: vixitque Arphaxad postquam genuit Sale 303. vet. editio 403. annis: genuitque filios & filias, Ab hoc Arphaxad, vt supra dixi, originem habet Chaldæorum gens, à quibus Chaldæa regio dicta, quæ in Asiæ maioris partibus sita est, Arabiæ contermina, longè latéque in planiciem porrecta, aquis deficiens, in qua olim Babylon magna condita est. Vide Gene. ca. 10. & 11. & Supplem. Chron. lib. 2. Porrò Arphaxad quos instituit, Arphaxadæos nominauit, vt ait Iosep. lib. Antiq. 1. ca. 14. Cæterùm D. Augu. lib. de Ciuit. Dei 16. scribit Arphaxad genuisse Cainam, septuaginta interpretum opinionem secutus.

SALE filius Arphaxad, cùm esset annorum triginta, genuit Heber, ac postea vixit annos 403. quo temporis spacio filios complures ac filias genuit. Vide Genesin capite vndecimo. Ab hoc Sale, autore Iosephó, Sarmatæ orti sunt, à quibus regiones Sarmaticæ nomen obtinuerunt, quæ sunt duæ, altera in Europa, altera verò, quam Tartariam nuncupamus, in Asia maiore sita est. Porrò ea ipsa est Asiatica Sarmatia quæ ab hoc Sale denominationem accepit Sarmatiæ. Fertur hæc regio nunc esse deserta ac incognita, in qua tamen olim conditæ fuerunt tres celeberrimæ vrbes, nempe Hermonasa, Oenãtia, & Tyramba. Cæterum sunt qui scribant Caucasos montes in hac esse prouincia, cuius portæ à nonnullis (qui tamen falso, ac magno errore ducuntur) Caspiæ sunt dictæ. Vide Ptolemæum lib. 3. & 5.





HEBER, filius Sale, cùm esset annorum 34. genuit Phaleg, anno mundi 1758. ante Christum natum 2204. vixitque postea 430. annos, generans filios & filias. mortuus est autem anno ætatis 464. ab hoc Iudæi orti, qui inde Hebræi dicuntur. præterea in diuisione linguarũ, mansit lingua Hebraica penes solam suam generationẽ. Tunc temporis hæc lingua Hebraica, vocabatur humana, quod omnes homines Hebræa lingua loquerentur. Habuit autẽ Heber alterum filium nomine Iectan, cuius meminit Moyses: hic multos genuit filios, quorum habitatio erat à Messa pergentibus vsque Sephar, montem orientalem: erant itaque ij ex progenie pij Noë, secundum populos & nationes suas. Hæc prouincia Messa, sita est in Iudæa, vt ait Hieronymus, Vide Gene. 10. & 11. cap. Iosephum lib. 1. Anti. cap.14.

PHALEG, filius Heber, cùm esset annorum 30. genuit Reu, anno mundi 1788. ante Christum 2174. vixitque postea 239. annos, generans filios & filias, & mortuus est. Phaleg autem diuisionem Hebræi vocant: dictus igitur Phaleg, quoniam secundum diuisionẽ habitationum natus est, quãdo in linguas terra diuisa est. Huius temporibus initium ac originem cœpit regnum Scytharum, sub rege nomine Tanaïs. Hoc regnum in plaga Septentrionali Asiæ, ad Imaum montem situm est. Videto Gen. cap. 11. item August. de ciuit. Dei, lib. 16. cap. 11.





NEMROD Saturnus, filius Chus, filij Cham, filij Noë, cœpit eſſe potens in terra. Fuit autem principiũ regni eius Babylon, Arach, Achad & Chalanne, in terra Sennaar, anno mũdi 1788. ante Chriſtum 2174. nempe ipſo eodem anno ſupradicto quo genitus eſt Reu. Hoc regnante facta eſt linguarum cõfuſio in ædificatione turris Babel. Ioſephus lib. Anti. 1. cap. 9. citat hæc verba Sibyllæ: Cum omnes homines vnius vocis exiſterent, quidam turrim ædificauerũt excelſam, tanquam aſcenſuri per eam in cœlum: Dij verò immittẽtes ventos, euerterunt turrĩm, & vocẽ propriã vnicuique partiti ſunt: propterea Babyloniam vocari contigit ciuitatem, hoc eſt confuſionem. Vide Gene. cap. 10. & 11. & Beroſum lib. 4. & 5.

BELVS Iuppiter, quum pater ſuus Nemrod imperitaſſet 56. annos, regnauit ipſe filius, anno mundi 1844. ante Chriſtum natũ 2118. Hic deſignata fundamenta Babyloniæ, oppidi magis quàm vrbis ſimilitudine, erexit. pace fruebatur vſque circa finem imperij ſui. Beroſum cõſule li. 5. vt ſupra. Imperauit Belus hic annos 62.

COMERVS Gallus more Scythico, vnde venerat, docuit ſuos Italos vrbem curribus componere. Vide Bero. lib. 5. Iuſti. lib. j. Diod. Si. lib. 3. & Anni. Viterben.





REV, ſiue Rhagau, filius Phaleg, anno ætatis 32. genuit Sarug: hic erat annus mundi 1820. ante Chriſtum natum 2142. vixítque poſtea 207. annos, generans filios & filias: multa templa ædificauit. Huius tempore principes aliquot à ſubditis adorati ſunt: quinetiam quatuor regna initiũ ſumpſere: videlicet Scytharum, quibus rex fuit Tanaïs, à quo dictus eſt Tanaïs fluuius: Amazonum, quæ ex Scythis ortæ, primùm ad Tanaïm habitarunt, deinde ad Thermodoonta, qui inde Amazonius fluuius dictus eſt: item regnum Aegypti, cui primùs rex fuit Sores, ſiue (vt nonnulli aiunt) Vexores. Quartũ fuit regnum Boëmorum, qui Ducẽ habebant nomine Boëmum. Vide Gene. 11. cap. Iuſti. lib. 1. Euſe. & Chro. Boëmorum.

SARVG, filius Reu, annos natus 30. genuit Nachor, anno mundi 1850. ante Chriſtum natum 2113. vixítque 200. annos, generans filios & filias. Anno 25. ætatis huius, initium ac originem cœpit regnum Aſſyriorum, omnium maximum, durauítq; (vt Auguſtinus ait lib. de ciuit. Dei 18. cap. 21.) annos 1305. Sarug annorum 230. obiit diem. Gene. 11.







NINVS, Beli filius, tertius Babyloniorum Rex fuit, anno mundi 1906. ante Chriſtum natum 2056. Regnauit hic 52. annos, omnibus viribus ſuis ſumptis, omnibus bellum inferens, nulli parcẽs, propter ſummam regnandi cupiditatem. Primus Babylonicum regnum propagauit, ſtatuam in honorẽ patris Beli erexit, ad quam qui confugerent, omni crimine abſoluerentur. Huius exemplo adducti multi, ſtatuas in memoriam patrum erexere. Inde idololatria initium cœpit: inde nomina hæc, Bel, Baal, Bel-phegor, & Bel-zebub. Videto Hierony.to.6. ſuper Hoſeam cap.2. & Bero.lib.5.

ZOROASTES, vt multi autumãt, erat is ipſe filius Noë nomine Cham. Fuit hic primus Bactrianorũ Rex, primus item artis magicæ inuentor, atque ſeptem artium liberalium, & curſus cœli ac ſtellarũ. Sunt qui memoriæ prodiderint eum ſimul ac natus eſt riſiſſe: quod nequaquam fertur bonum omen: cùm naſcẽtes vulgò vagiant. Fuit itaque à Nino victus: fuit quoque ipſe Ninus ſagitta ictus, quo vulnere periit, hæredem filium relinquens, nomine Niniam. Ninus ciuitatem Niniuen ædificauit, trium dierum circuitum habentem, quam Cyrus Aſſyriorum Rex euertit. Auguſt.lib.de ciuita.Dei 21.cap.14.Euſe.Plin. lib.30.cap.7.







TVYSCON,qui à Moyſe vocatur Aſcenas,filius Gomeri,filij Iaphet primogeniti fuit. Sarmatis,qui iuxta Poloniã habitant,& nunc inter Germanos annumerãtur,originẽ præbuit, quos literas docuit,ac legibus formauit: regni Germanici initium dedit anno mundi 1909.ante Chriſtum natum 2053. Hic cum 150.annos regnaſſet,mortuus,atque inter deos relatus eſt. A Gomero originẽ habent Cimbri,qui ex Italia cedentes, Daciam, & illa verſus Septentrionem loca incoluerunt, quæ nos vulgò dicimus Danemarc. Videto Beroſum lib.5.

SAMOTES,cognomentò Dis,hoc etiam tempore,& eodem anno,quo ſuprà,Celtas legibus formauit. Fuit hic primus Gallorum rex, iuxta Beroſum lib.5.cui eſſentitur Cæſar, ſexto Commentariorum libro, in hæc verba: *Galli ſe omnes à Dite patre prognatos prædicant.* Non erat illa tempeſtate quiſquã hoc Samote doctior,aut ſapiẽtior,ac propterea Samotes dictus eſt. Ab hoc Samoteæ Galliæ dictæ, nempe à quo in regnum redactæ eſſent:teſtatur id Dioge.Laer.in vita Philoſophorum. Vide Beroſum vt ſupra.







NACHOR, filius Sarug, cum eſſet annorum 29 genuit Thare, anno mundi 1879. ante Chriſtum natum 2083. vixit poſtea 119. annos, generans filios ac filias. in ſumma vixit annos 148. & mortuus eſt. Gene. 11. Circa hæc tempora Sicyoniorum regnũ incepit, quibus primus rex fuit Aegialeus, à quo Aegialea dicta, quæ nunc Peloponneſus. Conſule Plin. lib. 4. cap. 5.

THARE, filius Nachor, ſeptuaginta annos natus genuit Abram (qui poſteà vocatus eſt Abraham) anno à mundo condito 1949. ante Chriſtum natum 2013. genuit præterea alterum nomine Nachor, & Aran: vixítque in ſumma 205. annos. Porrò Abraham genuit Iſmaël & Iſaac, vt videbitur inferius. Nachor, frater Abraham, ex Melcha genuit Hus, patrẽ Iob, & Camuel, patrem Syrorum, ac Bathuel, patrẽ Rebeccæ: atque alios præterea, horum fratres, numero quinque. Thare autem, tum propter Chaldæorum idololatriã, qui tunc ignem præcipuè colebant, tum propter obitum filij ſui Aran, in Meſopotamiã perrexit, ac in vrbe nomine Charan, obiit. Vide Gene. 11. & 12. cap. & Iſidor.







IANVS, anno Nini ſupradicti decimo, ex Africa ad Celtiberos venit, vbi duas colonias diuiſit, à ſe dictas Noëlas, & Noëglas. Anno autem 19. eiuſdem Nini, in Italiam veniens, cum comperiſſet Cameſenuum (qui eſt Cham) præter opinionem corrumpentem iuuentutem, tribus illum annis æquo animo fert: deinde, aliquot illi coloniis aſſignatis, eum Italia excedere, omnes colonos Comeros corruptos montana trans Ianiculum amnem colere iubet: illíſque filiam ſuam Cranã Helernam, id eſt ſuffragio ab his electam, & axaltatam reginam, cum ſceptro albo dat, Hic Ianigenas ſuos cognominatos Razenuos, docuit Phyſicam, & Aſtronomiam: diuinationes & ritus ſcripſit, anno mundi 1948. ante Chriſtum natum 2014. quamobrem ſui ipſum eiſdem nominibus & veneratione diuina ſunt proſecuti, quibus in Armenia Saga, vſi erant. Beroſus lib. 5.

VESTA vxor fuit Iani, quæ ſempiternum ignem cuſtodiẽdum virginibus puellis edoctis ſacra, tradidit anno mundi 1963. ante Chriſtum natum 1999. Hinc Veſtalium ſuperſtitio ſucceſſu temporis manauit: hæ à ſexto ad decimũ annum huic collegio tradebantur, cùm 30. annos manſiſſent, fas erat nubere: ſi qua ſtupri comperta foret, viua ſub terrã defodiebatur: viciſſim ignem ſacrum cuſtodiebãt: quem ſiqua extingui ſineret, flagro cedebatur. Titus Liuius lib. 1. Auguſt. de ciui. Dei. libr. 4. cap. 10.





DIONYSIVS, Hammonis filius, armis ſumptis Rheam & Cameſenuum regno paterno pellens, & ſecũ Oſirim horum filium retinens, in filiúmque ſuum adoptans, eum de nomine patris ſui Hammonem Iouem cognominauit, vti à magiſtro Olympo Olympicum, eíque totius Aegypti regnum tradidit, anno ab orbe condito 1948. ante Chriſtum natum 2014. poſt nouem annos Barzanes Sabatij filius in Armenia à Nino ſuperatur. Videto Beroſum lib. 5.

PALLADON virgo, à Græcis dicta Minerua, anno 43. regni Nini (de quo ſupra mẽtionem feci) apud Tritonidem lacum infantula expoſita eſt: atq; ab eodẽ Dionyſio, Ioue etiam Libyco cognominato, adoptata in filiam: hęc omnem militiam prima Libycos docuit. Hæc item (ſecundum alios qui eandem Palladem vocant) lanificium anteà incognitum inuenit, & docuit, & textrinũ officium: hinc lanifices, fullones, tinctores, textricéſque puellæ eam pro Dea coluere. dicitur præterea vſum olei inueniſſe ac docuiſſe: & numeros deniq; ipſos, quadrigas, atque arma. Bero. lib. 5. Supple. Chro.







OSIRIS, Camesenui & Rheæ filius, imperauit Aegyptiis annis 35. Hic Rex magnus, & pro Deo habitus est: hic, anno mundi 2008. ante Christum natum 1954. qui erat annus nonus regni Zameis Niniæ, Regis Babylonis, inuẽtis à se & sorore adolescentula frumẽto, & frugibus, cœpit docere illa in Palæstina. inde reuersus in Aegyptum, & inuẽto aratro, & his quæ ad agriculturam pertinebant, sensim vniuersum peragrauit orbem, docens quæcunque inuenerat: & ita vniuerso imperauit orbi, exceptis gentibus quæ iam in Babyloniorum venerãt potestatem. Vide Bero. lib. 5.

ISIS maxima, dicta etiã Iuno Aegyptia, soror & vxor Osiridis, magni apud Aegyptios nominis extitit: testatur eius epitaphium in columna, in hæc verba olim sculptum:

Ego Isis sum Aegypti regina à Mercurio erudita.
Quæ ego legibus statui, nullus soluet.
Ego sum vxor Osiridis.
Ego sum prima frugum inuentrix.
Ego sum Ori regis mater.
Ego sum in astro Canis refulgens.
Mihi Bubastya vrbs condita est.
Gaude, gaude Aegypte, quæ me nutristi.

Plura qui volet, legat primum & secundum librum Diodori Siculi, de fabulo. antiq. gestis.







SEMIRAMIS post obitum Nini coniugis sui, imperauit Assyriæ anno mundi 1958. ante Christum natum 2004. Hæc etiam bonam Asiæ partem tenuit, tantáque regnandi cupiditate tenebatur, vt sexum virilem mentita, simularit se defuncti Nini filium. Hæc Babylonem, ex oppido, vrbem maximam fecit, vt magis dici possit eam ædificasse quàm ampliasse. Hæc Aethiopiam ac Aegyptum regno suo adiecit. Sed & Indiæ bellum intulit, quò præter illam & Alexandrum, nemo penetrauit. Fertur duxisse in Indiam aduersus Staurobatē Indorum Regem, terdecies centena millia peditum, equitum quingenta millia, currus ad millia centum, naues bis mille: hominésque in elephantis, quatuor cubitorum gladios gestantes. Hæc cum pulcherrimis militibus coibat, quos postea occidebat. Ad postremum, concubitum filij cum petiisset, ab eodem meritò interfecta est, 42. annos post Ninum, regno potita. Vide Berosum lib.5. Diod. lib.3. Iusti. lib.1. Herodo.1.

ZAMEIS Ninias Babyloniorũ seu Assyriorum rex quintus, post matrē Semiramidem, quam occiderat, imperauit annos 38. quorum primus erat annus mundi 2000. ante Christum natum 1962. Hic in sacris scripturis vocatur Amraphel. Belli studia deposuit: in fœminarum turba consenuit: ornauit tamen templa Deorum. Vide. Gene. 14. cap. & Berosum lib.5. Iust. lib.1. Diodo. Sicu. lib.3.





ABRAHAM filius Thare, Deo fuit chariſſimus, cuius iuſſu parẽtem, patriam, omnéſque reliquit cognatos: & aſſumpto Lot abiit in Chanaan peregrinatum, anno mundi 2024. ante Chriſtum natum 1938. promiſit illi Deus ſe in ſemine illius benedicturũ omnes gentes: de ſemine ſiquidẽ huius naſciturus erat Chriſtus. huic promiſſioni adiecta eſt circuncíſio: itaque ſe & ſuos circuncidit, annos natus 99. hæc circuncíſio indicabat vitam æternã habituros, piè in Deum per Chriſtum credentes. Anno ætatis 86. ex ancilla Agar genuit Iſmaël, quam illi permiſit vxor Sara, cum hæc minimè pareret. At verò nihilominus annos ipſe natus centum, & Sara nonaginta, genuerunt, fauore diuino, ipſum Iſaac. Abraham obiit diem ſuum annos natus 175. ſepelierunt eum filij ſui in Hebron cum Sara, quæ illic ſepulta erat, iam ante annos 38. Vide Gene. 11. cap. vſq; ad 25. item Ioſe. lib. Anti. 1. à cap. 16. vſque ad 26. Poſt mortem vxoris Saræ, Abraham aliam duxit vxorem, nomine Ceturam, ex qua filios ſuſtulit ſex.

SARA, filia Aran, vxor Abraham, proba atque inſignis matrona extitit, pulchra quidem ac viro chariſſima, patientiſſima & prudentiſſima mulier. Hæc vti dictum eſt, annos nata 90. non ſine miraculo, Iſaac pe perit, cùm antea ſterilis eſſet. annos nata 127. moritur. Vide Ge ne. 23. cap.





AGAR cùm grauida eſſet, ſpreuit dominam ſuam Saram: quamobrẽ eam Sara aſperrimè coarguit & afflixit, cùm habuiſſet ius in illã à viro ſuo: quare Agar fugam arripuit: ab Angelo autem commonefacta, ad dominam rediit, & peperit Iſmaël.

ISMAEL, filius Abraham ex Agar, natus eſt anno mundi 2036. ante Chriſtum natum 1926. Hic in deſertis locis habitauit, quãdo iuuenis vnà cum matre ab Abraham dimiſſus eſt: factúſque eſt ſagittarius: dedit illi mater vxorẽ de terra Aegypti, ex qua liberos duodecim ſuſtulit, vnumquẽque principem tribus ſuæ. Obiit Iſmaël, anno ætatis 137. Vide Geneſ. 16. & 25. cap. item Ioſeph. lib. antiq. 1. cap. 18. & 21.

Anno duodecimo à natiuitate Iſmaël, Sodoma, Gomorrha, Adama, & Seboim, ciuitates, propter peccata incolẽtium, funditus euerſæ ſunt cum incolis, igne & ſulphure diuinitus immiſſo. Solus Lot cum duabus filiabus euaſit, diuina clementia vt diſcederet præmonitus: cuius vxor in ſtatuam ſalis verſa eſt, anno mundi 2048. ante Chriſtum natum 1914. poſthæc anno vno atque altero, natus eſt Iſaac. Vide Gene. cap. 19. Ioſephum, lib. 1. cap. 19.

Circa hæc tempora Arius, ſextus Aſſyriorum rex, collecto exercitu poſt patris Niniæ obitum, Bactrianos ac omnes Caſpios ſubiecit. Bero. lib. 5.







ISAAC, filius Abrahæ & Saræ, natus eſt 14. annos poſt Iſmaëlem: oblatus anno ætatis 13. vt alij volunt 25. qui erat annus mundi 2073. ante Chriſtum natum 1889. anno ætatis 40. vxorem duxit Rebeccam filiam Bathuelis Syri, de Meſopotamia, ſororem Laban, vt Abraham pater eius ſtatuerat. anno 60. nati ſunt illi ex Rebecca gemelli, prior Eſau rufus, & totus hiſpidus: alter, Iacob, protinus egreſſus eſt, plantam fratris manu tenens. anno ætatis 180. mortuus eſt, & appoſitus populo ſuo. Vide Gene. 25. & 35. cap. item Ioſep. lib. Anti. 1. cap. 26. & 28.

REBECCA nupſit Iſaac anno mundi 2090. ante Chriſtum natum 1872. hæc effecit vt Iacob benedictionem à patre præriperet, quæ Eſau promittebatur. Nam cùm ſeni Iſaac oculi caligarēt, obtruſit ei Rebecca Iacob indutum veſtibus Eſau, ac pelliculis hædorum circunfultū manus & collum, interea dum venatum iſſet Eſau, vt pulmētum patri pararet: mox autem rediens Eſau, vt audiuit ſe præuentum, interminatus eſt mortem fratri Iacob. Id dum reſcit Rebecca, mittit Iacob ad Laban, donec furor & indignatio Eſau temperetur. Tandem mittens Iacob munera fratri, placatus eſt. Vide Gene. 27. 32. 33. cap. Ioſe. lib. Antiq. 1. à cap. 26. ad calcem vſque.







IACOB filius Isaac, fugiens fratrem Esau, ipse in Haran, ab auunculo Laban benignè ac hilariter exceptus est. cúmque mensem vnum apud eum cõmoratus esset, conuenit inter illos vt pro Rachel in vxorem habenda, seruiret Iacob ipsi Laban, patri Rachelis, septem annos: quibus exactis, Lia pro Rachele supposita est: dolúsque consuetudine excusatus: nempe non licere vt minor natu prænubat. Seruiit itaq; Iacob pro Rachele alios iterum septem annos. Sícque ambas sorores in vxores habuit: ex his ambabus, atque ex duabus ancillis, filios duodecim sustulit, ac filiam vnam. Natus est ei Ioseph ex Rachel, anno mundi 2200. ante Christum natum 1762. obiit diem annos natus 147. in Aegypto, vbi erat Ioseph, qui patrem accersiuerat durante sterilitate septẽ annorum. inde asportatus in Hebron, cum patribus sepultus est. Gen. 29. ca. & inde vsque ad calcem. Iosephus lib. 1. cap. 27.

LIA fuit vxor Iacob, cuius filij fuere Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Issachar, Zabulon, & Dina fæmella. Zelpha ancilla Liæ, peperit ipsi Iacob Gad, & Aser. Gene. 29. & 30. ca.

RACHEL quoque vxor Iacob fuit: huius filij fuere Ioseph & Beniamin, in cuius partu periit. Genes. 29. 30. & 35. cap. Balam ancilla Rachel, peperit item ipsi Iacob, Dan, & Nephthalim.







IOSEPH filius Iacob ex Rachel, odiosus erat fratribus, quòd patri esset charissimus: quare ipsi eum in cisternam coniecerunt. At verò consilio fratris sui Iudæ, Ismaëlitis venundatur: ipsi quoque eunucho Pharaonis, Phutiphari, magistro militum, venundant. Post aliquantum temporis falsò accusatus stupri à domina sua, in carcerē detruditur: cùm hæc illum, non ille hanc cōcupisset, ac pressisset. In carcere dum agit, pincernę, pistorísque Pharaonis somnia interpretatur. Post hęc è carcere educitur, vt ipsius etiã Pharaonis somnia exponat: qui constituit eum super vniuersam terram Aegypti: vertítque nomen eius, & vocauit eum Saluatorem mundi: anno ætatis suæ 30. anno à mundo condito 2230. ante Christum natum 1732. obiit tandem annos natus 110. Vide Genes. 37. cap. & inde ad calcem vsque. item Iose. lib. antiq. 2. à cap. 2. ad 9.

ASENETH filia Phutipharis sacerdotis Heliopoleos, fuit vxor ipsius Ioseph, quæ peperit illi Manassen & Ephraim. Hos adoptauit Iacob, benedixítque eis antequam moreretur. Vide Gene. 41. & 48. capita.







PROMETHEVS, Iapeti atque Asiæ filius, propterea fertur de luto formasse homines, quia optimus sapiẽtiæ doctor fuisse perhibetur, vt sentit Augustinus Huic inuentionẽ ferrei anuli tribuebat antiquitas, vinculúmque id, non gestamen intelligi volebat. Lactãtius re vera primum omniũ simulachrum hominis formasse de pingui & molli luto Prometheum scribit, ab eóque natam primò artem, statuas, & simulachra fingendi. Hic ignem Ioui dicitur furatus, quòd ex ferro, & silice ignem extundere docuerit, seruaréq; in ferula. Videto Augustinũ de ciuita. Dei lib.18.cap.8.Lactan.lib.2.cap. 11.Pli.lib.13.cap.1.

ATLAS, Promethei frater, primus Sphæram Astrologiámq; inuenisse dicitur. inde locus fabulæ datus, quòd cœlum humeris fulciret. Vergil.6. Aeneidos,

—Vbi cœlifer Atlas
Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum.

Vide Plin.lib.2.cap.6.& lib.7.cap.56.

ALTADAS XII. Assyriorum rex, horum temporibus extitit, vt ait Cassiodorus. Hic regnare cœpit anno mundi 2263. ante Christum natum 1699. Huius institutum fuit vt diuitiis & gloria, aliena stultitia & miseria à maioribus suis partis, quoad viueret, frueretur. Vide Bero. lib. 5. Huius ætate Galates apud Celtas, & Vandalus apud Thuyscones regnauit.







CECROPS Diphies Athenienſium rex primus,cœpit regnare anno mundi 2408. ante Chriſtum natum 1554. Hic Athenas condidit, vt ait Caſſiodorus. De hoc quoq; ſic inquit Iuſtinus lib. 2. *Ante Deucalionis tempora Athenienſes regem habuere Cecropem,quem,vt omnis antiquitas fabulata eſt, biformem prodidere, quia primus marem fœminæ,matrimonio iunxit.* Sub hoc rege Athenæ vrbs vel inſtaurata,vel cōdita fuit. Vide Auguſt.lib.de ciui. Dei 18.cap.8.Beroſum lib.5.Euſe.in præfa.Chro.

DEVCALION Promethei filius, ſed non eius de quo ſupra,vt ſupputatio indicat,apud eos regnare cœpit, qui circa Parnaſſum morabantur, anno à mundo condito 2428. ante Chriſtum natum 1534. Hic annos duos & octoginta natus, Theſſaliam vidit inundatam.ipſe cum vxore Pyrrha in Parnaſſum montem nauicula delatus,ſeruatus eſt. Vide Bero.lib.5.in Sparete rege.Xeno.de æqui.de hoc fabulantur etiā Poëtæ.Cæterùm Archilochus de tempor.& Ioan.Annius,natum Deucalionem ſcribunt an.2.Spheri,15.Aſſy.regis,70.an.à diluuio.

IASIVS Ianigena, tempore Deucalionis imperabat Italis,in cuius nuptiis affuit Iö Aegyptia.Vide Bero.lib.5.

CVRETES & Coribantus circa hæc tempora Gnoſſon condidere.Hi modulatam & inter ſe cōcinentem in armis ſaltationem reperere.

ASCATADES XVIII. Aſſyriorum, ſeu Babyloniorum rex, omnem Syriam ſuæ ditionis fecit:huius anno 13. vitis inuenta apud Græcos,narratur. Vide Bero.lib.5.





MOYSES primus Hebræorum dux fuit, anno mundi 2453. ante Chriſtum natum 1509. quo anno filij Iſraël ab Aegyptiaca liberati ſunt ſeruitute: ac poſt annum vnum atque alterum, Aaron ſummus creatur Cacerdos, & cõſecratur. Hic Moyſes inter Hebræos, Deo atque hominibus chariſſimus extitit: erat ſiquidem natura mitis ac candidus. Inter Prophetas ſummum ſe hiſtoriographum præſtitit. Hic decem legis præcepta, digito Dei in duabus lapideis tabulis ſcripta, in mõte Sina ſibi tradita, populũ Iſraëliticum docuit, & cæremonias ac ritus veteris legis. Obiit anno ætatis 120. Iſraël rexit 40. annis, quos per mare rubrum in deſertum duxit: huic ſucceſſit Ioſue. Vide Exo. Leui. Nume. Deute. nam omnibus ferè cap. de Moyſe tractant.

AARON Moyſis frater, inter Hebræos præſtans ac diſertus extitit, ſummúſque ſacerdos in populo Dei. ad hũc ſpectabant primitiæ & decimæ à filiis Iſraël Deo oblatæ. Cum ſummum ſacerdotium geſſiſſet annos 37. obiit, anno ætatis 123. Hoc ſemel orante pro populo, ceſſauit plaga incendij cœlitus miſſi. Videto Nume. 16. cap. item Ioſep. lib. antiq. 4. cap. 5. & ſecundum, diu deſideratum ac recèns excuſum Ioſephum, cap. 3.








ELEASAR Aaronis filius,mortuo patre,ſummus Sacerdos creatur, anno à mundo condito 2491. ante Chriſtum natum 1471. Iſte & Ioſue terram Chanaan obtinuerunt, quam vocarũt Iudæam.Hæc in duodecim tribus filiorum Iſraël diuiſa eſt,quarum nomina ſunt,Tribus Ruben,Simeon,Leui,Iuda, Iſſachar,Zabulon,Gad,Aſer,Beniamin,Dan,Nephthalim,Manaſſes. Obiit Eleaſar eodem quo Ioſue anno. Vide Exo. 6. cap. item Ioſue 24.cap.

IOSVE, ſecundus populi Iſraëlitici dux, anno mundi 2493. ante Chriſtum natum 1469. filios Iſraël per Iordanem, iuxta præceptum Domini, in terram duxit promiſſam: Iordanem fluuium,vt Moyſes mare rubrum, ſine vllo periculo,verbo Dei fretus,pertranſiit:obſidione vrbem Iericho cepit,& incendit,attamen Raab cum ſuis ſeruauit,minimè ingratus:nam hæc nuntios exploratores receptos, celarat: vrbẽ quoque Hai ſuccẽdit Ioſue ac Regem ſuſpendit. Dum pro Gabaonitis bellum gerit,ſiſtitur Sol, & prolongatur dies: quinque Reges ſuſpenduntur. In ſumma 31.reges vicit,victoriq; ſuo populo Chananæorum terrã partitus eſt. Hic pius,bello & pace clarus, rexit populum annos 28. Obiit diem anno ætatis 110. poſt eum ſeniores rexerunt populum annos 17. quibus Othoniel ſucceſſit. Videto lib.Ioſue ab initio ad finem.item Ioſep.lib.Ant.5. cap.1.2.3.4.







PERSEVS Iouis filius ex Danaë, Medusam Gorgonem occidit, anno mundi 2497. ante Christum natum 1465. Hic à Græcia in Asiam transuectus est: ibi Barbaras gentes graui, diuturnóque bello domuit: & nouissimè victor, nomen superatæ genti dedit: nanque à Perseo Persæ dicti sunt. Vide Oros. lib.1.cap.11. De hoc quoq; sic inquit Herodotus lib.7. *Posteaquã Perseus ad Cepheum cõmeauit, & Andromedam eius filiam duxit vxorem, tulit ex ea filium, quem Persen appellauit: eúmque illic reliquit (nam Cepheus carebat virili prole) à quo cognomen sortiti sunt Persæ.* De Perseo, Poëtæ multi multa fabulantur. Vide Diodo.lib.1.& 4.

ANDROMEDA Cephei regis Aethiopum & Cassiopes filia, vxor fuit Persei, quam scopulo alligatam ac monstro marino, propter matris superbiam, vt aiunt, expositam, liberauit: liberatam in vxorẽ duxit, occisis Phineo, & reliquis aduersantibus. Acrisiũ qui Danaën turri incluserat, occidit Perseus, imprudens tamen. Vide Herodo.lib.7. & Diodorum Siculum multis in locis.







PHOENIX, Agenoris filius,& Cadmi frater fuit. Ambo fratres de Thebis Aegyptiorũ in Syriam profecti,apud Tyrum & Sydonem regnauerunt, anno mundi 2506. ante Christum natum 1456. à Phœnice itaque Phœnicia regio dicta. Hic Phœnix Bithyniam condidit: Phœnicibus quasdam literas ad scribendum dedit. Vermiculum instituit,vnde fit color puniceus. De Phœnicibus Lucanus,lib.3.sic ait:

Phœnices primi,famæ si creditur,ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Euse.Chro.inspice.

CADMVS frater Phœnicis,è Phœnicia in Græciam literas numero sedecim intulisse fertur, quibus Palamedẽ Troiano bello adiecisse quatuor, totidémque post eum Simonidem Melicum. Hic quoque lapidicinas,auri metalla,& cõflaturam reperisse dicitur. Plin.lib.7.cap.56.De Cadmo multa Poëtæ fabulantur,præcipuè Ouid.lib.3.& 4.Metamorphoseos.

CORAX XVI. Sycioniorum rex hisce temporibus regnare occipit,nempe anno à mundo condito 2507. ante Christum natum 1455.

ROMVS etiam apud Celtas regnat anno mundi 2515.ante Christi natiuitatem 1447.Circa hæc quoque tempora Delphicum Apollinis templũ Phlegyas incẽdit,ob filiam ab Apolline(vt ferunt)compressam.





DIONYSIVS cognominatus Liber pater, deinde Bacchus, filius fuit Iouis ex Semele, Dionyſius ab Ioue & Nyſa dictus: Nyſa autem antrum eſt in quo à Nymphis nutritus dicitur. Liber pater dictus eſt, vel à libertate patriæ, quã armis etiã tutatus eſt, vel quòd vinum, cuius inuentor extitit, reddat linguas liberas ac faciles. Bacchus dictus eſt, vel à Bacchantibus mulieribus quæ ipſum ſequebãtur, vel à baccis, quas in torculari premere docuit. Hic quorum regio vites ferre non poſſet, docuit potum ex hordeo conficere. In Bœotia iuſſit, in gratiam patriæ, omnes vrbes liberas eſſe. Exercitum virorum & mulierum circunducens, nefarios homines merita mulctauit pœna. In Indiam tranſcendit, ac militauit, anno mundi 2508. ante Chriſtum natum 1454. triennio poſt, in Bœotiam multis cum ſpoliis rediit. Conſule Diodorum Siculum de fab. antiq. geſtis lib. 5.

DIONYSIVS alter longè illo antiquior, ac æuo prior, à nonnullis Sebaſis dictus, filius dicitur Iouis & Proſerpinæ: primus hic boues ſub iugum miſiſſe fertur ad colendam terram: quare illum cornibus finxerunt. Videto Diodorum Siculum libro quo ſupra.







OTHONIEL filius Cenes,& frater Caleb minor natu, de tribu Iuda, iudicauit populum Iſraël anno mundi 2538. ante Chriſtum natum 1424. In eo fuit ſpiritus domini:egreſsúſq; eſt ad pugnam,& tradidit dominus in manus eius Chuſam-raſathiam Regem Syriæ, cui Iſraëlitæ ſeruierant annis octo, & oppreſſit eum. Hic iudicauit Iſraëlẽ quadraginta annis,& mortuus eſt. Iudicum 3. Ioſe. antiq. lib. 5. cap. 7.

AXA filia Caleb fuit, atque vxor Othoniel. Hæc à viro præmonita petiit à patre agrum,ac obtinuit,Iudicum cap. 1.

AOD qui & Ehud,filius fuit Gera,filij Iemini. hic Iſraëlem iudicauit annos octuaginta à morte Othoniel:primus annorũ huius principatus fuit 2578. à creato mundo:& ante Chriſtum natum 1384. Hic populum liberauit à tyrannide Eglon regis Moabitarum,cui ſeruierat annos decem & octo, propter legis tranſgreſſionem. Iudi. 3. Ioſe. lib. antiq. 5. cap. 8.

SAMGAR, filius Anath, iudicauit populum poſt Aod annum vnum. hic percuſſit de Philiſthiim ſexcẽtos viros vomere, alij legunt ſtimulo boum. Iudicum 3.







PELOPS Tantali regis Phrygum filius fuit, qui Hippodamiam Pisæ regis filiam deperibat: atque in vxorem petēs eam, à patre virginis elegātissimæ, Oenamao, iniquis propositis conditionibus, est reiectus. quæ res bellum suscitauit: Oenomaus, Myrtilo præfecto suo prodēte, victus est. Pelops itaque sumpta in vxorē Hippodamia, Pisæ regnum tenuit, anno à mundo condito 2617. ante Christum natum 1346. Hic viribus ac prudentia insignis, cum plurimos in Peloponnesum accolas deduxisset, eam patriā Peloponnesum ab se denominauit. Diod. lib. 5. circa finem. regnauit annis 59. in Pisa, quæ est in Elide, iuxta Archadiam, cuius incolæ eam quæ eiusdem nominis est in Italia, condidere. Vide Strabonē lib. Geographiæ 7. & 8. item Rapha. Volaterranum lib. 34.

Hippodamia filia fuit vnica, eadémque formosissima Oenomai Elidis regis: hanc à multis procis ambitam, nemini voluit collocare pater: quam tamen Pelops accepit in vxorē, victo patre virginis, fraude Myrtili, qui in mare præcipitatus, nomen Myrtoo mari dedisse dicitur. Hinc illa Poëtarum fabula, de Myrtilo auriga, pecunia corrupto, & de curru vitiato, & deficiente. Vnde Ouidius epist. 8.

Vecta peregrinis Hippodamia rotis.

Facit autem Ouid. Hermionem loquentem, quæ erat Pelopis proneptis: nam Pelops erat ei proauus.





AMPHION Iouis & Antiopes filius, Thebis regnauit anno à mundo condito 2636. ante Christum natum 1326. hic tam insignis musicus extitit, vt testudinem à Mercurio accepisse dicatur: cuius etiam modulamine fingitur à Poëtis saxa ad extruendas Thebas illexisse, ac traxisse: quod sic interpretatur Eusebius in Chro. *Fuerunt*, inquit, *duro corde, & (vt ita dicam) saxei quidam auditores*. Cui concinit Horatius in arte Poëtica, dicens,

Syluestres homines Sacer interpre̍sque deorum.

& cætera. Ac paulò pòst sequitur:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis,
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet. fuit hæc sapientia quondam
Publica priuatis, secernere sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis:
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Hic, vi eloquentiæ, suasit rudibus ac sparsim degentibus, in vnum vt conuenirent, ciuitatémque muro cingerent: vel, vt interpretatur Palephatus, lyræ beneficio Thebanum murum construxit.

NIOBE filia Tantali, soror Pelopis vxórque Amphionis fuit, cui elegantissimæ formæ filios septē ac filias totidem peperit: vnde se Latonæ prætulit: quare indignata Dea hanc in saxum mutauit (vt fabulantur Poëtæ) occisis prius ab Apolline omnibus suis liberis. Ouid. 6. lib. Metamorph. Diodor. lib. 5. Palephatus inde datū locum fabulæ scribit, quòd supra natorum suorum sepulchrum suam ipsius lapideam imaginem Niobe collocarit, eámq; se esserit ipse quoque Palephatus inspexisse imaginem.





DEBORA Prophetiſſa, vxor Lapidoth, Iſraëliticum populum iudicauit anno à mundo condito 2659. ante Chriſtum natum 1303. Hæc Barac exercitui ſuo præfecit, atque vnà cum eo aduerſus Siſaram, ducẽ exercitus Iabin, Regis Chananæorum, commigrauit: fuſa ac proſtrata aduerſariorum acie, Siſara ipſe præceps de curru delapſus, fugam arripuit, atque à muliere Iahel ſuſceptus, & ſtatim epoto lacte obdormiens, defixo per tempora clauo, ab eadem caput cõſuitur, ſomnóque ſoporiferum lethum adiicitur. Vide librum Iudicum, capite tertio.

BARAC filius Abinoam, de tribu Nepthalim, præfectus fuit exercitui Deboræ, ſicuti ſupra dictũ à me eſt. hic Dux fortiſſimus, decem hominum millibus tantùm aſſumptis, exercitum Siſaræ, longè copioſiorem, imò bis decies ampliorem ad vnum confecit, ac deleuit. Verùm enimuerò, ſpes ac fiducia in Deum obfirmatiſſima, præcipua ac potiora erant arma & vires, quibus freti Debora & Barac, inſoleſcẽtes hoſtes eneruarunt. Videto lib. Iudicum ca.4. & Ioſephum li. Antiquitatum 5.ca.9.







GEDEON, qui & Ierobaal, filius fuit Ioas, de tribu Manasse, iudicauit populum 40. annis, quorum primus, annus erat mundi 2699. ante Christum natum 1263. Hic priusquàm aduersus Madianitas contenderet, bis signum à Deo petiit, quò certior fieret se ab eo mitti. duobus itaque miraculis cõfirmatur: prius fuit in holocausto quod totum ignis absumpsit: posterius in vellere primùm humido, deinde sicco. Sic roborata fide, in prælium descendit, ac Oreb & Zeb, Madianitarum Duces, item Zebee (seu Zeba) & Zalmana, cæcidit, ac internitioni dedit, asserens in libertatẽ Israëliticum populum, qui sub illorum iugum ante annos septem missus fuerat. Vide lib. Iudi. cap. 6. 7. & 9. & Iosephum lib. Antiq. 5. cap. 10.

ABIMELECH Gedeonis filius ex Droma concubina, septuaginta fratres suos, dẽpto natu minimo, interfecit: populum administrauit ac iudicauit annos tres, quorum primus, annus erat mundi 2739. ante Christum natum 1223. Hic vrbem Sichem expugnauit, incolas occidit, quorum vrbẽ diruit, ita vt sal in ea euersa spargeret. Cęterùm turrim oppidi Thebes dum oppugnat, ostiúmque exurere nititur, à muliere, quæ illi fragmen molæ in caput deiicit, opprimitur: & ne à fœmina trucidatus dicatur, quendã ex suis militibus rogat vt gladio transfodiatur: quod & ille perficit. Sic miserè occumbit, qui fratrum suorum cæde pollutus, tyrannide principatum arripuerat. Vide Iudi. 9. cap.

THOLA de tribu Issachar, iudicauit populum an. 23. post Abimelech. Iudicum cap. 10.

IAIR Galaadites populum iudicauit ann. 22. post ipsum Thola. Vide vt supra & Iose. lib. Anti. 5. ca. 12.





EVROPA Agenoris Phœnicum regis filia fuit, quam Iuppiter fingitur in formam bouis rapuiſſe, ac per mare in Cretam trāſuexiſſe: ex qua treis genuerit liberos, Minoem, Rhadamanthum, Sarpedonem. Vide Diodo.Sicu.lib.5.Ouid.li.2.Metamor. circa finem. Interpretatur fabulam Palephatus de Cretenſi quodam, cui nomen erat Taurus, qui Europam captiuam abduxerit.

Ab hac Europa, fertur tertia orbis pars denominata, quanquam non aſſentiat Herodotus, qui neminem cōpertum habere dicat, vnde id tertiæ orbis parti nomen datum. Vide Herodotum lib.4.

MINOS, Iouis Aſterij & Europæ filius, anno à creatione mundi 2710. ante Chriſtum natum 1252. claſſem comparauit, mare obtinuit, & inſularum Cycladū dominus primus, in earū pleríſq; colonias poſuit, Caribus eiectis, filióſq; ſuos conſtituit principes: latrones è mari ſuſtulit. Thucyd. in præfatione hiſtoriæ ſuæ. Hic omnium cōſenſu habitus eſt vir iuſtus, & probatæ vitæ, tradunt perſuaſiſſe primùm ſcriptis vti legibus, finxiſſe autem eas Mercurij datas præcepto, autore Ioue. Diodor. Sicul.lib.2.& 6. De huius Sapientia. vide Diony.Halica.lib.2.in geſtis Numæ. Volater.lib.33.ſic ait: *Minos certè ob ſummam iuſtitiam, poſt mortem iudex apud inferos dictus eſt, vnà cum Rhadamantho fratre.*

ANDROGEVS, Minoïs filius, præclaræ indolis adoleſcens, ab Athenienſibus, quòd in athletica ſuperaſſet, occiditur: ídque cauſa belli extitit. Volater.lib.33.





HERCVLES Iouis & Alcmenæ, Amphitryonis vxoris, (vt fertur) filius, natus est anno mundi 2715. ante Christum natum 1247. vixit annos 52. periit igne, primus è maximis pyratis. autor Manetho. De hoc Hercule quem Græci suum vendicāt, multa ipsi prædicant aut potius fabulantur, quæ nunc locus enarrandi non est: huic suo, omnium aliorum Herculum egregia facinora tribuunt, vt assolēt. Huius labores duodecim, qui dicūtur fuisse pręcipui, à Diodoro Siculo amplissimè descri buntur libr. 5. Hic ab Hispaniis in Italiam venit anno 55. ante aduētum Aeneæ: Cacum interemit: Italis leges tradidit: Ilium cepit: Laomedonta, ob minimè persolutum præmium, interemit: Priamum interempti filium, Troiæ Regem constituit. tandem ob remedium morbi ardentissimi, in ardentes flammas se præcipitem dedit. Sic fato functus est virorum omniū fortissimus. Diony. Halic. lib. 1. dicit optimum hunc ducē tyrannis orbem purgasse. Diodor. Herodo. Verg. Ouid. singuli multis in locis multa de Hercule narrant.

DEIANIRA, Oenei Calydoniæ regis filia, vxor Herculis fuit. Hæc cupiens virum ab alienis amoribus auocare, misit ad illum venenatā tunicam, iuxta Nessi cōsilium: tandem calamitatis mariti certior facta, ipsáq; doli huius minimè cōscia, laqueo vitam finiuit, vt scribit Diodor. lib. 5.







SIBYLLA Perſica, Chaldæa ac Hebrea dicta, ſed proprio nomine Sambetha, ad mare rubrum nata eſt, patre Beroſſo, matre Erymantha: libros ſcripſit 84. ac de Chriſto innumera cecinit, cui cæteræ Sibyllæ concinunt: nam omnium primam fuiſſe perhibent. huius meminit Nicanor, qui res geſtas Alexandri magni ſcripſit. Vide Lactan. diuina. inſtit. lib. 1. cap. 6. & Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 18. cap. 23. Huic Sibyllæ hæc tribuitur prophetia: *Ecce beſtia conculcaberis, & gignetur dominus in orbe terrarum, & gremium virginis érit ſalus gentium: & pedes eius in valetudine hominum, & inuiſibile verbum palpabitur.*

SIBYLLA Libyca, ſeu Libyſſa, ſecunda fuiſſe ſcribitur à Marc. Varrone, in libris rerum diuinarũ, qui Sibyllinos libros ait non vnius tantùm fuiſſe Sibyllæ, ſed Sibyllinos appellari, quòd omnes fœminæ vates, Sibyllæ ſint à veteribus nũcupatæ: vel à conſiliis Deorum enuntiandis, iuxta etymologiam, more quidem loquendi Aeolico, σίυς enim Deos, ac βυλὴν, conſilium vocant Aeoles: vel ab vnius Delphidis nomine. Vide vt ſuprà.

Huic Sibyllæ hæc tribuitur Prophetia:

Ecce veniet dies, & illuminabit dominus condenſa tenebrarum, & nexus ſynagogæ ſoluetur, & deſinent labia hominum, cùm viderint Regem viuentium: & tenebit illum in gremio virgo domina gentium, & regnabit in miſericordia: & vterus matris eius erit ſtatera cunctorum. inde in manus iniquas veniet & dabunt Deo alapas manibus inceſtis: miſerabilis, & ignominioſus erit, miſerabilibúſque ſpem præbebit.





SIBYLLA Delphica,Delphis nata,proprio nomine Themis dicta, ante Troianum excidiũ extitiſſe fertur,cuius etiam verſus plurimos operi ſuo Homerũ inſeruiſſe credunt.Sunt tamen interim qui cenſeant Sibyllæ propriũ id illi fuiſſe nomen, quod in reliquas manarit:vti ſupra in Libyca Sibylla leuiter attigi. Vide ſupra in Sibyllis Perſica,& Libyca.

Huic hæc tribuitur Prophetia:

*Ipſum tuum cognoſce dominũ,qui verè filius Dei eſt.*Hanc item Chryſippus ait vaticinatam eſſe, *Naſci debere Prophetam abſque matris* (vel maris)*coitu,de virgine.*

SIBYLLA Cumæa, ex Cimerio Campaniæ, vicino Cumis oppido,fuit:Italica proinde ac Cimeria dicta.prope Cumas ſpeluncã inhabitauit,vnde oracula edere ſolita:vt Aeneæ quoque adeũti,futura prędixerit omnia.huius carmina apud Aenã ciuitatem Iuliano imperante cõbuſta ſcribit Am. Marcellinus: quæ ſanè carmina,quibus Rom. fata conſcripta erant, in arcanis apud Rom. habebantur,nec ab vllo niſi à Quindecim viris inſpici fas erat:cùm aliarum interim Sibyllarũ carmina circunferre liceret.audi Verg.Eclog.4.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas:&c.

Scilicet (inquit Viues) tempus etiam quò vaticinium tendebat, certis erat literis inſertum: & ſolitas Sibyllas aliquid per initia verſuum ſignificare,ſcribit Cice. lib.2.de diuina.

Huic hæc tribuitur Prophetia:

In prima facie virginis aſcendit puella, pulchra facie, prolixa capillis, ſedens ſuper ſedem ſtratam:nutrit puerum, dans ei ad comedendũ ius proprium,id eſt lac de cælo miſſum.





NICOSTRATA, Euandri Archadis mater, futurorum vaticinatrix fuit, quę à carminibus, quibus Phœbi oracula enũtiabat, Carmentis latinè dicta fuit. Hanc quidam aiunt latinis primùm literas dedisse. Diony. Halicarnaseus lib. quidẽ 1. Antiq. Rom. scribit ipsos Archades primos literas in Italiam attulisse, qui post Pelasgos venerant. Tit. Liuius Euandrum ipsum, autorem vocat, lib. ab vrbe condita 1. *Euãder*(inquit)*tum ea, profugus ex Peloponneso, autoritate magis quàm imperio regebat loca, venerabilis vir miraculo literarũ, rei nouæ inter rudes artium homines.* Huic concinit Cornelius Tacitus, qui tradit Aborigenes ab Euãdro Archade didicisse literas. Vide Poly. Verg. li. 1. cap. 6. Hãc quoque scribit Textor Græcas literas impensè doctam, plerasque ex latinis primùm reperisse: quò coniectare licet mulierẽ versatili ingenio, variáque doctrina fuisse præditam.

EVANDER huius Nicostratæ, seu Carmentis, filius, cùm patrem imprudẽs interfecisset, relicta Archadia in Italiam venit, & pulsis Aborigenibus in Palatino monte cõsedit: agróque à Fauno iuniore Aborigenum Rege donatus, collem elegit, qui nunc in medio fermè vrbis est, in quo castellũ seu oppidum extruxit, cui Pallantium, seu Palanteũ, nomen dedit, vel à Metropoli Archadię, vel de Pallantis proaui sui nomine circa annum mundi 2725. ante Christum natum 1237. paulò nempe ante quàm Hercules in Italiam ab Hispaniis aduentaret. Pallantium, Rom. postea Palatium dixere. Vide Diony. Halic. lib. 1. & Cæli. Rhodi. lib. 11. cap. 17. & Vergi. lib. Enei. 8. vbi sic inquit:

Archades his oris, genus à Pallante profectum,
Qui Regem Euandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum, & posuere in montibus vrbem,
Pallantis proaui de nomine, Pallanteum.





PRIAMVS Laomedontis filius,interfecto patre ab Hercule,Troiáq; vi capta,regnum patris recepit,quod ei Hercules tradidit vt viro iusto,amicóque.Solus enim filiorum patri consuluerat equos diuino semine procreatos(si credere fas est)Herculi,ob liberatam Hesionem promissos,tradendos.Hæc Diod. Sic.lib.5.Sunt tamen qui scribant Priamũ captiuum ab Hercule abductum in Græciã, postea auro à vicinis redemptum, vnde à redimendo nomen obtinuerit. Habuit filios quinquaginta:vnde Vergi.

Quinquaginta illi thalami,spes tanta nepotum:

ex his decẽ & septẽ sustulit ex iusta vxore Hecuba : inter quos insigniores fuere Hector, Paris, Deiphobus,Helenus,Polites, Polydorus. Capta vrbe à Græcis, interemptus est Priamus senex, à Pyrrho Achillis filio : ídque ad aram Iouis,in sanguine etiam Politæ filij sui.autor Dictys Cretensis.Troiæ Priamus regnat anno mundi 2725.ante Christum natum 1237. quam ita ampliauit & ornauit vt nulli maximarum vrbium ornatu & potentia cederet.

HECVBA Cissei regis Thracum filia, vxor Priami fuit, Hæc cùm Paridem in vtero gestaret,somniauit se parere facem ardentem,quæ patriam exureret.Hanc in canem versam fabulantur,quòd cùm vrbe capta,captiua abduceretur,ac Polydori filij corpus in mare proiectum agnosceret,Græcos inanibus lacessiuerit conuiciis. Vergil. Aen.10.lib. Ouid.13. Metamorpho.





HECTOR Priami filiorum fortiſsimus fuit, quo ſoſpite Troia nunquam potuit à Græcis expugnari. Hic permultos ex Græcis occidit, inter quos Proteſilaum & Patroclum : in cuius vltionẽ ab Achille demum occiditur, à quo bigis alligatus, circum Patrocli ſepulchrũ trahitur. poſt 12. dies corpus eius auro à patre redimitur. autor Dares Phrygius. Home. lib. 23 Ilia. Ver. lib. 1. Aenei. Volaterr. lib. 15.

ANDROMACHE, Eetionis Regis Thebarum, quæ in Cilicia ſunt, filia, Hectoris vxor caſtiſsima, & Aſtyanactis mater fuit: quem peperit poſt inchoatũ bellum Græcorum, & admodùm paruulum abſcõdit: at verò ab Vlyſſe repertus, de turri ab eodem præcipitatur. mater autẽ à Pirrho abducta in Græciam, Moloſſum ex eo parit, deinde Heleno in vxorem datur: eíque regni Epiri portio aſsignatur. Vide Volaterran. lib. 8. & 13. Strab. lib. 7. Vergil. lib. 3. Aene. Porrò de ſupputatione annorum facile eſt cuiuis vel mediocriter docto, rationem inire quo tempore geſta ſint nonnulla, quibus annorũ numeros non inſerui, cùm iidem numeri annorum hinc inde paulùm abſint. id te ſemel monitum volui, candide lector, vt ne mihi ſuccenſeas, aut vitio vertas, ſi ſingulis epitomis aut paginis, ſupputationem hanc in nonnullis quidem minimè neceſſariam (ſunt enim multa quæ in idẽ tempus coincidunt) anxiè non obſeruo, nec iteratò repono.





THESEVS Ægei Athenarum Regis filius, ex Æthra Pithei filia, regnauit Athenis anno mundi 2730. ante Christum natum 1232. Hic Herculem imitatus, mare ingressus est: ad ea certamina adiecit animum, quæ laudem & gloriam sibi essent allatura: iuuenis adhuc Creontem tyrannum occîdit: præterea taurum vastantem Atticam, & Minotaurum: item Scyronem, Procrustem, & Schynin latrones, in Attica trucidauit. Cum Hercule aduersus Amazonas strenuè militauit, quarum reginam Hippolyten abduxit, ex qua filium Hippolytum sustulit. Iustin lib.2. Diodor.lib.5. Plutarc. in vita Thesei, Ouid. epist.4. & 10. Hic firmam amicitiam cum Pirithoo iunxit.

MINOTAVRVS, filius fuit Pasiphaë, & iuuenis cuiusdam formosissimi, nomine Tauri, qui, morbo laborante Minoë marito Pasiphaës, cum hac concubuit, peperítque Pasiphaë ipsa ex eo concubitu filium, qui inde Minotaurus dictus est, quòd cùm Minoïs filius putaretur, re vera tamen Tauri filius esset: quem ideo Minos relegauit, atque insectatus est: ad quem tandem Theseũ misit, qui accepto ense ab Ariadne, eum occîdit. Hæc Palephatus libro de non credendis fabulosis narrationibus. De hoc Minotauro multa fabulantur Poëtæ, quòd semiuir, ac semibos fuerit, vnde Ouid.

Semiuirũ vque bouem, semibouémque virum:

quòd Labiryntho, à Dædalo fabrefacto inclusus, obiectos sibi homines deuorarit. Vergil.lib.6. Ænei. Ouid. epist.10.





MARTHESIA, siue Marpesia, & Lampedo, siue Lampeto, Reginæ fuere Amazonum, regnante Theseo Athenis: nempe anno mundi 2734. ante Christum natum 1228. autoribus Iustin. lib. 2. & Oros. lib. 1. cap. 15. & 16. Funccius verò reiicit ad annum mundi 2754. ante Christum natum 1208. hæ in duas partes, exercitu diuiso, inclytæ iam opibus, vicissim bella gerebant: & ne successibus deesset autoritas, generatas se Marte prædicabant. Itaque maiore parte Europæ subacta, Asiæ quoque nõnullas ciuitates occupauere. ibi Ephesum, multásque alias vrbes cõdidere: tandem ibi Marthesia incursu barbarorum interficitur, in cuius locum Orithya filia succedit. Iustin. lib. 2. Oros. lib. 1. cap. 15.

LAMPEDO, siue Lampeto Amazonum Regina, Epheso multísque aliis vrbibus in Asia conditis, domũ cum parte exercitus remittitur, vt patriã tueatur. Cæterùm de huius gestis, & fato nil apud autores reperi, quemadmodũ nec ipse etiã Boccacius. De Amazonibus autẽ in genere pauca dicere lubet. Hæ ex Scythis ortæ, in Cappadociæ ora, ad amnẽ Thermodoonta consedere: ibi mariti, qui spoliare finitimos consuerant, conspiratione populorum per insidias trucidãtur: ipsæ, quarum exilio addebatur orbitas, arma sumunt: remp. sine viris augent: matrimonium seruitutem appellant. tandem pace armis quæsita, ne gens interiret, finitimorum cõcubitum ineunt: si qui mares nascuntur, occidunt: virgines armis exercẽt, dextris mammis inustis, ne sagittarum iactus impediatur, vnde Amazones dictæ. Iustin. lib. 2.





MENALIPPE, Orithyæ ac Antiopes (hæ ambæ Amazonum reginæ erant) ſoror, ab Hercule bello ſuperata, captiua abducitur: quam tandem ſorori reginæ red dit: & pretium, arma eiuſdem reginæ (Baltheum fuiſſe dicũt) accipit: atque ita mandato functus, ad Regem Euryſtheum Hercules ipſe, reuertitur. Vide Iuſtinum libr. 2.

HIPPOLYTE, ſoror Orithyæ, Antiopes, & Menalippes, eodẽ ipſo bello quo ſoror Menalippe ab Hercule capta, ac abducta eſt, hæc quoque à Theſeo capitur ac abducitur: Sed tamen eam in vxorẽ Theſeus accipit, ex eáque gignit Hippolytum, vti iam à me dictum eſt ſupra, in Theſeo. Iuſtin. lib 2.

Nec verò neſciendũ eſt, Hippolytum omnium caſtiſſimum fuiſſe, eundémque venationi deditiſſimũ: de quo multa legere licet apud autores: maximè apud Ouidium li. 15. Metamorpho item Heroidum epiſt. 4.







ORITHYA, Marthesiæ filia, Amazonum post matrem Regina, tum ob belli industriam, tum ob perpetuam virginitatem, cõspicuam se, ac mirabilem præstitit. Hæc vbi cõperit bellum, vim quoque sororibus suis illatam ab Hercule & Theseo, hortatur comites in vltionẽ, frustráque Ponti sinum & Asiam domitam esse dicit, si Græcorum non tam bellis quàm rapinis pateant. auxiliũ à Rege Scytharum capit. Sed ante præliũ dissensione orta, ab auxiliis desertæ Amazones, bellóq; ab Atheniẽsibus victæ, receptaculum tamen habuere castra sociorum, in regnúmque reuersæ sunt. Iustin. lib. 2.

PENTHESILEA post Orythiam Amazonis imperauit. Hæc Troianis aduersus Græcos opem tulit. Verg. lib. Aen. 1.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audétque viris concurrere virgo.

Interfecta demum ab Achille, exercitúque eius absumpto, paucæ quæ remanserant vsque ad tempora Alexandri Magni durauerunt: quem Thalestris, Amazonum Regina, adiit, ad sobolem ex eo generandam. Hunc cum ter centum feminis salutauit, cæteris iussis subsistere, copiam sui fecit ei Alexander per tredecim dies. Hæc coram illi in os ingenuè fassa est se tantùm ad suscipiẽdos liberos venisse: fœminini sexus se retenturam, marem patri redditurã. reuersa in regnum, breui pòst tempore cum omni Amazonum nomine intercidit. Quint. Curt. lib. 6. Iustin. lib. 2. de hac vide etiam infra in Alexandro.





MENELAVS, Atrei (alij dicunt Plisthenis) & Aëropes filius, in vxorem accepit Helenam formosissimã quidem mulierem, attamẽ quæ bis rapta est, primùm à Theseo, postea à Paride. Hic Menelaus regnauit apud Lacedæmonios anno mũdi 2758. ante Christum natum 1204. aduersus Troianos bellum gessit pro recuperanda vxore, quam non nisi capta Troia recuperauit. bellum gessit decem ferè annis. præterea conscendens nauim in reditu, non nisi post octauum erroris annum patriam attigit. Tantæ molis erat infame reducere scortũ. scribit nihilominus Dictys Cretensis non tam animo consternatum fuisse Menelaum ob raptam vxorem, quàm ob Aetram & Clymenam, affines suas. Sustulit ex Helena Hermionem. Dares Phry. Ouid. lib. 11. Metamorp. Cæterùm Menelaum Atrei filium Homerus scribit, Hesiodus autem, Plisthenis.

AGAMEMNON regnauit Mycœnis anno mundi 2768. ante Christum natum 1194. hic frater fuit Menelai: & omnium consensu Græcorum dux præcipuus aduersus Troianos declaratus est: classem habuit nauiũ sexaginta supra centum; vniuersa Græcorum classis erat nauium plus mille. Tandem reuersus ab expeditione illa, & bello Troiano confecto, ipse, insidiis Clytẽnestræ vxoris, ab Aegystho adultero interficitur: Orestésque filius eius hanc iniuriã vlciscitur, interfectis adulteris, matre scilicet Clytemnestra ac Aegystho. Euripid. in Oreste, Seneca in Agamemnone. Dares Phrygi. Dictys Cre.





PARIS, qui & Alexander dictus, Priami filius fuit & Hecubæ. Hunc pater exponi iuſſit, quòd mater prægnans ſomniaſſet ſe facem ardentem parere: attamen Hecuba materno affectu ducta, curauit vt in Ida mõte à paſtoribus nutriretur. Adoleſcens Oenonem amauit, ex qua Idæum & Daphnidem ſuſtulit. Tandem à parentibus agnitus ac receptus, ſuſcepit legationem in Græciam ad repetendam Heſionem, vbi Helenam rapuit, Troiámque abduxit anno mundi 2768. ante Chriſtum natum 1194. nempe primo anno regni Agamemnonis. Propterea bellum Græcorum aduerſus Troianos exarſit. Scribit Herodotus renitentem abduxiſſe, Spartén que expugnaſſe, ob id à viro recipi meruiſſe. Achillẽ ſagitta interemit Paris, viciſſim quoq; interemptus eſt à Pyrrho Achillis filio. Herodo. lib. 2. Dares, Dictys Cretenſis.

HELENA, Iouis & Ledæ filia, à Theſeo primùm rapta, nec multo poſt Caſtori & Polluci fratribus reddita, Menelai vxor fuit, cui Hermionem peperit: hanc Paris ſeu volentem ſeu nolentem abduxit, vti dictum à me ſupra eſt, ac in vxorem duxit. Hæc proditionis Troiæ cõſcia fuiſſe dicitur, cùm Greci armis diffidentes ad dolum ſe cõuertiſſent: ac facem, proditionis ſignum, ex arce ſuſtuliſſe, & cum priore viro in gratiã rediiſſe. De ſimulachro ac templo Helenæ, in quo mulier ex turpiſſima, ſpecioſiſſima facta eſt, vide Herodotum libr. 6. Capta eſt Troia deficiente iam vere, 17. diebus ante conuerſionem æſtiuam, anno mundi 2783. ante Chriſtum natum 1179. Vide Diony. Halicar.





VLYSSES Laërtæ & Anticliæ filius, Solers ac disertus extitit, atque prudentissimus Græcorum, qui in expeditione Troiæ fuerunt. Hic insaniam simulans comitatum negat, nempe irretitus amore iuuenculæ coniugis Penelopes: verùm fraude à Palamede detecta, cogitur cum cæteris in bellum proficisci. Detectus ipse, Achillem vicissim detegit, qui etiam in Troianos contendit, anno mundi 2773. ante Christum natum 1189. Vlysses multa tum fraude tum virtute peregit annis decem in obsidione Troiæ: qua capta, per decennium itidem hac atque illac fluctibus marinis iactatus, tandem ad vxorem in patriam peruenit: procorum iniurias vlciscitur. Postea à Telegono, quem ex Circe susceperat, spina trigonis piscis venenata, incognitus transfigitur. Homer. in Odyss. & Vergil. in Æne. multis in locis.

PENELOPE, Icarij & Peribœæ filia, Vlyssis vxor fuit castissima. Hæc totos viginti annos maritum illibata pudicitia expectauit, nec vnquam adduci potuit vt alteri nuberet: quanquam pater Icarius cogeret, & proci valde solicitarent, quos egregio commento fefellit (si credere licet) quanquam aliter de huius pudicitia scribat Lycophron. Vide Ouid. epist. Heroidum prima, quæ nomine Penelopes inscribitur.

Ee







ACHILLES Pelei Thessaliæ regis & Thetidis filius, Grę corum fortissimus fuit. Hic iam adultus inter Lycomedis filias, muliebri indutus ornatu latitauit, opera matris quæ hac arte cauebat ne ad bellum Troianum proficisceretur, vnde nō esset reuersurus. Nihilominus tamen Vlyssis astu deprehensus, ad bellum perducitur. Hic Deïdamiam Lycomedis filiam compressit, ex qua Pyrrhum sustulit: quinetiam ob ereptam sibi ab Agamemnone Briseïda, pugnare destitit, donec Patrocli amicissimi mors nunciaretur, quam Hectoris morte compensauit. Cæterùm à Paride tum demum interficitur Achilles: tandem & ipse Pyrrhus Polyxenam ad sepulchrum patris immolat. Homer. in Odyss. & Vergil. lib. Eneid. 2. & Statius libr. Thebaid. 1. item Dares, & Dictys Cretensis.

POLYXENA Priami & Hecubæ filia speciosissima, ad tumulum Achillis à Pyrrho eiusdem Achillis filio, interficitur, ad placandos Achillis manes. Ouidius lib. 13. Metamor.

Placet Achilleos mactata Polyxena manes.

Polyxenam fertur Achilles in mœnibus Troiæ conspectam adamasse, eámque in vxorem petiuisse: Priamus annuit: in Apollinis templum conuenitur, ad ineunda pacis nuptiarúmque fœdera: verum inibi interim Achilles à Paride dolo interficitur. Vide vt supra, & Euripi. Trage.







NAVPLIVS, Euboëæ insulæ Rex, quam Nigropontum hodie vocant, Palamedis pater fuit, eius inquam qui Vlyssis commento & fraude, ab exercitu lapidibus est obrutus: Vlysses siquidem oderat Palamedem, mortémque illi dolo machinatus est, quòd technam suam detexisset, cùm illi furorem simulanti, vt ad bellum minimè proficisceretur, filium in sulco obiecit. Nauplius vt filij necem vlcisceretur, vxores principum Græcorum, tum cùm Troiam obsidebant, in iuuenum adulteria pellexit, sperans vt in reditu mutuis se vulneribus confoderent propter vitiatas vxores. Præterea Græcis redeuntibus, ignem ex Caphareo monte ostendit: quò factum est vt bona pars ad ignem, tanquam ad proximum portum adnauigans, inter scopulos naufragium fecerit. tandem doloris impatientia se ipsum in mare præcipitat, quòd Vlysses & Diomedes, quos maximè obrui cupiebat, incolumes euasissent. Vide Homer. Verg. Ouid. multis in locis singulos.

PALAMEDES Nauplij filius, quatuor dicitur literas inuenisse, præterea ordinem aciei, symbolum bellicum, & vigilias, ad exemplum gruum: item calculorum ludum, atque aleam, & latrunculos, quos scachos vulgò dicimus, & mensurarum ac ponderum rationem, quinetiam annum ad Solis cursum, menses ad Lunæ accommodasse. Hic ab Vlysse falsò proditionis insimulatus, lapidibus obruitur. Vide Ouid. lib. 13. Metamor. Cel. Rhodig. lib. 20. cap. 27. & lib. 7. ca. 31. Huius Palamedis Poemata dicitur Homerus, inuidiæ stimulis agitatus, concerpsisse, aut exussisse. idem Cel. Rhodig. id tradit, lib. 20. ca. 30. Vide item Volat. lib. 18. & Plin. 7. cap. 56.





IEPHTE, filius Galaad ex meretrice, iudicauit populum Iſraël anno mundi 2787. ante Chriſtum natum 1175. Hic pugnauit contra Ammonitas, quos tradidit dominus in manus eius. vouerat autem prius, ſatis tamen imprudenter, ſe in holocauſtum oblaturũ domino eum qui primus de domo ſua egrediens, ſibi occurreret victori: accidítque vt filia ſua vnigenita cum tympanis & choris ei reuertenti occurreret, qua viſa ſcidit ipſe ſua ſibi veſtimẽta, præ dolore: immolauit tamen filiam poſt duos menſes, quos illa impetrarat ad lugendam virginitatem. Vide lib. Iudi. cap. 11. & 12. ſex annis iudicauit Iephte Iſraëlem. Ioſeph. lib. Antiq. 5. cap. 12.

ABESAN, de Beth-lehem, mortuo Iephte iudicauit Iſraël ſeptem annis. Hic habuit triginta filios & totidem filias, quas omnes maritis tradidit, ſimul filiis omnibus vxores dedit: foras miſit filias, filiorum autem vxores domum ſuam introduxit. Iudi. 12. Ioſeph. lib. 5. cap. 12. Rabbi Salomon & Chaldæus paraphraſtes hũc Abeſan Boos eſſe dicunt. Poſt Abeſan, Aelon de tribu Zabulon, iudicauit populum annos decem: poſt quem etiam Abdon de tribu Ephraim, iudicauit Iſraëlẽ annos octo. Iudicum cap. 12. poſt hunc Samſon iudicauit, cuius meminero poſtea.







LATINVS Laurentum Rex, Fauni & Maricæ, filius fuit. Hic vel bello ab Ænea victus, vel tantùm certior factus quisnam, & vnde esset Æneas, antequam signa canerent, ipsi Æneæ dextram, fidei signum, dedit: filiam deinde in vxorem tradidit, quanquam prius pacta esset Turno Rutulorum regi. Æneas de nomine vxoris Lauiniæ, Lauinium appellat. Turnus ob præreptam Lauiniam sibi pactam, bellum mouet: vtrinque summa contentione pugnatum est: inclinauit tamen victoria in Troianos, qui Latinum eo in prælio amisere, anno mundi 2787. ante Christum natum 1175. Titus Liuius lib. 1. & Diony. Halicar. lib. item primo.

LAVINIA Latini & Amatæ filia, Æneæ vxor post Creusam fuit. Hæc mortuo Ænea Ascanij tutelam gessit: deinde ab eodem Ascanio, Lauinio, vrbe iam florente atque opulenta, donata est: nouã ipse aliam sub Albano monte condidit, quam ab situ porrectæ in dorso vrbis, Longam Albam appellauit. Titus Liuius lib. 1. Lauinia Syluium Posthumum peperit tertium regem Latinorum: qui sic dictus est, quòd post patris Æneæ fatum in syluis natus ac educatus sit. Videto vt supra.







ÆNEAS, Anchisæ & Veneris filius, ac Priami gener, pius, probus ac bellicosus à Vergilio in gratiam Augusti describitur: aliter enim scribunt grauissimi autores. Hic patrem humeris impositum Troiano incendio dicitur eripuisse, Creusam vxorem in turba amisisse, in Italiam nauigasse, Turnum bello vicisse, Lauiniam duxisse, oppidum condidisse Lauinium, de nomine vxoris sic dictum: Ascanium, qui Albam Longam condidit, genuisse. Aduentum autem Æneæ in Africam, cõgressum, societatem aut nuptias cum Didone, vt fabulosa prætereo: neque enim appulisse in Africam scribunt historici probatiores: neque, vt appulerit, Didonem illic potuerit reperisse, cùm nondum nata esset. Nauigationem Æneæ sic paucis describit Titus Liuius lib.1. *Aeneas*, inquit, *domo profugus, primò in Macedoniam venit: inde in Siciliam, quærens sedes, delatus est. Ab Sicilia, classe Laurentem agrum tenuit. Troia & huic loco nomen est.* De morte Æneæ nil certi reperi. Constat dum cum Rutulis ac Hetruscis, congreditur, multos vtrinque cæsos, Aeneæ autem corpus nusquam inuentum. id prælium commissum est postquam treis annos ab obitu Latini soceri sui, regnasset Æneas, anno à capta Troia septimo. Dion. Halicar. lib.1. Titus Liuius lib.1. Verg. in libris Aeneidos. Lauinium vrbem condidit Aeneas anno mundi 2788. ante Christum natum 1174.

TVRNVS, Rutulorum Rex, Amatæ, vxoris Latini, consobrinus fuit. Huic pacta fuerat Lauinia ante aduentum Aeneæ: quare prælatum sibi aduenam ægrè ferens, simul Aeneæ Latinóque bellum intulit. Vide vt supra. Victus singulari certamino Turnus ab Aenea, victoriam cum sponsa, riuali Aneæ reliquit. Verg. lib. Eneid. 12.





ORESTES occiſo Ægiſtho imperat Mycœnis, quæ vrbs eſt in Peloponneſo, anno mundi 2789. ante Chriſtum natum 1173. Fuit hic Agamemnonis & Clytemneſtræ filius: matrem adulteram cum adultero ſuo Ægiſtho interemit, quòd patrem ſuum etiam interemerāt. Deinde Pyrrhum quoque interfecit, quòd Hermionem ſibi prius deſponſatam, quæ & Pyrrhum oderat, rapuiſſet, víque eam in vxorem ſibi retinuiſſet. Ob hæc ſcelera furiis agitatus vagabatur: habuit interim Pyladem fidum itineris comitem ac periculorum ſocium. Peruenit itaque Oreſtes in regionem Tauricam, vbi inuenta ſorore Electra, cum ea, iam furore purgatus, migrauit in Italiam. Oreſtes pro Pylade, Pylades pro Oreſte, vterque pro altero mori minimè recuſauit: ſicut nec Nyſus pro Eurialo, nec Eurialus pro Nyſo, vti eſt apud Verg. quare numerātur inter inſigniora amicorum paria. Vide Sophocl. in Electra, Euripid. in Oreſte, Cicer. de amicitia, & lib. 2. de finib. Ouid. Epiſt. 8. Heroidum.

HERMIONE Menelaï & Helenæ filia fuit. Hæc à Tyndaro auo materno primùm pacta eſt in vxorem Oreſti, interea dum pater in bello Troiano militaret: qui etiam eandem Pyrrho, mortuo patre Achille, promittit. Pyrrhus reuerſus eam rapit, ac retinet inuitam: quamobrem indignatus Oreſtes Pyrrhum in templo Apollinis, ope Macarei ſacerdotis interficit, vxorémque ſuam Hermionem recipit. Videto Vergil. libr. 3. Æneid. Ouid. epiſt. 8. ſupradicta, quæ inſcribitur, Hermione Oreſti.





ASCANIVS Æneæ filius, Latinorum Rex fuit, anno à mundo condito 2789. ante Chriſtum natum 1173. Hic à fluuio Phrygiæ Aſcanius dictus eſt: præterea Ilus, ab rege Troianorum Ilo: quinetiam Iülus, à prima barbæ Lanugine. Vergil. Æneid.1.

At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur, Ilus erat, dum res ſtetit Ilia regno.

Huic puero flammula quædam ſupra caput apparuit, quæ nec vrebat, nec manibus extingui poterat: hinc ſumptum omen eſt, futurum vt aliquando imperaret: idem narrat de Seruio Tullio Liuius lib.1. Cæterùm Aſcanius cum 25. annos in Lauinio regnaſſet, Longam Albam condidit, ac nouercæ, quæ antea reſtituta fuerat (nam priuignum Aſcanium metuens, in ſyluas ſe receperat) Lauinium reliquit: regni hæredem fecit Poſthumum fratrem ſuum ex diuerſa matre, cùm nondum eſſet Iülus eius filius ad regendum idoneus per ætatem. Imperauit Aſcanius 38. annis, cùm Lauinio, tum Longæ Albæ. Ab Iülo eius filio Iuliorum familia orta eſt. Eutrop. auctus.

SYLVIVS Poſthumus Æneæ ex Lauinia filius, regnum Latinorum tenuit poſt Aſcanium, anno mundi 2827. ante Chriſtum natum 1135. Imperauit apud Latinos annis 29. de ratione nominis huius, dictum eſt ſupra in Lauinia. huius temporibus agebat Homerus, vt autor eſt Caſſiodor. Vide Diony. Halicarn. & Eutro. lib.1.





SAMSON filius Manue de tribu Dan, iudicauit poſt Abdon, populum Iſraëliticum annos 20. quorum initium fuit anno mundi 2818. ante Chriſtum natum 1144. Hic vir fortiſſimus leonis catulum ſæuum ac rugientem, qui ei occurrebat, in fruſta dilacerauit quaſi hœdum, nihil omnino gladij habens præ manibus. poſt aliquot dies inuenit in ore huius leonis examen apum ac fauum mellis. Hic propter ablatam vxorem, ſegetes Philiſthinorum excuſſit, ligatis facibus ad caudas trecentum vulpium. Maxilla aſini mille Philiſthinorum interemit: Iſraëlitas à ſeruitute eorum liberauit, quibus 40. annis ſeruierant. in Gaza cùm circundaretur cuſtodibus in porta vrbis ſtantibus, ipſe conſurgens circiter medium noctis, apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus & ſera, impoſuítque humeris ſuis, & portauit ad verticem montis. Vide Iudi. 14. & 15. cap. Ioſeph. Antiq. lib. 5. cap. 13. poſt Samſonem Heli fuit ſummus ſacerdos ac iudex populi per 40. annos, cui ſucceſſit Samuel, de quo poſtea mentionem faciemus.

DALIDA, ſiue Dalila, meretrix fuit, quam amauit Samſon. Hæc argento à principibus Philiſthinorum accepto corrupta, amaſium Samſonem tonſum prodidit, qui ab hoſtibus captus, erutis oculis in carcerem detruſus eſt. Poſtea inde vocatus eſt vt luderet coram eis, qui excæcato & ligato volebant illudere: at ille cùm veniſſet, & coram illis luderet, inuocato Domino ait: *Domine Deus meus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam, vt vlciſcar me de hoſtibus meis.* Tunc apprehendit columnas ambas ambabus manibus, & cecidit domus, quæ cadendo interfecit ad tria millia vtriuſque ſexus Philiſthinorum, vnà cum ipſo. Conſulito lib. Iudi. cap. 16.





BRVTVS Aſcanij Æneæ filij ex Syluio nepos (quanquam alij cenſeant Syluium Æneæ filium Poſthumum fuiſſe) fertur proceros quoſdam, atque immanes viros ſede ſua expuliſſe: inſulámque eam de ſuo nomine Britanniam cognominaſſe, quæ prius vocabatur Albion, ab Albina quadam Syriæ regis filia, quæ vnà cum 32. ſororibus, interfectis ab ſe viris, à patre expulſa, in hæc loco appulerat. Poſt annos circiter 50. ab excidio Troiæ, id eſt circa annum à mundo condito 2832. ante Chriſtum natum 1130. cœpit in ea inſula, quam magnam Britanniam vocant, regnare Brutus iſte, illícque fertur liberos genuiſſe tres, qui totidem ſibi regna conſtituerunt: Locrum à quo Locria: Cambrum à quo Cambra, nunc Vuallia: & Albanactum, à quo Albania, quæ Scotia poſtea dicta eſt. Locrus fratribus ſuperſtes, ſolus Britannia potitus eſt: poſt quem Maddan annos quadraginta regnauit. hæc Raphaël Volaterranus in Geographia, lib.3. de populis ac regibus Britanniæ, quam nunc Angliam vocant. Supputationem annorum potes etiam colligere, ac deprehendere in Aſcanio Æneę filio, de quo à nobis dictum eſt ſupra, paulò antè, tertia ab hinc pagina.

IGNOGNE Pandraſi Leo-græciæ Regis filia, huius Bruti vxor fuit, ex qua tres, qui ſupradicti ſunt, liberos ſuſtulit. Videto Supplementum Chroni. lib.4. Item Chronica Chronicorum.







HOMERVS Græcus Poëta percelebris, clarebat circiter annum mundi 2838. ante natiuitatem Christi 1124. secundum Cassiodorum. nam Cornelius Nepos in libris Chronicorum refert ad longè posteriorem ætatem, puta ad annum mundi 3051. ante Christum natum 911. ante Romam conditam 160. annos. Natum itaque Homerum, vt inquit Plutarchus, belli Troiani tempore, eiusdémque spectatorem fuisse, quidam scribunt, alij 100. annis pòst, alij 150. Mater ad Meletem fluuium eum peperit, ob ídque Melesigenes appellatus est: postea cæcus factus, Homeri nomen accepit. Duo præcipua poëmata scripsit, Iliada & Odysseam. Ilias gesta Græcorum & Barbarorum propter Helenæ raptum, sed præcipuè Achillis præclara facinora complectitur. Odyssea verò, Vlyssis ex Troiano bello in patriam reditum. Scribunt eum obiisse præ ingenti mœrore, cùm ænigma à piscatoribus propositum non posset dissoluere: ipsum autem ænigma erat huiusmodi: *Quæcunque cepimus, reliquimus: quæ verò non cepimus, habemus.* Vide Plutarc. in vita Homeri.

HESIODVS Poëta, paulò præcessit Homerum, imò & coætaneus eius, & sanguine illi iunctus fuisse perhibetur. Certè Herodotus scribit Hesiodum atque Homerum 400. non amplius annis ipsum præcessisse: extitit autem Herodotus circiter annum mundi 2520. & ante Christum natum 1442. erat Hesiodus ex Ascra, vico Bœotiæ, vnde & Ascræus dictus. Hic primus ac princeps omniũ, de agricultura versibus scripsit, quem imitatus est Verg. in Georgicis. Scribebat in Bœotia Helladis, vt inquit Plin. lib 18. cap. 24. de eius morte misera, cúrque à Locrensibus quibusdam adulescentibus sit occisus, vide Plutarc. in conuiuio septem sapientum.





SAMVEL, Elcanæ filius ex Anna, iudicauit populum Iſraël poſt Heli, anno mundi 2878. ante Chriſtum natum 1084. Hunc filium mater diu ſterilis, precibus à Deo impetrauit, quem etiam Deo obtulit. Arcam Dei reducunt Philiſthini, quam tempore Heli ceperant: iudicauit Samuel annos 11. iuxta Hebræos, puta vſque ad Saul, primum regem. Senex factus Samuel, conſtituebat filios ſuos Ioëlem & Abiam iudices in Iſraël, qui cùm non ambularent in viis Patris, ſed declinarẽt ad auaritiam & munera, peruertentes iudicium, maiores natu Iſraël petierunt à Samuele regem, qui iudicaret more gentium cæterarum. Itaque Saul à Samuele vngitur in regem, præcipiente Domino. 1. lib. Reg. cap. 1. 2. & 3. ad 9. vſque cap. Ioſeph. lib. Antiq. 5. cap. 15. & ſequen.

SAVL filius Cis, de tribu Ben-iamin, vnctus eſt in regem primum Iſraëlitarum, eodem anno quo Samuel filios ſuos conſtituerat iudices: nempe anno mundi 2889. ante Chriſtum natum 1073. Erat Saul altior vniuerſo populo à capite ad humeros, quem videns populus clamauit, *Viuat Rex.* Ammonitas & Philiſthæos vicit. At contra præceptum Dei, non expectato Samuele, ſacrificans, abiicitur à Deo: item contra præceptum Dei victis Amalecitis, regem eorum Agag & prædam reſeruauit: filiam ſuam Michol Dauidi in vxorem dedit. Tandem victus à Philiſthæis, ne viuus in manus eorum veniret, à quibus occideretur, ſeipſum propriis manibus interfecit. Vide 1. libr. Reg. à fronte ad calcem. hunc lib. ſunt qui vocent 1. Samuelis. imperauit Saul annis duobus. Ioſep. lib. 6. cap. 4. & ſequen.





DAVID filius Ieſſe(Ieſſe vocabatur quoque Iſaï)regnauit ſuper tribum Iuda in Hebron, anno mundi 2891. ante Chriſtum natum 1071. quo tempore etiam Isboſeth conſtituitur Rex ſuper Iſraëlem,regnauit autem Dauid ſuper Iudã & Beniamin in Hebron ſeptem annos, & ſex menſes: præterea ſuper alias decem tribus, & ſuper totum Iſraëlem annos 33. Hic cùm gregem patris paſceret, leonẽ & vrſum apprehenſo mento occîdit:quare nec diffidit adfuturum ſibi Dei auxilium aduerſus Goliath:igitur lapide funda iacto,gigantem interfecit.Propheta Nathan eum homicidij arguit. Præterea propoſuit ei Deus per Gad Prophetam tria pœnarum genera,quòd populum numeraſſet:aut ſeptem annorum famem,aut trium menſium perſequente hoſte,fugam,aut trium dierum peſtilentiã: vltimum elegit, inquiẽs melius eſſe vt in manus Domini incideret. tunc vſque adeò ſæuiit peſtis vt 70000. virorum hac lue perirent, ad ædificationem templi populũ & Salomonẽ filium hortatus, deſcriptionem ac neceſſaria ad ædificationem dedit.annos natus 70.moritur,ac ſepelitur in Beth-lehem.2. lib.Reg.11. cap. & ſequen.Ioſeph.lib.Antiq.6.cap.10.& ſequentibus.

SALOMON filius Dauid ex Beth-ſabea, incipit imperare in Iſraël anno mundi 2931. ante Chriſtum natum 1031. Hic ſapientiam à domino poſtulauit,& impetrauit.habuit ad ædificationem tẽpli 70000.qui onera portarent,latomorum 80000. præpoſitorum 3300. locutus eſt 3000. parabolas,fuerunt carmina eius 5000. annuus reditus eius erat 666.talentorum auri, excepto vectigali, valebâtque talentum auri ad 5000. aureorum. mira potes legere à cap.4.li.3.Reg.ad 10.item apud Ioſep. lib.8. vxores habuit quaſi reginas 700. & concubinas 300. quæ cùm ex gentibus eſſent, vt eis gratificaretur, ad idololatriam deflexit:quare decem tribus à filio ſuo ablatæ. regnauit annos 40.





ROBOAM filius Salomonis ex Naama Pharaonis filia, mortuo patre regnauit ſuper filios Iſraël qui habitabant in ciuitatibus Iuda, anno mundi 2971.ante Chriſtum natum 991. nam decem tribus ad Ieroboam defecerant.Hic Roboam ſpreto ſenum conſilio, iuuenum conſilium amplexatus eſt, ſuperbiſſimè reſpondens populo qui tributorum imminutionem poſtulabat:quamobrem deſciuerunt ab eo decem tribus. ipſe autem 80000. virorum congregauit ex tribu Iuda & Ben-iamin, vt ſub iugum eius qui filius & hæres Salomonis erat,mitterent has decem tribus quæ ad Ieroboam defecerant: ſed vt ne pugnaret prohibuit Dominus, dicens à ſe factū eſſe iſtud, quemadmodum per Ahiam Prophetam prædixerat. Vide 3. Reg.11. 12.13.14.cap.& 2.Paralipomen.10.11.12.cap. Ioſeph.lib. Antiquit. 8.cap.7. & 8.regnauit annos 17. cui ſucceſſit filius, nomine Abia, ſiue Abiam.

SESACH rex Ægypti, aſcendit in Ieruſalem, & tulit theſauros domus Domini,& theſauros regios & vniuerſa diripuit, anno quinto regni Roboam. habebat Seſac in exercitu 1200. currus, equitum 60000. Vide vt ſupra.







AHIAS Silonites, Propheta, prædixit ipſi Ieroboam decem tribuum ad ſe defectionem : nam apprehendens pallium ſuum nouum quo opertus erat ipſemet Ahias, ſcidit illud in duodecim partes : & ait ad Ieroboam, Tolle tibi decẽ ſciſſuras: hæc enim dicit Dominus Deus Iſraël : *Ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* Vide 3. lib. Reg. cap.11. Ioſeph.lib.Antiquit.8.cap.7.

IEROBOAM filius Nabat regnauit in Iſraël ſuper decem tribus, eodem anno quo Roboam imperauit duabus tribubus, Iudæ ſcilicet ac Ben-iamin, nempe anno à mundo condito 2971. ante Chriſtum natum 991. Hic Ieroboã fecit duos vitulos aureos ad retinendum populum ne aſcenderet, adorandi gratia, in templum Ieroſolymitanum, & ne hac fortè via deficeret ad regem Roboam, qui Ieroſolymis imperabat. Sic falſa religione propter ambitionem & regnandi libidinem, populum imbuit, nam adorandos hos vitulos palàm exhibuit, clamans : *Nolite vltrà aſcendere in Ieruſalem, ecce Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Hic manum in Prophetam extendit, & aruit, nec potuit eam rex ad ſe retrahere: at verò orante Propheta, reſtituitur in integrum manus arida. Tandem à filio Roboam, Regis Iudæ, vincitur. Rexit Iſraëlem annis 22. ſucceſſit Nadab filius eius. Vide 3.lib. Reg.cap.11. 12. 13. 14. Ioſeph. lib. Antiq.8. cap.8. 9. 11.







ABIA, ſeu Abiam, filius fuit Roboam, ex Maacha filia Abeſſalom,& ſuccesſit patri in regno Iudæ, anno mundi 2988. ante Chriſtum natum 974. Hic prauum ſe, ac paternorum veſtigiorum æmulum præſtitit:orantibus tamen Deum ſuis militibus, vicit ipſum Ieroboam. tunc corruêre 50000. virorum fortium ex Iſraël, confoſſi à viris Iuda. Nam diuiſæ erant duodecim tribus Hebræorum in duo regna, Iudæorum, & Iſraëlitarum:præerátque rex Iudæorum duabus tantùm tribubus,videlicet tribui Iudæ,& Ben-iamin:Rex verò Iſraëlitarum imperitabat reliquis decem tribubus. Rexit itaque Abia Iſraëlem tribus ferè annis 3.Reg.15.cap.& 2.lib.Paralip.cap.13.Ioſeph.lib. Antiq.8.cap.11.

ASA, filius Abiæ, ſucceſſit patri in regno Iudæ, anno 20. regni Ieroboam regis Iſraël, imperauítque annos 41. Fuit Aſa rex pius in Deum & homines, ſubuertit altaria peregrini cultus, confregit ſtatuas, lucos ſuccîdit: & præcepit Iudæ vt quæreret Dominum Deum patrum ſuorum,legi diuinæ parêret,& vniuerſa mandata impleret. Habuit de tribu Iuda 300000.de Beniamin autem 250000. militum virorum fortiſſimorum. Egreſſus eſt contra eos Zara rex Ethiopum cum decies centenis hominum millibus: hos implorato diuino auxilio, fugauit Aſa: fugatos,internecioni dedit. Poſt hæc iniit fœdus cum Benadab rege Syriæ,timens Baaſa regem Iſraël: quare à Propheta Hanani corripitur, quem in neruum miſit. Deinde dolore pedum grauiſſimo laborans, cùm iam multos occidiſſet, opem medicorum potius quàm Dei quæſiuit. 3.Reg.15.cap.2. Paralip. 14.& 15.Ioſep.lib.8.cap.12.





NADAB filius Ieroboam ſucceſſit patri in regno Iſraël, anno ſecundo regni Aſa, Regis Iuda: hic impius, genuina patris proles, non diu imperauit: occiſus eſt à Baaſa anno tertio Aſa Regis Iudæ:& regnum eius occupauit homicida ille Baaſa. Vide tertium librũ Regum,cap.14. & 15.imperauit anno à condito mundo 2992. ante Chriſtum natum 970.

BAASA occiſo Nadab,regnauit ſuper Iſraëlem annos 24. homicidio regnum aſſecutus, homicidia iterum perpetrauit: nam omnem familiam Ieroboam interfecit. fuit huic bellum cum Aſa, nam aſcenderat Baaſa in Iudam, & Rama muro cingebat, vt ne quis à regno Iudæ in regnum Iſraël penetrare poſſet: quamobrem perterrefactus Aſa, miſſis muneribus opem Ben-adab Regis Syriæ implorauit: vti dictum iam à me ſupra eſt in Aſa. Tandem Iehu prædixit ipſi Baaſæ ſui ipſius ſuorúmque ruinam ob idololatriam,ſicuti familiæ Ieroboam. ſucceſſit Baaſæ Ela filius. incepit regnare Baaſa anno mundi 2992.ante Chriſtum natum 970. nempe eodem anno de quo ſupra in Nadab. Vide lib.3.Reg.15.& 16.cap.Ioſeph.lib. Antiq.8.cap.12.







ELA filius Baaſæ, defuncto patre imperat Iſraëlitis anno mundi 3015. ante Chriſtum natum 947. nempe anno 26. Aſæ Regis Iudæ: & anno 27. eiuſdem ebrius occiditur à Zambri, duce mediæ partis equitum huius Regis Elæ. Itaque Zambri regnum inuadens occidit omnem familiam Baaſæ: quod cùm reſciuit populus, conſtituit ſibi alterũ Regem nomine Ambri, qui obſedit Zambri in Therſa. Porrò cùm videret Zambri expugnandam eſſe ciuitatem, ingreſſus palatiũ ſuccendit ſe cum domo regia: ſic tyrannide regnum aſſecutus, ſeptimo etiam die tyrannidem in ſemetipſum exercuit. Vide lib.3.Reg.cap.16.

AMRI (Ioſephus Amarin vocat) Iſraëliticum regnum adminiſtrauit anno mundi 3016. ante Chriſtum natum 946. nec verò neſciendum eſt, poſt Zambri diuiſum fuiſſe populum in duas partes, altera fauebat Thebni, altera Amri: hæc contentio durauit ad aliquot annos: tandem præualuit pars quæ elegerat Amri in Regem, & mortuus eſt Thebni: ſic confirmatum eſt regnum ipſi Amri, cuius regno etiam adduntur anni huius diſſentionis: nam dicitur imperaſſe in Iſraël annos duodecim. Hic montem Samariæ emit à Somer (Samarũ vocat Ioſephus, à quo Samaria dicta) duobus talentis argenti: illic ædificauit Samariam, regnı́que ſedem conſtituit, ſex annis in Therſa egit reliquos in Samaria. Vide lib.3.Reg.cap.16.& Ioſep.lib.Antiq.8. cap.12. Succeſſit ei filius etiam impius Achab.







ACHAB regnauit in Iſraël anno 38.regni Aſa Regis Iudæ: hic erat annus mundi 3027.ante Chriſtum natum 935. tenuit Achab principatum in Samaria annis 22. omnes priores Reges impietate ſuperauit: duxit vxorem Iezabel Regis Sidoniorum filiam: & poſuit aram Baal in templo Baal, quod extruxerat in Samaria, ipſúmque Baal adorauit. Prædixit ei Propheta Elias famem, quæ tres annos durauit. poſthæc occurrit Achab Eliæ, cui dixit: *Túne es ille qui conturbas Iſrael?* reſpondit Elias: *Non ego turbaui Iſrael, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis madata Domini, & ſecuti eſtis Baal.* Deinde miraculo facto in holocauſto Eliæ, eiuſdem Eliæ iuſſu ſacerdotes Baal impoſtores interficiuntur, erant autem 450. Achab ſemel atque iterum prælio vicit Ben-adab: tertiò contra eundem pugnans mutata etiam veſte, ſagitta fortuitò ad mortẽ vulneratur. 3.Reg.16.cap.& ſeq. Ioſep.lib.Antiq.8.cap.12.& 13.

IEZABEL filia Eth-Baal Regis Sidoniorum, vxor fuit huius ſupradicti Acab. Impia hæc Pſeudoprophetis Baal fauens, Eliæ mortem minitata eſt: quod cùm reſciret Elias, aufugit. præterea ipſi Naboth mortem machinata eſt, qui lapidibus eſt obrutus, quòd falſis teſtibus conuiciſſet ipſa Iezabel, eum Deo ac Regi maledixiſſe. occaſio autẽ inde manarat, quòd vineam, patrum ſuorum hæreditatem, Regi Achab non permiſiſſet Naboth. Vide lib.3.Reg.19. & 21.cap.& Ioſeph.lib. Antiq.8. cap.13. Hæc iuſſu Iehu de feneſtra præcipitata eſt, in Iezrahel: cùm, audiens aduentum eius, ornaſſet ſe, ac fuco faciem deliniuiſſet: aſperſúſque eſt ſanguine paries, & equorum vngulæ conculcauerunt eam: iuſsítque eam ſepeliri Iehu, quòd filia Regis eſſet: at cùm ſepelirent eam, non inuenerunt niſi caluariã, & pedes, & ſummas manus, iuxta prædictionem Eliæ, 4.Reg.9.





ELIAS Thesbites, Propheta fuit clarissimus : floruit temporibus Achab & Ochosiæ, Regum Israël. Vir quidem fuit pilosus, zonáque pellicea accinctus renes: zelo maximo erga Dei cultum affectus, varia edidit miracula quæ vulgatissima sunt (siquidem gratia apud Deum maxima valuit) nam quid commemorem vt in solitudine pastus sit à coruis, deinde ab Angelis? vt pluuiam impetrarit? vt pseudo prophetas increparit, ac interfecerit? vt Quinquagenarij duo, cum suis militibus, ad comprehendendum eum ab Rege Ochosia, filio Achab, missi, igne cælitus demisso, subitò consumpti fuerint? vt aquas fluuij Iordanis pallio suo percussas diuiserit? vt denique per turbinem in cœlum raptus fuerit curru & equis igneis? Legat qui volet 3. lib. Regum à cap. 18. ad finem vsque. Eccle. 48. cap. Iacob. epist. cap. 5. item Ioseph. lib. Antiquit. 8. cap. 12. & sequentibus capitibus.

ELISEVS filius Saphat, iubente domino vnctus est ab Elia in Prophetam, nempe vt succederet ipsi Eliæ, eíque ministraret. arantem Eliseum reperit Elias: sic ex agricolatione ad Prophetiam vocatur. Hic petiit sibi dari spiritum Eliæ duplicem: filium hospitæ suæ mortuum suscitauit: Naaman Syrum à lepra curauit, præmiáque recusauit. Vitam eius, ac miracula multa quibus claruit, hoc loci non est instituti mei persequi: amplius nosse qui cupit, legat lib. 4. Regum à 1. cap. ad 14. Porrò id minimè silentio prætereundum est, quod scribitur in lib. 4. Reg. cap. 13. in hæc verba: *Quidam sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisei: quod cùm tetigisset ossa Elisei, reuixit homo, & stetit super pedes.* Vide etiam Iosephum lib. Antiq. 9. cad. 8.





IOSAPHAT filius Aſa, regnare cœpit ſuper Iudam anno 4. Achab, regis Iſraël: hoc eſt anno mundi 3031. ante Chriſtum natum 931. annorum erat 30. cùm regnare cœpiſſet, & 25. annis regnauit: pietatem coluit, patris Aſæ genuinam prolem ſe præſtitit. Claſſem parauit quæ nauigaret in Ophir ad aurum inde auehendum. Philiſthæi munera ei afferebant, & vectigal argenti: Arabes quoque adducebant pecora ampliſsima. ædificauit in Iuda domos ad inſtar turrium, vrbéſque muratas. Tertio regni anno miſit qui circuirent cunctas vrbes Iuda, atque docerent populum, geſtantes librum legis Domini. Conſtituit iudices in ſingulis vrbibus, quibus dixit: *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Dei: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit.* Inſurrexerunt in eum Ammonitæ & Moabitæ, qui in ſemetipſos verſi, mutuis concidêre vulneribus: ampla ſpolia lêgit Ioſaphat. Vide 3. lib. Reg. cap. 22. & 2. lib. Para. cap. 17. 18. 19. & 20. & Ioſeph. lib. 9. cap. 1.

IORAM filius Ioſaphat, ſucceſſit patri. Hic omnes fratres ſuos occidit, & quoſdam de primoribus Iuda. Athaliam (Gotholiam vocat Ioſep.) vxorem duxit, filiam Amri, quæ illum ad cultum idolorum adduxit: quare allatæ ſunt ei literæ à Propheta quodam, quæ vltionem diuinam ei prædicebant, quòd imitatus eſſet Achab, & quòd fratres ſuos meliores ſe, occidiſſet, & declinaſſet à pietate Ioſaphat patris ſui. Suſcitauit ergo Deus Philiſthinos & Arabes, qui terram Iuda vaſtarunt, domum Ioram diripuerunt, filios eius occiderunt, præter Ioachas minimum natu. Regnauit Ioram tres annos vnà cum patre, & 4. poſt patrem: ſucceſſit filius eius Ochoſias. fuit alter Ioram filius Achab, rex Iſraël, de quo pa. ſequent. hic verò rex Iudæ. Vide vt ſupra.





OCHOSIA filius Achab, regnare cœpit ſuper Iſraëlem in Samaria anno mundi 3049. ante Chriſtum natum 913. Hic impius, prauus,& vtrique parenti perſimilis extitit:atque æger ex lapſu, miſit conſultum Deum Accaron, an conualeſceret: reuertuntur nuntij,dicentes occurriſſe ſibi hominem piloſum, renibus accintum zona pellicea, qui dixerit vt reuerterentur, renuntiaréntque minimè conualiturum. Ochoſias Eliam eſſe qui nuntios impediuiſſet ratus, miſit ad eum Tribunum cum quinquaginta militibus,vt eum adducerent,quos omnes ignis cœlitus demiſſus, conſumpſit: cùm totidem iterum miſiſſet Ochoſias,eodē fato correpti ſunt: Tribunus autem qui tertius miſſus eſt,ſupplex Eliam deprecatus eſt: qui Elias, ab Angelo præmonitus, cum hoc Tribuno ad Ochoſiam perrexit. Tandem ab Elia increpatus eſt Ochoſias, apud quem idipſum locutus eſt,quod per nuntios primùm prædixerat. Itaque ex hac infirmitate obiit, nullis relictis liberis: quare ſucceſſit ei frater ſuus Ioram. Vide 3.Reg.22.cap.& 4 Reg.1.cap. item Ioſeph.lib. Antiq.9. cap.2. regnauit annos duos. Fuit alter Ochoſias filius Iorā Rex Iuda,cuius infra meminero:hic verò Rex fuit Iſraël.

IORAM frater Ochoſiæ, & filius Achab, ſucceſſit prædicto Ochoſiæ fratri ſuo in regno Iſraël, regnauítque in Samaria duodecim annis. Huius temporibus Rex Syriæ Ben-adab obſedit Samariam, vbi fames magna inualuit, adeò vt venundaretur caput aſini octoginta argenteis. Vide 3. lib. Reg. cap.20. Item Ioſeph. lib. Antiq 9. cap.4. huic ſucceſſit Iehu. Fuit quoque alter Ioram filius Ioſaphat, de quo ſupra, Rex Iuda: hic autem Rex Iſraël.





OCHOSIAS filius Ioram Regis Iudæ, non autem eius Ioram qui fuit Rex Iſraël,ſucceſſit patri in regno Iudæ anno 12. Ioram filij Achab Regis Iſraël.annos natus erat 20.cùm regnare cœpiſſet,& imperauit Ieroſolymis anno tãtùm vno, qui erat annus mundi 3060. ante Chriſtum natum 902. Impiè egit, ſecutúſq; eſt domum Achab: iniit ſocietatem cum Ioram filio Achab,de quo ſupra proximè mẽtionem feci: & cum eo geſſit bellum aduerſus Hazael, Regem Syrorum. Iſte Ochoſias iuſſu Iehu, qui in Regem vnctus fuerat, interfectus eſt. Vide lib.4. Reg 8.& 9.cap. item lib 2.Paral.22.ca. Fuit alter Ochoſias filius Achab,& frater Ioram,Regum Iſraël,de quibus ſupra mentionem fecimus,& nunc quoque commonefactum candidum lectorem voluimus.

ATHALIA, mater huius Ochoſiæ,cùm videret mortuum Regem filium ſuum, interfecit omne ſemen regium, præter paruulũ,nomine Ioas,filium huius Ochoſiæ Regis Iuda: quem Ioſaba,filia Ioram,Regis Iudæ, patris Ochoſiæ proximè ſupradicti, abſconderat. Athalia itaque vſurpauit regnum Iudæ, rexítque ſeptem ferè annos: nam hoc eodem anno ſeptimo Ioas vnctus eſt in Regem à Ioiada Pontifice, & occiſa eſt Athalia. Videto lib.4.Reg.cap.11.item Ioſeph.lib.Anti.9.cap.7.vbi hanc vocat Gotholiam. Cæterùm quatenus attinet ad annorum ſupputationem, Athalia hæc,vti apud Chronologos comperio, regnare incepit ſuper Iudam,anno à mundo condito 3061. ante verò Chriſtum ſeruatorem natum, 901. & imperitauit,vt prædixi, annis ferè ſeptem.





IEHV, Dux exercitus Ioram, Regis Iudæ, imperante in Iſraël Ioram filio Achab, & Ochoſia filio alterius Ioram in Iuda vnctus eſt in Regem Iſraël, regnauítque his duobus interfectis, anno mundi quo Athalia, de qua proxima pagina ſuperiore à nobis dictum eſt. Hic omnem domum Regis Achab exterminauit: Ioram Regem Iſraël ſagitta tranſuerberauit. Ochoſiam occidit, Iezabel præcipitari iuſſit. Conſulito lib. 4. Reg. ca. 9. & 10. & Ioſep. lib. Antiq. 9. cap. 6. Hic ſacerdotes Baal occidit, idolum, & templum ſuccendit, in quo loco cloacas fecit: nec tamen à peccatis Ieroboam receſſit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan. imperauit annos 28. & ſucceſſit ei Ioachas filius eius.

IOIADA ſummum obtinuit apud Iudæos Sacerdotium: hic Ioas Ochoſiæ Regis Iudæ filium, in regnum reſtituit, occiſa Atalia, quæ tyrannide regnum inuaſerat. pepigit Ioiada fœdus cum Ioas, quo fœdere Rex Ioas & ipſe populus polliciti ſunt obedire Deo, & populus etiam Regi. inito hoc fœdere, demoliti ſunt aras Baal, idola contriuerunt. & Mathan ſacerdotem Baal, occiderunt, etiam coram altari. Vide li. 4. Reg. cap. 11. nihilominus tamen mortuo Ioiada, Ioas ipſe ad idololatriam deflexit. Vide lib. 2. Paral. 24. cap. & Ioſep. lib. Antiq. 9. cap. 7.







IOAS, filius Ochosiæ Regis Iudæ, a nno 7. regni Athaliæ matris, qui erat annus mundi 3067. ante Christum natum 895. à Ioiada pontifice vngitur in Regem Iudæ. De hoc superiori pagina in Athalia dictum est, quòd à Iosaba filia Ioram, sorore Ochosiæ absconditus sit, ne interficeret eum Athalia. hic magnam vim pecuniæ misit ad Regē Syriæ, vt recederet: nam cum exercitu pugnabat contra Iudæos. Templum Domini instaurauit, pius ipse in Deū & homines. At verò mortuo Ioiada Zachariam Prophetam filium Ioiadæ interemit, beneficiorum Ioiadæ immemor, aut ingratus peccatum vltio secuta est, nec diu moram traxit: nam elapso vix anno ascendit contra Ioas exercitus Syriæ, venitque in Iudam & Ierusalem: primores occiderunt, prædas abegerunt. Denique insurgentes etiam serui in ipsum Ioas, eum occiderunt in lectulo suo, in vltionem sanguinis Zachariæ filij Ioiadæ. 4. Reg. 11. & 12. cap 2. Paralip. 24. & 25. Ioseph. lib. 9. cap. 7. & 8. imperauit annos 40. fuit alter Ioas, filius Ioachas filij Iehu, Rex Israël.

AMASIA filius Ioas, successit patri in regno Iudæ anno mundi 3107. ante Christum natum 855. is erat annus secundus regni Ioas, filij Ioachas Regis Israël. Hic vindex fuit paternæ cædis, in eos qui homicidium perpetrarant: non autē in filios eorum. Idumæos vicit, decem millibus occisis & totidem præcipitatis. Posthæc deos Idumæorum adorauit: quare indignatus Dominus tradidit eum in manus supradicti Ioas, & occisus est anno regni sui 29. 4. Reg. 13. & 14. 2. Paralip. 25. item Ioseph. lib. Anti. 9. ca. 9. successit ei Ozias, qui & Azarias dictus est.





SICHÆVS, Didonis auũculus & vir, Herculis Sacerdos fuit, qui honos ſecundus à rege erat. Hic opes non tectis, ſed terræ crediderat, quam rem etſi homines ignorabant, fama tamen loquebatur: qua incenſus Pygmalion, Didonis frater, hunc ſacrificiis intentum interfecit, cuius meminit his verſibus Vergilius.

Huic coniux Sichæus erat, ditiſsimus agri
Phœnicum: ſed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, ſcelere ante alios immanior omnes,
Quos inter medius venit furor: ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clam ferro incautum ſuperat.

Vide Iuſtin. lib. 18. & Vergil. lib. Ænei. 1. & 4.

DIDO Beli Phœnicum ſeu Tyriorum Regis filia, Pygmalionis ſoror, ac Sichæi vxor, occiſo marito, aſtu vſa in Africam nauigauit, cum theſauris quibus inhiauerat Pygmalion. Carthaginem condidit anno mundi 3076. ante Chriſtum natum 886. ab ædificatione templi Salomonis 143. iuxta Ioſephum libro primo contra Apionem. huius caſtitas, cui notam inurere tentauit Vergilius, eximiè laudatur à Boccacio, atque etiam ab Auſonio: ſiquidem emori maluit quàm cum Hiarba Rege ſecundis nuptiis coniungi. hæc proprio nomine Eliſa dicta eſt, Dido autem cognominata à rerum magnitudine, quaſi virago. Culta eſt vt Dea, templis, aríſque eius nomini dicatis. Vide Iuſtin. lib. 18. Boc. lib. 2. de caſibus illuſtr.





IOACHAS filius Iehu,regnauit ſuper Iſraëlem in Samaria anno 23.Ioas filij Ochoſiæ Regis Iudæ,qui erat annus à mundo condito 3089.ante Chriſtum natum 873. Hic ſecutus eſt impietatem Ieroboam filij Nabat,& peccare fecit Iſraël: quare iratus Dominus tradidit Iſraëlitas in manu Hazael Regis Syriæ, & Ben-adab filij ipſius Hazael. imperauit annos 16. & ſucceſsit ei Ioas filius eius.Conſulito li.4.Re.ca.13. item Ioſephum li.Antiquitatum 9.cap.8.

IOAS, filius Ioachas,mortuo patre regnauit ſuper Iſraëlem anno mundi 3105.ante Chriſtum natum 857. Hic impiè egit, nec declinauit ab omnibus peccatis Ieroboam: recuperauit vrbes de manu Ben-adab,filij Hazael, quas iure belli de manu Ioachas patris ſui ille abſtulerat: & tribus vicibus eum vicit: quinetiam contra Amaſiam Regem Iuda pugnauit, quem & cepit,& templum Domini diripuit: reuerſus tandem in Samariam, obiit: & ſepultus eſt in Samaria cum regibus Iſraël. Succeſſit ei filius ſuus Ieroboam. Vide 4.lib.Reg.13.& 14.cap. item Ioſeph. lib. Antiq.9. cap.10. imperauit hic Ioas annos ſedecim. fuit & alter Ioas filius Ochoſiæ & Athaliæ,de quo à me dictum eſt ſupra, pagina ab hinc tertia.








LYCVRGVS apud Lacedæmonas leges ſanxit, imperante Latinis Aremulo, circiter annum mundi 3090. ante Chriſtum natum 872. alij referunt ad annũ mundi 3181. ante Chriſtum natum 781. Primùm omnium 28. ſeniores inſtituit, qui Regibus aſſiſterent, & populari principatui repugnarent, rurſúſque populi iuribus aduerſus tyrannidem fauerẽt. Secundò agros æqualiter diuiſit. nummum aureum & argenteum ex vſu ſuſtulit: ferreum ſolum vtendum imperauit: priuatum luxum inhibuit. Cætera qui cupit noſſe, adeat Plutarchum in vita Lycurgi. Fuit oratione breuis: quas tradidit leges, finxit ſe ex Apollinis Delphici oraculo tenere, ne reiicerentur, quòd ſeueræ eſſent: indotatas iubebat accipi vxores, vt prolis non argenti gratia nuberent viri: tum vt ne puellæ pauperes, innuptæ relinquerentur. non inuentione legum magis quàm exemplo clarior extitit: ſiquidem nihil lege vlla in alios ſanxit, cuius nõ ipſe primus in ſe documenta daret. Iuſtinus multis in locis. Auguſt. de Ciui. Dei. lib. 2. cap. 16. & lib. 10. cap. 13. Plutar. in vita Lycurgi. Xenophon, in Athenienſium politia.

DIRCEVS, Athenienſis Poëta, deformis quidem, attamen tubæ inuẽtor fuit. Lacedæmonij etenim cùm reſponſum accepiſſent ab Apolline, non alio quàm hoc duce ſuperaturos ſe aduerſarios Meſſanos, hunc ducem elegerunt, qui in Campano agro clangore tubarum Meſſanos ita exterruit, vt animo conſternati, ac in fugã verſi, facilè victi ſint. Vide Mag. Elucida.







IEROBOAM filius Ioas Regis Iſraël, ſucceſſit patri anno 15. Amaſiæ filij Ioas Regis Iudæ, qui erat annus mundi 3120. ante Chriſtum natum 842. Hic quoque imitatus eſt impietatem Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſraël: reſtituit terminos Iſraël ab introitu Emath vſque ad mare ſolitudinis, iuxta ſermonem Domini, quem locutus eſt per Ionam filium Amathi Prophetam. 4. Reg. 14. cap. Ionas enim huic prophetauerat oportere vt Syros vinceret, & regnum proprium dilataret, in partibus quidem Aquilonis vſque ad Hemathi ciuitatem: à meridie verò vſque ad Aſphaltiten paludem, quod mare mortuum hodie vocatur. Vide 4. lib. Reg. cap. 14. & Ioſeph. lib. Anti. 9. cap. 11. imperauit annos 41. ſucceſſit ei Zacharias filius eius. Fuit etiam alter Ieroboã filius Nabat, cuius ſupra meminimus.

ZACHARIAS filius Ieroboam Regis Iſraël, ſucceſſit patri anno 38. Azariæ ſiue Oziæ Regis Iudæ, qui erat annus mundi 3161. ante Chriſtum natum 801. Hic impiè egit quemadmodum patres eius. Sexto imperij ſui menſe Sellum filius Iabes, aduerſus eum coniurauit: percuſsítque eum palàm, & interfecit, regnauítque poſt eum menſem vnum. Conſulito lib. 4. Regum 15. cap. Fuerunt ſanè alij Zachariæ, nempe Zacharias Propheta, filius Ioiadæ, qui à Ioa Rege Iuda occiſus eſt, 2. li. Paralip. cap. 24. fuit item alius Zacharias filius Barachiæ, qui populum monuit, vt conuerteretur ad Dominum. Zachar. 1. ca. præterea fuit & Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ, Lucæ 1. ca.







OZIAS, qui & Azarias, filius Amasiæ, constitutus est Rex Iudæ ab vniuerso populo, & in locum patris subrogatus annos tantùm natus sedecim. Cœpit itaque regnare viuo patre, anno mundi 3124. ante Christum natum 838. imperauit 52. annis: nempe 11. viuo patre, aduersus quem coniuratum fuerat: deinde 41. annos post patrem occisum. Hic initio pius, auxilióque diuino fretus, Philisthæos, Arabes, Ammonitas deuicit, tributarios fecit: ciuitatem Ierusalem restaurauit: tandem ex opulentia in superbiam lapsus, dum sacerdotis munus vsurpat, volens sacrificare atque adolere incensum super altare, dúmque sacerdotibus ipsum corripientibus minatur, in lepram incidit: atque à sacerdotibus è templo pellitur: mansitque leprosus ad obitum vsque. successit ei Ioathan. Vide lib. 4. Reg. 14. & 15. cap. & 2. lib. Paral. 26. cap. Item Iosep. lib. Anti. 9. cap. 11.

IOATHAN filius Oziæ seu Azariæ, Regis Iudæ, successit patri, eodem in regno, anno secundo Phaceæ filij Romeliæ Regis Israël: qui erat annus mundi 3176. ante Christum natum 786. Hic pietatem coluit: portam domus Domini excelsam ædificauit: vrbes quoque in montibus Iuda, & in saltibus castella & turres. pugnauit contra Regem filiorum Ammon, quem vicit, fecítque tributarium. imperauit annis 16. & successit ei filius eius Achas. Videto vt supra.







MANAHEN filius Gadi de Therſa, venit in Samariam, & interfecit Sellum, qui menſem vnũ imperauerat, poſtquam occiderat Zachariam Regem Iſraël. Itaque qui tyrannide imperium Iſraëlitarum inuaſerat, à tyranno quoque intra menſem oppreſſus eſt. Manahen igitur tyrannus, qui tyrannum interemit, regnum Iſraël occupauit anno mundi 3162. ante Chriſtum natum annis 800. Secutus eſt hic impietatem Ieroboam filij Nabat. Thapſam ciuitatem quæ nolebat eum intrò admittere, vſque adeò perſecutus eſt, vt prægnantes quoque eius vrbis ſcinderet. Poſthæc Phul Aſſyriorum rex Therſam obſedit: Manahen mille ei talenta argenti dedit. 4. Reg. 15. cap. imperauit annos decem. Ioſep. lib. Antiq. 9. cap. 11.

PHACEA filius Manahen regnauit ſuper Iſraël in Samaria anno 50. Azariæ ſiue Oziæ regis Iudæ, qui erat annus mundi 3173. ante Chriſtum natum 789. Hic quoque impiè egit, ſecutus veſtigia Ieroboam filij Nabat. coniurauit aduerſus eum Phacea filius Romeliæ dux eius, & percuſſit eum in Samaria, in turre domus regiæ, & cum eo 50. viros de filiis Galaaditarum, regnauítque poſt eum. Conſulito lib. 4. Reg. cap. 15. item Ioſep. lib. Antiq. 9. cap. 11. imperauit hic annos duos.








PHACEA, filius Romeliæ, tyrannide regnum Israël obtinuit, occiso Phacea filio Manahen, anno 52. Azariæ, siue Oziæ Regis Iudæ: qui erat annus mundi 3175. ante Christum natum 787. Hic quoque impius extitit, nec diuertit à peccatis Ieroboam filij Nabat. huius tēporibus Theglat-Phalassar Assyriorum Rex, totam Galaaditen regionem oppressit, ac cepit, incolas in Assyriam abduxit. Hoseas, siue Osee, tandem insidiis aggressus est hunc Phaceam, & interfecit eum, regnúmque eius inuasit, cùm iam ille viginti regnasset annos. Vide lib. 4. Reg. 15. cap. & Ioseph. lib. 9. cap. 11.

HOSEA filius Ela, regnauit in Samaria super Israëlem post Phaceam quem occiderat, anno mundi 3195. ante Christum natum 767. anno septimo regni sui, Salmanazar Assyriorum Rex, Samariam obsedit, Hoseámque tributarium fecit. At verò Hoseas dum rebellat, tributáque Assyrio recusat, & dum à Sua Rege Ægypti auxilium petit, à Salmanazare obsessus est, qui vinctum misit in carcerem: Samariam cepit, Israëlitarum regnum perdidit, decémque tribus abduxit: transferens Israël in Assyrios. Itaque ab electione impij Ieroboam filij Nabat, ad quem, post mortem Salomonis, defecerant decem tribus ab Roboam filio Salomonis, afflixit Israëlem Dominus, & tradidit in manus diripientium, ob præuaricationes, præcipuè ob idololatriam. Consule librum 4. Regum cap. 17. & Ioseph. lib. 9. cap. 15.







ACHAS filius Ioatham Regis Iuda, ſucceſſit patri in eodem regno anno mundi 3192. ante Chriſtum natum 770. hic non eſt ſecutus veſtigia patris ſui, ſed Regum Iſraël: impiiſſimus etiam filium ſuũ conſecrauit, transferens eum per ignem, ſecundum idola gentium. obſeſſus eſt à Phacea, & Raſi Rege Syriæ, nec ſuperatus eſt. Iniit ſocietatem cum Theglat-Phalaſar Rege Aſſyriorum, qui Raſim interfecit, in cuius gratiam ablato Dei cultu, diis Syriæ ſacrificauit: imperauit annos ſedecim, & ſucceſſit ei filius ſuus Ezechias. Vide lib.4.Reg.cap. 16.& Ioſep.lib.Antiq.9.cap.13.

EZECHIAS filius Achas ſucceſſit patri in regno Iudæ, anno mundi 3208.ante Chriſtum natum 754.hic pius veſtigia Dauid ſecutus eſt, diſſipauit excelſa, contriuit ſtatuas, ſuccîdit lucos, confregítq; ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes, ſiquidem vſq; ad illud tempus filij Iſraël adolebant ei incenſum. Affuit illi Dominus: nam rebellauit contra regẽ Aſſyriorum, & non ſeruiuit ei: Philiſthæos perſecutus eſt: anno ſexto regni ſui capta eſt Samaria à Salmanaſare, vt in Hoſea dictum à me eſt. Poſthæc Sennacherib Aſſyriorum Rex in Deum blaſphemus, Iudæam deuaſtauit, Ieruſalem obſedit, miraculo tamẽ diuinitus liberata eſt: ſiquidem Angelus Domini occidit vna nocte 180000.hominum in caſtris Sennacherib, qui inde receſſit. Deinde ægrotauit Ezechias, cui mortem prædixit Eſaias, attamen oratione & fletu obtinuit à Deo adiici vitæ ſuæ annos 15. ſignúmque ſanitatis ab Eſaia accepit in vmbra decem linearum, retrograda, in horologio ſuo. Merodac-Baladan Babyloniorũ rex, cùm accepiſſet morbo laborare Ezeciam, miſit ei literas & munera. imperauit annos 29. ſucceſſit ei filius Manaſſes. Vide 4.lib.Reg.18.19.& 20.cap.& Ioſep.lib.Antiq.9.& 10.





ROMVLVS Romanorum Rex primus, imperauit anno mundi 3212. ante Christum natum 750. filius fuit Rheæ Iliæ Vestalis, quem vnà cum Remo, vnico partu edidit, qui paruuli prope ripam Tyberis expositi, tamen à Faustulo ad Accã Laurentiam delati sunt: vbi adoleuerunt, collecta pastorum manu, Amulium interfecerunt, & Numitorem auum in regnum restituerunt, qui pulsus fuerat à fratre suo Amulio minore natu. Postea vrbẽ ædificant vbi fuerant expositi, quæ Roma dicta est à conditoris nomine Romulo: qui Remũ fratrem occidit, quòd ludibrio & quasi per contemptum Romuli, nouos transiluisset muros: cẽtum senatores creat Romulus, qui Patres ab honore, Patricij eorũ progenies appellati. 300. armatos ad custodiã corporis, quos Celeres appellauit, non in bello solùm, sed etiam in pace habuit. ex Sabinis & Rom. vnicam gentem fecit. post subactos Ceninenses, Antemnates, Crustuminos, Fidenates, Veientes, cum ad recensendum exercitum concionem in campo haberet, subitò orta tempestate, cum fragore & tonitribus, tam denso opertus est nimbo, vt conspectum eius concioni abstulerit tempestas, nec deinde in terris sit visus. imperauit annos 37. Vide Tit. Liu. li. 1. Diony. Halicar. lib. 2. & Eutro. lib. 1.

HERSILIA, vxor fuit Romuli, de qua Ti. Li. 1. deca. 1. De hac nonnihil fabulatur etiam Ouidius, ad calcem 14. lib. Metamorph. inquiens:

Flebat vt amissum coniux, cùm regia Iuno
Irin ad Hersiliam descendere limite curuo
Imperat: & vacuæ sua sic mandata referre:
O & de Latio, ò & de gente Sabina
Præcipuum matrona d cus, d gnißima tanti
Ante fuisse viri co iux, nunc ess Quirini,
Siste tuos fletus. &c.





SIBYLLA Erythræa, aliàs Heriphile, agebat, vt vulgatior est opinio, antequam à Græcis obsideretur Troia (quanquam Euseb. in Romuli tēpora referat) nam Apollodorus Erythræus suam esse ciuem affirmat, eámque Graiis Ilium petentibus vaticinatam, & perituram esse Troiam, & Homerum mendacia scripturum. At Strabo duas facit Erythræas Sibyllas: priscam nempe alteram, item alteram recentiorem, Athenain nomine, tempore Alexādri. Porrò Lactan. Erythræam Babylone natam esse ait, & se Erythræam appellare maluisse, quæ sola nomen suum carmini verū inseruerit: & à Græcis ac Latinis præcipua dicta sit. Vide Lactan. lib. 1. cap. 6. Diui. insti. & lib. de ira Dei, ca. 22. Fenestella legatos Erythras à Senatu Rom. missos esse refert, vt huius Sibyllæ carmina Romam deportarentur: & ea Coss. Curio & Octauius in capitolio (quod tunc erat curante Q. Catulo refectum) ponenda curarent. Erythræ autem vrbs est Asiæ minoris. Huic Sibyllæ hæc tribuitur prophetia:
In vltima ætate humiliabitur Deus, humanabitur proles diuina, iungetur humanitati diuinitas, iacebit in fœno agnus, & puellari officio educabitur Deus & homo. Vide lib. Sibyl.

SIBYLLA Samia, Herophila dicta, claruit in Samo insula, autorib. Euseb. Augu. & Cassiod. circiter annū mundi 3297. ante Christum natum 665. Eratosthenes in antiquis Samiorum annalibus se reperisse scribit, hanc dictam fuisse nomine Phyto. Vide vt supra. Hanc sic prophetasse ferunt:
Tu enim stulta Iudæa Deum tuum non cognouisti, ludentem mortalium mentibus, sed & spinis coronasti, & horridum fel miscuisti. Item, *Ecce veniet diues, & nascetur de paupercula, & bestiæ terrarū adorabūt eum.*





SALMANASAR Aſſyriorum Rex, magno comparato exercitu pugnauit contra Samariam quam cepit, Hoſeámque regem Samariæ tributarium fecit. poſt aliquot annos cùm nollet Hoſeas amplius tributum perſoluere, iterum venit in Samariam Salmanaſar, quam poſt tertium obſidionis annum cepit, ac decem tribus in Aſſyriam abduxit, anno nono rebellionis Hoſeæ. qui erat annus mundi 3213. ante Chriſtum natum 749. hunc finem habuit regnum Iſraël, quod 242. annos ſteterat, ſub 17. Regibus: ſi ſumas initium à morte Salomonis, & regno Ieroboam filij Nabat, ad quem defecerãt decem tribus, deſciſcentes à Roboam, filio Salomonis. Vide lib. 4. Reg. 17. & 18. cap. Ioſeph. lib. 9. cap. 15. De hoc Salmanaſare dictum à me ſupra eſt in Hoſea.

SENNACHERIB Aſſyriorum Rex, blaſphemus in Deum, per nuntios minatus eſt Ezechiæ Regi Iudæ, & populo, ſic exclamantibus nuntiis: *Audite verba Regis magni, Regis Aſſyriorum: hæc dicit Rex, Non vos ſeducat Ezechias, non enim poterit eruere vos de manu mea: neque fiduciam vobis tribuat ſuper Dominum, dicens, eruens liberabit nos Dominus, & non tradetur ciuitas hæc in manu Regis Aſſyriorum.* Poſtea Sennacherib, Iudæam vaſtauit, Ieroſolyma obſedit. At verò tandem ad preces Eſaiæ & Ezechiæ, Angelus Domini occidit vna nocte 180000. militũ Sennacherib, anno mundi 3221. ante Chriſtum natum 741. reuerſus itaque cum adoraret in templo Neſroch deum ſuum, Adramalech & Saraſar, filij eius occiderunt eum. Vide lib. 4. Reg. 18. & 19. cap. & lib. 2. Paral. cap. 32. & Ioſep. lib. Antiq. 10. cap. 1. & 2. De Sennacherib etiam mentionem feci in Ezechia.





MANASSES, Ezechiæ regis Iudæ filius, ſucceſsit patri in regno, anno mundi 3237. ante Chriſtum natum 725. impius hic ædificauit excelſa quæ diſſipauerat Ezechias pater eius, & erexit aras Baal, templum contaminauit, filios Diis immolauit: Ieruſalem innocentum ſanguine repleuit: quare iratus Deus ſuſcitauit Regem Babyloniæ qui Iudæam inuaſit, Manaſſen cepit, & vinctum catenis, & compedibus, duxit in Babylonem. In captiuitate autem agnoſcens Dominum reſipuit, pœnitentiam egit, atque regno reſtitutus idololatriam aboleuit, vitámque reliquam in Dei timore tranſegit. imperauit annis 55. Vide 4. lib. Reg. 21. cap. & lib. 2. lib. Paralip. cap. 33. item Ioſeph. lib. Antiq. 10. cap. 4. & 5.

ESAIAS in Ieruſalem nobili genere ortus eſt, ibíque prophetauit, & in Iudæa, necdum decem tribubus in captiuitatem ductis: ac de vtroq; regno nunc mixtim, nunc ſeparatim texuit oraculum: & cùm interdum ad præſentem reſpiciat hiſtoriam, & poſt Babylonię captiuitatem reditum populi ſignificet in Iudæam: attamen omnis eius cura de vocatione gentium, & aduentu Chriſti eſt: hic ſub Manaſſe Rege ſectus in duas partes occubuit. Conſulito lib. 4. Reg. 19. & 20. cap. & Ieronymum in Eſaiam.







CANDAVLES Lydorum Rex quartus, Lydis imperauit anno mundi 3248. ante Christum natum 714. Hic cùm vxoris suæ pulchritudinem omnibus prædicaret, quasi silẽtium damnum pulchritudinis esset, ad postremum Gygi sodali suo nudam demonstrauit: quo facto & amicum in adulterium vxoris illectum, hostem sibi fecit, & vxorem veluti tradito alij amore, à se alienauit. nam breui post tempore cædes Candaulis, nuptiarum præmiũ fuit. vxor mariti sanguine dotata, regnum viri, & se pariter adultero tradidit. Iusti. li.1. Scribit Herodotus libro primo Gygem, quanquam repugnans & inuitus nudam reginam conspexisset, ab ea accersitum, ab eadémq; hæc verba audiuisse: *Aut illum qui ista consuluit interire oportet, aut te qui nudam me es conspicatus.* Gyges vbi videt propositam sibi necessitatem aut interficiendi herum Regem, aut seipsum interfectum iri, elegit vt ipse superesset.

GYGES imperauit Lydis post Candaulem quem occidit, anno mundi 3265 ante Christum natum 697. postquam imperio potitus est, arma intulit Mileto & Smyrnæ, vrbémque Colophonem vi cepit. Herodotus lib.1. feruntur præterea nescio quæ fabulosa de equo æneo, in cuius lateribus essent fores, & de corpore hominis mortui intus clausi, qui anulum aureum in digito habebat, quem detraxit Gyges: qui huius anuli palam cum ad palmam conuerteret, à nullo videbatur (vt ferunt) itaque huius anuli ope stuprum Reginæ intulisse, Regem occidisse, nec in his facinoribus quenquã eum videre potuisse. sic repentè anuli huius beneficio Regem Lydiæ ipsum fuisse. Cice.3.lib.Offic.





NVMA-POMPILIVS ſecundus Romanorum Rex, imperat anno mundi 3250. ante Chriſtum natum 712. nam mortuo Romulo res ad interregnum rediit, cùm regerent Senatores annum integrum, creatis decem Decurionibus. Huic Tatius Sabinorum Rex filiam ſuam vnicam in vxorẽ dederat: qua defuncta, relicta ipſe Curia, in ſyluis degebat. ad principatum autem à Romanis poſt exceſſum Romuli euocatus, primò contradixit, mansítque diu in ſententia, repugnans ne ſuſciperet imperium. vbi verò cohortantes fratres, atque poſtremò pater, haud æquum cenſebant tantum honorem vltro oblatum repellere, vt Rex fieret conſenſit. Bellum nullum quidem geſſit Numa, ſed non minus ciuitati profuit quàm Romulus: nam legibus moribuſque Romanos formauit, qui conſuetudine præliorum iam latrones ac ſemi-barbari putabantur. Duos menſes anno addidit, Ianuarium, Februariumque: cùm ante hunc decem tantùm menſes apud Romanos fuiſſent: infinita Romæ ſacra, ac templa cõſtituit. morbo deceſsit 43. imperij anno. Regnante Numa, Glaucus primus ferri interſe glutinum excogitauit. Videto Titum Liuium li.1. Deca.1. & Dion. Halic. lib.2. & Eutropium lib.1.

ÆGERIA fuit Nimpha ſiue Dea, que fertur fuiſſe vxor Numæ Pompilij, ſaltem cum ea nocturnos ſe congreſſus habere cõminiſcebatur Pompilius, cuius etiã monitu quæ acceptiſſima diis eſſent ſacra inſtitueret. hanc fabulantur Poëtæ in fontem verſam. Vide Oui.li.3. de Faſtis, & li.15. Meta. & quos ſupra citaui autores.





AMON filius Manasse, successit patri in regno Iudæ, anno mundi 3292. ante Christum natum 670. impius hic vestigia patris etiam impij secutus est. Annorum 22. erat cùm regnare cæpisset, & duobus annis regnauit in Ierusalem. hic cunctis idolis quæ Manasses fuerat fabricatus, immolauit, atque seruiuit. coniurarunt aduersus eum serui sui, & interfecerunt eum in domo sua. Vide lib. 4. Reg. 21. cap. & lib. 2. Paralip. 33. cap. & Ioseph. lib. 10. cap. 4.

IOSIAS filius Amon, successit patri, regnauítque in Ierusalem annos 31. hic iustus, pius, Dauidis vestigia secutus, 12. anno regni sui mundauit Iudam & Ierusalem ab excelsis, & lucis, simulachrísque, & sculptilibus. aras Baalim, & simulachra quæ superposita fuerant, euertit: Templum instaurari iussit: reperit Helcias sacerdos librum legis Domini, qui datus fuerat per manum Moysis: congregato vniuerso populo in domo Domini legit Rex omnia verba libri huius: & stans pro tribunali percussit fœdus coram Domino, adiurauit populum, & celebrauit Phase Domino. Cæterùm dum pugnat cum Nechaone Rege Ægypti, qui missis nuntiis indicarat se non parasse bellum in eum, vulneratur sagitta, quo ex vulnere obit. luxerũt eum vniuersus populus, maximè Ieremias qui super eius morte carmen lamentabili modulatione conscripsit, quæ lamentationes vocitantur. Vide lib. 4. Reg. 22. & 23. cap. & lib. 2. Paralip. 34. & 35. cap. & Ioseph. lib. 10. Antiq. cap. 5. & 6.







TVLLVS Hostilius tertius Romanorum Rex, regnauit anno mundi 3293. ante Christum natum 669. Hic primus Romanorum purpura & fascibus vsus est: bella reparauit, fiducia bene exercitæ iuuentutis: Albanos vicit sexta congressione: Veientes, Sabinos, & Fidenates itidem. fœdere rupto, de Metio Suffetio supplicium sumit ob violatam fidem. Horatij Curiatios vicũt: Alba solo æquatur: ex Albanis & Romanis vnus fit populus. Tradunt voluentem Tullum Hostilium commentarios Numæ cùm quędam occulta solennia sacrificia Ioui Elicio facta inuenisset, operatum his sacris se abdidisse: sed non rite initum id sacrum esse: nec solùm nullam ei oblatam cœlestium speciem, sed ira Iouis solicitati praua religione, fulmine ipsum cum domo conflagrasse. Imperauit annos 32. ciuitatem auxit, adiecto Cœlio monte. hoc imperante Byzantium ciuitas condita est à Pausania Rege Spartanorum. Titus Liuius lib. 1. Decad. 1. Eutrop. lib. 1. Diony. Halicarn. lib. 3.

ANCVS Martius Numæ ex filia nepos, successit Tullo Hostilio anno mundi 3325. ante Christum natum 637. contra Latinos dimicauit, quos & vicit: Auentinum montem ciuitati adiecit, & Ianiculum. Pontem Subliciũ in Tyberi fecit. Ostiam ciuitatem supra mare 16. miliario ab vrbe Roma, condidit. Ptol. lib. 3. cap. 1. & Strab. li. 5. Huius temporibus Lucumo, cui nomen fuit L. Tarquinius Priscus, cum vxore Tanaquil Romam venit. Anno imperij 24. morbo perit Ancus, quo regnante Epidamnus est condita, quæ nunc Dyrrachium. Vide vt supra.





SIBYLLA Cumana, nomine Amalthea, à Suida Hierophile vocatur, eámque dicit libros 9. ad Tarquinium Priscum (alij Superbum scribunt) attulisse, ac pro eis 300. aureos postulasse, Regémque mulieris insaniam derisisse: illam coram Rege vnum combussisse, ac pro reliquis idem pretiũ postulasse: tum Regem multomagis hanc insanire putasse: quæ denuo altero exusto, cùm in eodem precio perseueraret, motũ esse Regem, ac residuum 300. aureis emisse. alij singulis vicibus tres combussisse scribunt: at Plin. tres tantùm libros attulisse scribit: duobus autem exustis, tertiũ superfuisse. Cæterùm tres residui libri in sacrarium conditi, Sibyllini dicti sunt: ac in Capitolio piè asseruati, à Quindecim viris consulebãtur, in rebus dubiis, laborante republ. permanserunt ad vsque bellum Marsicum. post verò 173. Olympiadem, tempore Marij incenso templo exusti sunt: alij tamen in eorum locum, iubente Augusto conquisiti, restituto Capitolio, repositi sunt. Hos quoque Stilico, concitaturus in Honorium generum seditionem, exussit. Est autem Cuma vnde hæc Sibylla erat, Æolicarum vrbium maxima & optima, in Asia minore. Vide Strab. lib. 13. Plin. lib. 13. cap. 13. Aul. Gel. lib. 1. cap. 19. Chronic. Naucler. genera. 52. Huius Sibyllæ hæc fertur prophetia:

Mortis fatum finiet, trium somno suscepto: tunc à mortuis regressus ad lucem lætam veniet, primus resurrectionis initium ostendens.

SIBYLLA Hellespontica, in agro Troiano nata est, vico Marpesso (vel Marmisso) circa oppidum Gergithium (vel Gergetium.) Hanc Heraclides Ponticus scribit Cyri fuisse temporibus. Huic hæc tribuitur prophetia:

De excelso cælorum habitaculo prospexit Deus humiles suos, & nascetur de virgine Hebræa in cunabulis terræ.





ZALEVCVS, vrbe Locrensium (quæ in Græcia est, vel in Calabria, vt alij volunt) à se saluberrimis legibus munita, cùm filius eius, adulterij crimine damnatus, secundum ius ab ipso constitutum, vtroque oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorem patris, pœnam adolescenti remitteret, aliquandiu repugnauit: tandem populi precibus victus, suo prius, deinde filij oculo eruto, vsum vtrique videndi reliquit. Ita debitum supplicij modum legi reddidit: æquitatis admirabili temperamento se inter misericordem patrem, & iustum legislatorem partitus. Videto Valer. Maxi. lib. 6. ca. 5. hic Zaleucus legumlator clarebat circiter annum mundi 3300. ante Christum natum 660. Hic attendat pius lector quàm diligenter obseruanda sint Christi mandata: cùm ethnicus hic tam mordicus suam obseruarit, ac inuiolatam retinuerit legem, vt nec oculo suo, quæ pars est corporis delicatissima, simul ac præstantissima, pepercerit. Porrò scribit Diog. Laër. Zaleucum edoctum fuisse à Pythagora, cuius postea meminerimus: qua in re non sat bene conuenit cum Chronica annorum supputatione, quemadmodum nec aliis aliquot in locis.

ARCHILOCHVS historicus qui scripsit de temporibus, & Simonides, item Aristoxenus Philosophus ac medicus, qui etiam complures libros de Musica scripsit, circa hæc tempora florebant. præterea iisdem his temporibus diruta est Alba-longa, quæ 487. annos durauerat.





IEREMIAS Propheta, puer adhuc vaticinari incepit anno 13. regni Iosiæ Regis Iudæ, qui erat annus mundi 3307. ante Christum natum 655. Hic in Iuda tantum & Beniamin prophetauit, iam enim decem tribus Israël Assyrij in Medos transtulerant: ciuitatis Ierosolymæ ruinas quadruplici planxit alphabeto. Anathothites dictus est à viculo tribus ab Ierosolymis milibus distante: hic sacerdos ex sacerdotibus, & in matris vtero sanctificatus est, & ad prophetiam segregatus, quam cùm detrectaret, causatus imperitiam, doctrinam, animum quoque à Deo accepit. Tandem apud Taphnas in Ægvpto, à populo lapidibus obrutus, occubuit. Vide D. Iero. in Ieremiam. Ieremiæ vitam ac vincula qui cupit amplius nosse, legat eiusdem prophetiam, item Ecclesiast. cap. 49. & 2. Machab. 2. & Iose. lib. Antiq 10. cap. 8. & sequentibus.

BARVCH Propheta, & Ieremiæ scriba fuit, qui librum Ieremiæ scripsit de futuris rebus ciuitati, populo & templo. fuit quoque Ieremiæ in carcere minister, & in exilio socius, nec eum vnquam deseruit. Prophetauit Baruch in Babylonia tempore captiuitatis Iudæ, prophetiámque suam legit coram rege Ioachin, qui & Iechonias dictus est. multa ac magna mysteria de incarnatione Domini ac de nouissimis temporibus prophetauit. Vide lib. Baruch. Ioseph. lib. Antiq. 10. cap. 8. & catalogum Sanctorum.





ELIACIM, qui & Ioacim, filius Iosiæ, cùm imperasset frater nomine Ioachaz annos tres post Iosiam, successit fratri, in regno Iudæ, anno mundi 3326. ante Christum natum 636. nam Pharao Nechao cùm venisset Ierusalem, vinxit Ioachaz, ac captiuum duxit in Ægyptum: constituítque in locum eius Regem hunc Eliacim fratrem eius super Iudam & Ierusalem: & vertit nomen eius vocauítque eum Ioacim: & cōdemnauit terram centum talentis argenti,& talento auri. Impiè egit Elia cim,ideo contra eum ascēdit Nabuchodonosor rex Chaldæorum, & vinctum catenis, vt captiuum traduceret Babylonem, interfici iussit: ad quam & vasa Domini transtulit, & posuit ea in templo suo. imperauit annos 11. Consulito li.4.Reg.23. & 24. cap.& lib.2.Paral.36.cap.& Iosep.lib.Antiq.10.cap.8.

IOACHIN, qui & Iechonias dictus est, filius fuit supradicti Eliacim:& successit patri,& regnauit tantùm tres menses, imitatus vestigia patris impij. Hic consulente Ieremia Propheta Nabuchodonosori se, cum omni familia dedidit, qui transtulit eos Babylonem,cum primoribus, cum militibus, ac artificibus captiuis ad decem millia: & suffecit Nabuchodonosor in locùm eius Mathaniam patruum eius, qui & Sedechias dictus est. Vide lib.4.Reg.24. & lib. 2.Paral.36.cap. & Ioseph. lib. Antiq.10.ca.9. Acta sunt hæc anno à mundo condito 3337.ante Christum natum 625. Post hanc 37. annorum captiuitatem, Euilmerodac, qui Nabuchodonozori successit, Ioachin in libertatem asseruit,qui paulo pòst genuit Mesezebel, cognomine Salathiel. Vide Iere.cap.32.& 52.& Philonem.





NABVCHODONOSOR magnus, qui ab Hebræis Nabucadnezer dicitur, imperauit Babyloniis anno 4. regni Eliacim Regis Iudæ: qui erat annus mundi 3329. ante Christum natum 633. Hic bellum cum Pharaone Necho siue Nechaone, gessit, vicit, & totam Syriam vsque Pelusium, Iudæa adempta, suæ ditioni adiecit: Ioachin seu Eleacim, Regem sibi tributariũ fecit, quem postea tributum recusantem, cepit, ligauit vt Babylonem duceret, attamen interim curauit interfici. Iterum Ierusalem tempore Sedechiæ obsedit, habens principem militiæ Nabusardan, filios Sedechiæ occidit coram eo, ipsúmque patrem exoculauit, vinctúmq; catenis abduxit Babylonem: templum succendit, ciuitate capta ac direpta. Tandem regno ob insaniam pulsus, cum feris septẽ annis in agro egit. Vide apud Danielem huius somnia de quatuor regnis mundi, item de aurea statua quam adorari iussit, vide Iosep. lib. 10. ca. 7. & sequen.

SEDECHIAS, qui & Mathanias, Iosiæ filius, imperauit Iudæis an. 11. à Nabuchodonosore suffectus in locum Ioachin, hac conditione vt tributum ei persolueret, verùm fidem illi fregit, spernens etiam consilia Ezechielis ac Ieremiæ. Quare anno regni eius nono Nabuchodonosor obsedit Ierusalem, quam post 2. an. cepit, Regémque cum populo in Babyloniã abduxit, anno mundi 3348. ante Christum natum 614. Hæc est illa misera, ac vulgata captiuitas Babylonica annorum 70. Vide lib. 4. Reg. 24. & 25. cap. & lib. 2. Paral. 36. cap. Ierem. 25. 37. & 52. cap. & Ezechi. 12. & 21. cap. & Ioseph. lib. 10. cap. 9. & 10. Sedechias filios occidi vidit, statímque ipsimet Sedechiæ eruti sunt oculi, vt supra dixi.





DANIEL Propheta vaticinabatur tempore Iechoniæ, & Ieremiæ. Hic à Nabuchodonoſore cum ſodalibus captiuus abductus eſt, anno mundi 3348. ante Chriſtum natum 614. Chaldæorum artes & linguam 3. an. didicit: Somnia Regis Nabucho donoſor expoſuit, & viſionem Baltaſaris. in lacum leonum con iectus, atque inde eductus eſt: Suſannam liberauit. De ſomnio 4. beſtiarum quæ 4. mundi regna ſignabant: vtque ei 70. hebdo. viſionem ediſſeruerit Gabriel Angelus, & pleraque alia qui cupit noſſe, legat huius Danielis librum, & Ioſeph. lib. 10. cap. 12. Hic inſtabat aſſiduis precibus apud Deũ, pro Nabuchodonoſore transformato, prædixítque vt formam & regnum recuperaret: quare indidit ei rex Nabuch. nomen Baltaſaris filij ſui: voluítque eum filiis cohæredem inſtituere, quod ille recuſauit. Vide Epiphan. Obiit Daniel in Babylone, & ſepultus eſt in ſpelunca regali, honorificè.

EZECHIEL Propheta tempore Ieremiæ, Baruch, & Danielis Prophetarum, extitit: hic adhuc puer cum aliis in Babyloniam captiuus abductus eſt, vbi prophetare incepit anno mundi 3349. ante Chriſtum natum 613. anno tamen ætatis ſuæ 30. ait Ieron. in Chaldæa prophetaſſe Ezechielem: tum cùm Ieremias in Iudæa. eius vide Prophetiam, & Ioſep. lib. Antiqui. 10. cap. 9. Et Eccleſiaſt. ca. 49. In Babylone iudicauit tribum Dan & Gad: prædixítque culpa earum, non reuerſurum populum Hieroſolymam, quoad reſipiſcerent: quare exacerbati diſtraxe runt eum equis per crepidines ſaxorum, & excerebrarũt eum, & ſepelierunt in ſepulchro Sem & Arphaxad. Vide chro. Guill.





TARQVINIVS Priſcus qui prius Lucumo, Romanorum rex quintus, imperauit Romanis anno mundi 3349. ante Chriſtum natum 613. apud Ancum Martium liberaliter dextréque obeundo officia, in familiarem venit amicitiam, vt publicis ac priuatis conſiliis bello, domíque intereſſet, & per omnia expertus poſtremo tutor etiam liberis Regis, teſtamento inſtitueretur. mortuo Anco, inſtituit hic vt quàm primum comitia Regi creando fierent, quibus indictis, ſub tempus pueros regios venatum ablegauit: & primus petiſſe ambitioſè regnum & orationem habuiſſe ad conciliandos plebis animos compoſitam fertur: maximè verò cùm Tatium Sabinum, etiam ex hoſte Regem factum diceret, ac inculcaret, populus eum regnare iuſſit. numerum Senatorum & equitũ duplicauit: Circum Romæ ædificauit, ludos Romanos inſtituit magnificos: Sabinos vicit: Latinos priſcos domuit: primus triumphans Romæ intrauit: muros & cloacas fecit: Capitolium inchoauit. Tandem à filiis Anci Martij, cui in regno ſucceſſerat, interfectus eſt 37. imperij anno. his temporibus Ieruſalem à Nabuchodonoſore capta ac euerſa eſt: & Maſſilia condita. Conſulito lib.1. Eutrop. Diony. Halicar. lib.3. Titum Liuium lib.1. deca.1.

TANAQVIL, Tarquinij Priſci vxor fuit, perita, vt vulgo Etruſci, cœleſtium prodigiorum mulier. Hæc cùm aquila ſuſpenſis demiſſa leniter alis pileum viri abſtuliſſet, rurſúſque velut miniſterio diuinitus miſſa, capiti aptè repoſuiſſet, hæc inquam, virum complexa, alta ſperare iuſſit. id ſiquidẽ factum eſt ipſis primò Romam ingrediẽtibus, antequam regnaret ipſe Tarquinius Priſcus. Vide vt ſupra.





SAPPHO Poëtria, Scamandronymi filia fuit, cuius ſapientiam admiratur etiam ipſe Plato: hæc tamen cùm vidua eſſet, ac filiam etiam ex viro diuite defuncto, Cleiden haberet, Phaonem perditè amauit: nam cùm ille in Siciliam diſceſſiſſet, & hæc ab eo ſe ſperni vereretur, ardens, amoríſque impatientiſſima, ſtatuit etiam capitis periculo furorẽ lenire, demiſſo in mare corpore ex leucade, Epiri promontorio. amicã etiam habuit Erinnam Poëtriam: de quibus græcum extat epigrãma in hunc ſenſum: Quãtò Erinnam in Lyricis Sappho, tantò Sapphus gloriam Erinna hexametris præcellit. Mitylenæi Sapphus imaginem nummis inſculpebant. Rhodig. lib. 9. cap. 24. & lib. 10. ca. 2. item lib. 14. cap. 1. Hæc carminis Sapphici inuentrix fuit, cui & nomen dedit: & decima Muſa dicta eſt, vnde Auſonius:

Lesbia Pieriis Sappho ſoror addita Muſis.

extat & Antipatri Sidonij diſtichon Græcum, in hunc ſenſum, Mnemoſynem matrem Muſarum cepit ſtupor, quãdo audiuit dulciſonam Sappho: nunquid decimam Muſam (inquit) habẽt mortales? Fuit ſanè in Lesbo altera Sappho, verùm meretrix, hæc autem Poëtria, tempore Tar. Priſci, de quo ſupra.

PANTHEA Abradatæ vxor fuit, forma & caſtitate præcellens: hæc à Cyro maiore capta, Araſpę Mœdo ſeruanda traditur, qui apud Cyrum affirmat nondum eſſe ortam hac pulchriorem: nec tamen eam adiit aut accerſiuit Cyrus, ne à rebus gerendis auocaretur: quare & ipſa id beneficij, nempe non attentatæ caſtitatis, rependens, virum Cyro reconciliat, animátque, & armat, vt ſtrenuè pro Cyro pugnet: attamen inter pugnandum occumbit: ínque demortui viri pectus impoſito hæc ſe iugulat capite: tres quoque ſpadones ſtantes vbi eos iuſſerat, quod factum erat intuiti, diſtrictis acinacibus ibi ſe iugulant. Xeno. lib. 7. in Cy. Pæ. & Rho. lib. 13 cap. 33.





THALES, primus ſapiens & Phyſicus Philoſophus vocatur circiter annum mundi 3325. ante Chriſtum natum 637. principe apud Iudæos Ioſia, apud Athenienſes Damaſia, apud Rom. Anco Mar. Sunt qui ad Ezechiam, & malè quidem, referant: nam attigit prima Cyri tempora, cum quo & congreſſus eſt: vixitque annos ferè centum. Euſe. lib. 10. præpa. Euang. Hic Mileti ciuis adſcriptus eſt, prophectus cum Neleo ex Phœnice, à Cadmo & Agenore originem trahens. Poſt reip. negocia ſeſe ad contemplandam rerum naturam tranſtulit. Sunt qui illum immortales animos primùm dixiſſe aſſeuerent: & ſolis curſum reperiſſe, & annum in 365. dies diuiſiſſe. huius hæ ſunt præcipuæ ſententiæ: *Parcè loqui prudentis animi indicium eſt. Quæ in aliis damnes, ipſe ne feceris. Amicorum præſentium & abſentium æquè memores eſſe debemus. Noli ditari nequiter. Quæ parentibus feceris, eadem ipſe à filiis expecta. Malè cogitans nedum malè agens, Deos haudquaquam latet. Difficile ſeipſum noſcere.* Diog. Laër. libr. 1. ſcribit æſtu ac ſiti eum in ſpectaculis exceſſiſſe. Volater. lib. 20.

CHILO Lacedæmonius, Ephororum ac ſapientum vnus, claruit tempore Thaletis, Solonis ac Æſopi, vt ait Plutar. in Solone. Huius hæ ſunt ſelectiores ſententiæ: *Periti ab imperitis bona ſpe differunt. Lingua ſemper, ſed in conuiuio præſertim continenda. Proximo non maledicendum, alioquin quæ nobis dolebunt audiemus. Nemini intentandæ minæ, id enim muliebre eſt. Damnum potius quàm turpe lucrum eligendum. Aurum cote examinatur, auro autem hominum mens.* Obiit Piſæ præ lætitia, quòd filius in Olympiis coronatus eſſet. Vide vt ſupra.





PITTACHVS Mitylenæus Melanchrum Lesbi Tyrannum profligauit: & cùm de agri cuiusdam possessione inter Athenienses & Mitylenæos decerneretur, Dux exercitus ipse cum Phrynone Atheniensium Duce singulari certamine pugnans,rete,quo clypeum texerat,Phrynonem dum non cauet, inuoluit,ipsóque perempto agrum seruauit anno mundi 3356. ante Christum natum 606. Hic decem annis principatum tenuit, dein sponte se magistratu abdicauit. Agri sibi traditi partem abscidit, dimidiúmque plus toto dixit: cum Crœso, sicut & Solon, pugnauit: cuius & pecunias recusauit, duplo plus quàm vellet, habere se professus. Ebrios duplici incommodo afficiendos statuit. huius hæ sunt inter alias sententiæ: *Perdifficile est bonum esse. Principatus virum declarat. Terra fidelis, mare infidum. Prudentis est priusquam aduersa contingant præuidere, atque occurrere: fortis verò cùm obuenerint, æquo animo ferre. Quod facturus es ne prædica, frustratus enim rideberis. Infelicitatem nemini impropera.* Fuit alter Pittacus legislator. Vide vt supra.

BIAS Prienæus, siue Prienensis, capta vrbe, cùm cæteri ita fugerent, vt de suis quisque rebus multa secum asportarent, & admoneretur vt idem faceret: ego verò inquit facio: nam omnia mea mecum porto: (non absimile respondit Demetrio Poliorceti Stilpo) hæc ludibria fortunæ ne sua quidem putauit, quæ nos appellamus bona. huius hæ feruntur sententiæ: *Infelix næ, qui infelicitatem ferre nequit. Morbus animi est impossibilia amare, & appetere, nec alieni incommodi meminisse. Indignum hominem diuitiarum gratia ne laudaueris. Quicquid boni egeris, in Deos refer.* Obiit suauè dormiens in sinu nepotis ex filia. Vide vt supra.





CLEOBVLVS Lindius, è ſeptem quoque Græciæ ſapientibus,cunctos ſuæ ætatis, viribus & forma antecelluit: hic fertur id ænigmatis edidiſſe:

Eſt genitor, proles cui ſit biſſena: ſed horum
Cuius triginta natæ, ſed diſpare forma:
Hæ niueis totæ, fuſcis ſed vultibus illæ:
Atque immortales cùm ſint, moriuntur ad vnam.

Eſt autem annus. Sunt & eiuſdem hæ ſententiæ: *Amicos beneficiis foue, vt amiciores ſint: ex inimicis autem amicos fac. Audiendi magis quàm loquendi, auidum eſſe oportet. Cum muliere neque blandiciis agendum, neque præſentibus extraneis iurgandum: illud vecordẽ, hoc veſanum arguit.* Diog. Laër. lib.1. huic fuit Cleobulina filia, inſignis vates ænigmatum heroicis verſibus conſcriptorum.

PERIANDER Corynthius, è ſeptem Græciæ ſapientibus,claruit eadem ferè ætate qua priores illi: nam id in cõfeſſo eſt ſeptem illos nomine ſapientiæ inſignes viros in eadem tempora incidiſſe. Porrò ſunt qui hunc eundem putant cum illo Periandro tyranno,qui agebat tempore Sedechiæ,ſed aberrãt: nam diuerſos, hoc eſt duos fuiſſe Periãdros Ælianus autor eſt, ſapientia illum illuſtrem, hunc tyrannide. Vide Rhod. lib. 21. cap.37. huius ſapientis hæ ſunt potiores ſententiæ: *Bona res quies, ac periculoſa temeritas. Turpe lucrum. Voluptates fluxæ ſunt: honores immotales. Inter ſecundas res eſto moderatus, inter aduerſas prudens. Amicis felicibus & infelicibus, eundem te præbe. Inter loquendum caue ne ſecreta pronunties.* Diog.Laër.lib.1. Cæterùm de Solone dicemus inferius,nam adiunctus eſt Crœſo.





SERVIVS Tullius Romanorum Rex ſextus ac penultimus, ſucceſſit Tarquinio Priſco anno à mundo condito 3387. ante Chriſtum ſeruatorem natum 575. hic ex nobili fœmina Corniculana, captiua tamen & ancilla, genitus eſt: cui adoleſcentulo dormienti caput ardere viſum eſt: quod prodigium Tanaquil vxor Regis Tarquinij Priſci cùm vidiſſet, eum inter liberos ſuos educauit: omen enim ſic interpretabatur, fore vt aliquando imperaret, quod & contigit: ſimile etiam de Aſcanio ſupra narrauimus pag. 56. Hic Tarquinij Priſci cum eſſet gener, eo mortuo, Rex à patribus, hinc à plebe deſignatur. Sabinos ſubegit, Veientes fregit, montes Quirinalem, Viminalem & Eſquilinum vrbi adiunxit, foſſas circum murum duxit: primus omnium cenſum ordinauit, rem ſaluberrimam tanto futuro imperio, vt inquit Liuius. Sub eo Roma omnibus in cenſum delatis, habuit capita 84. millia ciuium Romanorum, cum his qui in agris erant. occiſus eſt 44. imperij anno, ſcelere generi ſui Tarquinij ſuperbi, filij eius Regis cui ipſe ſucceſſerat, & impulſu Tulliæ filiæ ſuæ. Videto Tit. Liu. libr. 1. Decad. 1. & Dionyſ. Hali. lib. 4. ac Eutrop. lib. 1.

OCRISIA, vxor Publij Corniculæ, ſupradicti Seruij Tullij mater fuit, & Tanaquilis Reginæ ancilla captiua. Videto vt ſupra. Cæterùm Plin. lib. 36. cap. 27. mira narrat de Ocriſia, qua via conceperit Seruium Tullium.







ÆSOPVS Phrygius, facie quidem & corpore deformis fuit: at verò iocis & fabulis omnium facetissimus. Conditione etiam fuit seruus, tempore Crœsi Lydorũ Regis (de quo pagina sequẽte) autor fuit quidem fabularum, quem citare non dedignatur Aristoteles 2. li. Rhetoricorum: & Plato in 1. Phædri: & Apuleius de deor. som. fabulas ac vitam eius non est hîc locus recẽsendi, & vulgatiora sunt quàm vt recitatione aut cõmendatione egeant. legat qui volet Volaterranum li. 13. & 38. præterea Æsopi vitam à Maximo Planude descriptam Græcè, atque etiam latinam factã, quæ præponitur eiusdem fabulis. Hic furti falsò Delphis accusatus, de rupe insons præcipitatur.

RHODOPE, siue Rhodopis meretrix fuit famosissima, ex Thracia, Æsopi aliquandiu conserua, postea à Charaxo, siue Coraxe, Sapphus Poëtriæ fratre, qui eius amore tenebatur, ingẽti pecunia redempta: cuius sic meminit Sappho apud Ouid. 21. & vltima epistola:

Arsit inops frater, victus meretricis amore,
Mixtáque cum turpi damna pudore tulit.
Factus inops, agili peragit freta cærula remo:
Quásque malè amisit, nunc malè quærit opes.
Me quoque, quòd monui bene multa fideliter, odit:
Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.

Scribit Plinius lib. 36. cap. 12. Rhodopen tantas opes meretricio quæstu cumulasse, vt insignem turrim, siue pyramidem, suis sumptibus extruxerit.





CROESVS Lydorum Rex, imperauit ipsis Lydis anno mundi 3402. ante Christum natum 560. hic opibus & diuitiis præpotens, auxilium tulit Babyloniis aduersus Cyrum: verumtamen victus, iámque de se solicitus, in regnum regreditur. At vero post victoriam compositis in Babylonia rebus, bellum transfert Cyrus in Lydiam: vbi, perculsum iam fortuna prioris belli, Crœsi exercitum, nullo negotio fundit. Crœsum capit, vinctúmque super ingentem lignorum struem imponit, & circa eum 14. Lydorũ filios, vt viui exurerentur. Tunc ingemiscens Crœsus ter clara voce exclamauit, O Solõ, Solon, Solon. quod intelligens Cyrus, voluit rescire quamobrem id exclamaret: retulit Crœsus, se tunc meminisse Solonis, qui aliquando illi dixerat, *neminem in hac vita beatum ante mortem*: Itaque Cyrum pœnituit, cùm se quoque hominem esse agnosceret: iusśitque ignem iam incensum celerrimè extingui. Posthæc summo in honore habuit Crœsum Cyrus, atque à consiliis præcipuum. Vide Herod. lib. 1. & Iusti. lib. item 1.

SOLON, inter septem Græciæ sapientes clarus, Atheniẽsibus leges dedit: & quas Draco instituerat abrogauit, prætérquam quæ de cæde erant. Pisistrati propinqui sui tyrannidi latenter obrepenti semper obstitit: quę vbi inualuit, in Ægyptum abiit sapientiæ operam daturus, impetrata prius ab Atheniensibus decem annorum peregrinatione. Vocatus à Crœso intuitúsque omnes eius opes, eas coram, pro nihilo duxit: inquiens, *non esse beatum quempiam nisi post funera*. Plutar. in Solone. ad huius leges describendas, legati à Roma Athenas missi sunt, anno mundi 3510. ante Christum natum 452. Liui. lib. 3. obiit Rhodi anno natus 80.





CYRVS Persarũ Rex primus, imperauit apud Persas anno mundi 3403. ante Christũ natum 559. rexítque annos 30. hic filius fuit Cambysæ, & Mandanes, quæ filia erat Astyagis Medorum Regis. A filiis pastorum, Rex appellatus est per ludum, cum esset annorũ 12. Nam iusserat eum occidi Astyages, ob somnium, quòd viderat ex genitalibus filiæ vitem enasci, quæ totam Asiam occuparet: attamen ab vxore Mitradatis, seruatus & enutritus est, cui vxori nomen erat Cyno, quod Græcè canem significat. hic consilio Harpagi aduersus Astyagem exercitũ duxit, eúmq; superauit prodente Harpago, vlciscente mortem filij, quem in epulium paratum, ei edendum dederat Astyages, ob seruatum Cyrum. Cum Cyro regnauit Cyaxares Astyagis filius apud Medos, anno 20. antequam Cyrus Babyloniam caperet, vt ait Xenophon lib. 8. Cyrus iste à Daniele vocatur Darius, item ab Esdras, 3. Esdræ 3. De Cyro vide Herodo. lib. 1. & Iustin. lib. item 1. Oro. lib. 2. cap. 6. & 7.

TOMYRIS, regina Massagetarum in Scythia, cum Cyro pugnauit, vicit, omnémque eius exercitum internecioni dedit: erant autem militum 20000. Sic vlta est filij mortem, quem Cyrus per bellicas insidias cum suis interfecerat: nã amisso hęc exercitu quem præmiserat, & vnico filio, orbitatis dolorẽ non in lachrymas effudit, sed in vltionis solatia intendit: hostésque recenti victoria exultantes, pari insidiarum fraude circũdedit: quippe simulata diffidentia, Cyrum vsq; ad angustias perduxit: ibi compositis in montibus insidiis, exercitum cum Rege trucidauit, neq; nuncius tantę cladis vllus superfuit. Cyri caput in vtrem demisit, quem humano cruore cõpleuerat, cum hac exprobratione crudelitatis, *Satia te sanguine* (inquit) *quem sitisti*. Herod. li. 1. Iust. li. 1. acta sunt an. mun. 3432. ante Christũ natum 530.





ZOROBABEL, filius Salathiel, Iudæorum Dux fuit anno à mũdo condito 3418. ante verò Christum natum 544. Hic Regis Iechoniæ in directa (quam vocãt) linea, nepos erat: qui cum Iehosua, siue Iesu, Sacerdote summo, in Iudęam remigrauit, & cum multis Iudæorum millibus: templi Hierosolymitani fundamenta iecit, permittente Cyro Persarum Rege, qui Babyloniam ceperat, regnúmque & monarchiam ad Persas transtulerat, Rege Baltazaro interempto, iuxta Prophetiam ac prædictionem Danielis, imperante apud Romanos Seruio Tullio Rege sexto: quanquam Orosius lib.2.cap.6. sentiat regnante Tarquinio superbo, septimo atque vltimo Romanorum Rege, captam fuisse à Cyro Babyloniam. At verò Baltazar imperitabat Chaldæis tempore Seruij Tullij: sub quo Baltazare Daniel scripturam mysticam legit & interpretatus est: autore Eutropio, lib.1. Cæterum quatenus attinet ad historiam sacram de Salathiele & Iehosua, consulito lib.1. Esdræ cap.1. & sequentibus. item Aggæum & Zachariã Prophetas, & Ecclesiasticum, cap.49. ipsum denique Iosép. lib. Antiq. 10. cap.1. ac Ioan. Cario. cron. lib. 2.

IEHOSVA, qui & Iosue, & Iesus dictus est, summum gessit apud Iudæos sacerdotium, temporibus Zorobabelis supradicti, cuius & in remigratione ex captiuitate Babylonica comes fuit. Vide vt supra. Hic (vt Philo refert) historiã Iudith & Hester conscripsit. Fuit alter eiusdem nominis Iosue (ne erres) Israëlitici populi post Moysen Dux, qui cum Caleb in terram à Deo promissam tandem peruênit.





HIPPONAX, Iambicus Poëta fuit insignis fœditate vultus: quamobrem imaginem eius sculptores Bupalus & Anthermus publicé deridendam proposuerunt. quod indigne ferens Hipponax tam amarum carmen in eos distrinxit, vt à nonnullis credatur eos ad suspendium compulisse. Scazõtem, carminis iambici genus, fertur inuenisse Hipponax, quod ab eius nomine Hipponacticum, seu Hipponacteũ, vocatur. Plin. lib.36.cap.5.huius meminit.Clarebat autem Hipponax circiter annum mundi 3424. ante Christum natum 538.

BVPALVS & Anthermus filij fuerunt Anthermi Chij, qui in arte sculpendi clarissimi extitere. ij feruntur sculpsisse Hipponactis deformis Poëtæ imaginem, de qua hîc supra mentionem feci:reiicit tamen Plinius vt falsum, quod ad laqueum adacti fuerint à Poëta: *complura enim* (inquit) *in finitimis insulis simulachra postea fecere, sicut in Delo, quibus subiecerunt carmen, non vitibus tantùm censeri Chium, sed & operibus Anthermi filiorum.* In ipsa Chio narrata est operis eorum Dianæ facies in sublimi posita, cuius vultum intrantes tristem, exeuntes exhilaratum putant. Consulito Plin.lib 36.cap.5.vt supra citaui.nec est hîc repetenda à me annorum supputatio quam supra inserui, cùm iisdem vixerint temporibus sculptores hi, cum Hipponacte Poëta prædicto, vbi habes annorum rationem.







L. TARQVINIVS Superbus, ſeptimus ac vltimus Romanorum Rex, regnare incepit anno mundi 3431. ante Christum natum 531. primus vincula excogitauit, fuſtes, carceres, compedes, catenas, exilia, atque metalla. Volſcos vicit: oppida valida in Latio, Gabios, Sueſſámque Pometiam ſubegit: cum Thuſcis pacẽ fecit, templũ Ioui in Capitolio ædificauit. verùm Ardeam oppugnãs, imperiũ perdidit. nam omnibus cùm eſſet exoſus, accepta occaſione ex violatione Lucretiæ, quã Sextus Tarquinius filius eius armatus noctu cõſtuprarat, Romani eum cum ſuis omnibus eiecerunt. defecit ab eo exercitus qui ciuitatem Ardeã decem & octo miliaribus ab vrbe Roma diſtantem, oppugnabat: atque etiam Romam veniẽs Rex ipſe, portis excluſus eſt. ita Romę ſeptem regnarunt Reges annos 244. qui vix ad decimum quintum vrbis miliarium poſſidebant. poſtea crearunt Romani Conſules. Titus Liu. lib. 1. Diony. Hali. lib. 4. Eutro. lib. 1. Plutar. in Bruti vita.

TVLLIA vxor fuit L. Tarquinij Superbi, filiáque Seruij Tullij: hæc hocciſo patre, cuius cædis conſcia erat, carpento in forum inuecta, nec reuerita cœtum virorum, euocauit virum è Curia, primáque Regem appellauit: deinde, redeundo, per patris demortui corpus carpentum egiſſe fertur. Diony. Halicar. & Titus Liuius vt ſupra.







CAMBYSES Persarum Rex secundus, successit Cyro, anno mundi 3433. ante Christum natum 529. Is dicitur Artaxerxes, 1. Esdræ 4.cap. qui templi & ciuitatis ædificationem prohibuit, quam Cyrus, pater permiserat. Sub hoc Hebræi historiam Hester factam asserunt: alij in tempora Darij, Hystaspis filij, reiiciunt. Is Ægyptum suo regno adiecit, sed offensus illorum superstitionibus, Apidis, cæterorúmque deorum ædes dirui iussit. Ad Ammonis quoque templum expugnandum exercitum misit, qui in Libya deserta arenis obrutus, vniuersus interiit. Smerdin fratrem ex vtroque parente, interfici iussit, liuore commotus, quòd solus ille arcum duobus traheret digitis, quod nemo alius è Persis poterat: præterea eo in Persidem profecto, somniarat sibi nuntiari in regio sedentem fratrem Smerdin solio cœlum vertice tangere: quare metuens ne se necato, à fratre occuparetur imperium, Prexaspem ad illum occidendum misit: Sororem quam in vxorem duxerat, interfecit. Cæterùm Actabanem obsidens, proprio se interemit gladio, anno regni 8. fuit quoque alter Cambyses, mediocris dignitatis Persa, huius auus, Cyri pater, ac Mandanes maritus. Vide Herodo.lib.3. Iusti.li.1. Ioseph.lib.11.cap.2.

HOLOFERNES Dux exercitus Cambysæ supra dicti, missus est ab eo aduersus prouincias quæ suo ipsius nolebant subdi imperio. Hic Bethuliam obsedit, ciues ad extremam redacti sitim se dedere volebant: at consilio, atque insigni facinore Iudith liberantur. Vulgatior est Iudith historia, quàm vt hîc ad vnguem referri consentaneum sit. Vide librum Iudith.





EPIMENIDES Poëta Cretenſis, Athenienſibus peſtilentia laborantibus dixit ciuitatem purgari oportere: eò cùm rogatus veniſſet: iuſſit oues albas atque nigras apud Areopagũ immolari. inde recedens domum, purgatis Athenis, ab Athenienſibus pecuniam recuſauit (nam etiam Poëtas haud facilè auaros videas.) Hic, iuuenis in agrum ad cuſtodiendum pecus miſſus ab Agiaſarcho patre, in quodam antro obdormiſſe dicitur annos 75. hinc manauit prouerbium, Epimenidis ſomnum dormire. Fertur primus domos atque agros expiaſſe, delubráque erexiſſe. expiauit itaque Athenas anno mundi 3368. ante Chriſtum natum 594. Vide Dioge. Laër.lib.1. Plato.1. & 3. de legibus Apule.lib.2. Floridorum.

PYTHAGORAS Samius, Mneſarchi anulorum ſculptoris filius clarebat circa annum mundi 3439. ante Chriſtum natum 523. hic primus, *amicorum omnia communia,* dixit, amicitiámque æqualitatem: cuius etiam diſcipuli facultates omnes in vnum deponebant, & quinquennium ſilebant. Animatis abſtinere iuſſit, aſſuefaciẽs homines ad faciliorem victum. fertur primus Græcis pondera & mẽſuras inuexiſſe, primúmque, veſperum atq; Luciferum idem ſydus dixiſſe. ſequuntur aliquot eius ſymbola: *Ignis gladio non fodiendus. Statera non tranſiliẽda. Cor non edendum. Verſo ad Solem vultu non mingendum. Extra publicam viam non eundum. A fabis abſtinendum.* Sunt & alia quæ referuntur latiùs à Diog. Laër. lib. 8.





DARIVS Hyſtaſpis filius,hinnitu equi rex declaratus eſt, anno mundi 3441. ante Chriſtum natum 521. Smerdis & Patizithes qui regnum vſurparant,occiſi ſunt antequam imperaret hic, qui etiam Smerdin occidit, detecta per Otanem eius fraude: nam Smerdis hic, ſe Cambyſis fratrem dicebat, quòd illi de facie ac nomine ſimilis eſſet: attamen ab aurium mutilatione dolus deprehenſus eſt.Porrò Darius hic, Atoſſam Cyri filiam vxorem duxit,ex qua liberos ſuſtulit,inter quos Xerxes fuit: hanc atoſſam putant nonnulli fuiſſe Heſter. hic permiſit Iudæis remigrare in Iudæam ac templum reædificare: vaſa & theſauros templi reſtituit. Prouincias viginti conſtituit, earúmque ſingulis præſides præfecit, taxato quod penderetur tributo. etenim ſub Cyro & Cambyſe nihil dum fuerat circa tributa inſtitutum, ſed munera afferebãtur.hic Getas ſubegit, Thraces ſe dedidere: at Scythæ hunc in fugam adegêre. Vide Herod.lib.3. nam Iuſtit.lib.1. Smerdin, ſiue Smerdem, de quo ſupra,Oropaſtem vocat.

ZOPYRVS, præciſis de induſtria, labiis, naſo, auribus, nomine tranfugæ Babylonem profectus, corpus populo laniatum oſtendit: conſtituitur dux omnium ſuffragio aduerſus Darium,qui Babylonem iandiu fruſtra obſidebat, cui tandem creditum ſibi exercitum prodidit: ſícque Babylonem quæ defecerat,& ab Aſſyriis occupabatur,recuperauit Darius,memorabili hoc quidem facto Zopyri: cui fuit etiam Megabizus filius, dux exercitus Darij in Europa, qui & Thraciam ſubegit. Herod.lib.3.Iuſtit.lib.1.





TARQVINIVS Collatinus Lucretiæ maritus, cœnabat cum regiis iuuenibus & aliis primoribus in ſtatiuis obſidionis Ardeæ, cùm incidit de vxoribus mentio: ſuam quiſque mirè laudat: hoc certamine contentionis accenſo, negat Collatinus verbis opus eſſe: paucis id quidem horis poſſe ſciri quantum cæteris ſua præſtet Lucretia: vxores inuiſunt. certamine laudem retulit Lucretia. Ibi mala libido Lucretiæ ſtuprandæ Sextum Tarquinium capit: poſt aliquot dies ſtricto gladio ad dormientem Lucretiam venit, marito in caſtris agente: vi potitur. vltio breui crimen ſequitur: deturbatur regno Tarquinius Superbus: Sextus Tarquinius eius filius, Gabios profectus, interficitur. Titus Liuius lib. 1.

LVCRETIA Spurij Lucretij filia, fœminam certè Romanam atque exemplar totius coniugalis caſtitatis ſe præſtitit. hæc ſiquidem vi à Sexto Tarquinio conſtuprata, mœſta nuntium ad patrem atque ad virum mittit, vt cum amicis veniant: ita facto maturatóque opus eſſe, rem atrocem incidiſſe: veniunt cum L. Iunio Bruto: his corpus violatum fatetur, animam verò inſontem morte ipſa teſtatur. Brutus viro patríque luctu occupatis, cultrum ex vulnere Lucretiæ extrahens, Per hunc inquit caſtiſſimum ſanguinem iuro, me Tarquinium Superbum cum ſcelerata coniuge, & omni liberorũ ſtirpe, ferro, igni, quacunque vi poſſim exacturum. Vide Tit. Liu. lib. 1. Sic exacto rege res Romana rediit ad Conſules, anno mundi 3456. ante Chriſtum natum 506.





C. M. CORIOLANVS Patricius Romanus ab Romanis exactus eſt, quòd Conſulatum arroganter ambiret, & Tribunis Plebis aduerſaretur, ac proinde ſuſpectus eſſe populo ob nimium faſtum ac potentiam. quare cum iam ante pro Romanis pugnans, Coriolos vrbem, Volſcorum ciuitatem, vnde Coriolanus dictus eſt, expugnaſſet, ad ipſos Volſcos contendit iratus, à quibus auxilia contra Romanos accepit anno mundi 3475. ante Chriſtum natum 487. Romanos ſæpe vicit: vſque ad quintum miliarium vrbis acceſſit, expugnaturus etiam patriam ſuam (legatis qui pacem petebãt repudiatis) niſi ad eum mater Veturia & vxor Volumnia, ex vrbe veniſſent: quarum precibus remouit exercitum, quem ſubmouere armis Roma non poterat. Vide Titum Liuium lib.2.& Eutro. lib.1. Fœmineæ item preces ac lachrymæ vxoris Meleagri, ad arma pro patriæ tutela capeſſenda Meleagrum compulerunt. Ouid. epi.3.

VETVRIA C.M. Coriolani mater fuit, ad quam adierunt matronæ Romanæ, quæ in diſcrimine patriæ peruicerunt vt Veturia magno natu mulier, & Volumnia Coriolani vxor, duos paruulos ex Coriolano ferentes ſecum, in caſtra hoſtium irent: & quam armis viri defendere vrbem non poſſent, mulieres precibus lachrymíſque defenderent: quod præſtiterunt. nam fractus precibus ac fletibus matris Veturiæ ac vxoris Volumniæ Coriolanus, caſtra retro ab vrbe mouit. Titus Liuius li. 2. Dion. Halic. lib.7.& 8. Statuit Senatus vt fœmineum extrueretur templum Diuæ Fortunæ, vbi fœminæ ſingulis annis, eadem qua liberata fuerat vrbs die, ſacra peragerent: ídque in fœminarum honorem, ac huius facti, & velut miraculi, monimentum perpetuum.





PORSENA Hetruriæ Rex, bellum Rom.intulit, in gratiam Tarquinij Superbi, tripúsque continuis annis trepidam vrbē terruit: quam audax Scæuolæ facinus ab hoste liberauit: nam scribam pro Rege interfecit, dum timet sciscitari vter Porsena esset. Tit. Liui. lib.2. Halicar. lib.5. Eutrop. lib.1. Porrò de Porsena & Scæuola elegans hoc apud Martialem lib. 1. extat epigramma:

Dum peteret Regem decepta satellite dextra,
Iniecit sacris se peritura focis:
Sed tam sæua pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire virum.
Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior deceptæ fama est, & gloria dextræ:
Si non errasset, fecerat illa minus.

CLOELIA, Romana virgo, vna ex obsidibus, cùm castra Hetruscorum fortè haud procul ripa Tyberis locata essent, frustrata custodes dux agminis virginum inter tela hostium Tyberim tranauit, sospitésque omnes Romam ad propinquos restituit anno mundi 3457. ante Christum natum 505. iratus Porsena Clœliam obsidem per oratores deposcit: deinde in admirationem versus, supra Coclites & Mutios id facinoris esse dicebat: restituta hæc apud Regem Hetruscum, non tuta solùm, sed honorata, partéque obsidum donata est. Romani nouam in fœmina virtutem nouo genere honoris, statua equestri donauere: in summa sacra via fuit posita virgo insidens equo. Liuius lib.2.





XERXES quintus Perſarum Rex, Darij Hyſtaſpis filius, ſucceſſit patri in regno Perſarum anno mundi 3477. ante Chriſtum natum 485. fuit nonnihil controuerſiæ inter hunc & maiorem natu fratrem Artabarzanem: attamen res facile componitur vt Xerxes, Atoſſæ ſecundæ Darij vxoris filius, quæ Cyri filia erat, regno potiretur. Primùm Ægyptios qui defecerant ſubegit: poſthæc maximam in Græciam expeditionem fecit: tantæque feruntur eius fuiſſe copiæ vt fluuios exiccarent: quod de Scamãdro fluuio (qui & Xanthus dictus eſt) legimus. Græciam vaſtauit, Athenas, vrbéſque vicinas cõbuſſit. tandem à Leonida ac Themiſtocle pulſus, vno die etiam duo vulnera accepit: nauicula piſcatoria aufugit. Cæterùm is cum filio Dario ab Artabano, ſpe adipiſcendi regni interficitur: Artabanum autem Artaxerxes gladio tranſuerberauit, vt dicturi ſumus inferius. conſulito Iuſti. lib. 1. 2. & 3. Præterea Plut. in vita Themiſ. & Ageſil. item Hero. li. 7.

CIMON Athenienſium dux præſtantiſſimus, ſemel atque iterum Xerxis exercitũ vno die fudit: primò pugna nauali, deinde terreſtri: præterea Aſiæ minoris partem cepit: inimicorum exuuiis opulẽtus factus, pauperibus bonam partem diſtribuit, menſáſque dapibus inſtructas, pauperibus ac peregrinis publicè parauit. Vide Plutar. in Cimone.

Clarebant his temporibus Æſchylus, Sophocles, & Euripides, Poëtæ Tragici, quinetiam Zeuxis pictor inſignis.







THEMISTOCLES, Athenienſium dux fortiſſimus ac prudentiſſimus,ingenti gloriæ ſtudio tenebatur.hic fuſis,fugatíſque Perſis,atq; eorum Rege Xerxe,Athenas reædificauit, muro cinxit, Pyreúmque ciuitati iunxit, anno mundi 3492. à Chriſto nato 470. nec tamen inuidia caruit, dicere ſolitus ſe neque honoribus ab Athenienſibus affici,neq; apud eos in admiratione eſſe,ſed procella vexatos imminente periculo, ad ſe veluti platanũ ſubterfugere,reddita autem ſerenitate,euellere atque deiicere.Suffragiis è ciuitate eiectus,eiúſq; dignitate ac nimiis opibus depreſſis,grauis fortuna inimico patriæ ſupplicẽ eſſe coegit.Nec tamen,iuſſus à rege Perſarum,ad quẽ deſciuerat, Græcis bellũ inferre,ira in ciues ſuos eum cõcitare potuit: nec maximi honores atque opes ad patriam bello laceſſendam impulerunt:fortaſſe quidẽ ratus opus maius quàm vt à ſe confici poſſet,præclaris tum ducibus abundãte Græcia, præſertim Cimone.Itaque fertur epoto taurino ſanguine,venenóque infuſo,in Magneſia diem obiiſſe,annos natus 65.Plutarc. in Themiſto. Thucy. li. 1. huius etiam Themiſtoclis meminit Eraſ. in apophth.li.5.& 8.

STESILEA, eleganti forma mulier,amata fuit ab Ariſtide ac Themiſtocle:inde fortaſſe cõflato liuore,perpetuo flagrarunt inter ſe odio:quãquam vitæ ac morum diſſimilitudo,non parum auxiſſe odium dicatur: nam Ariſtidẽ cõtraria in repub. ſentẽtia aduerſarium ſemper habuit Themiſtocles. Vide Plutar.in Themiſtocle.





ARTAXERXES Xerxis filius, cognomẽto Longimanus, quòd manum dextram ſiniſtra longiorẽ haberet, Artabanum cum filiis occidit, de patris nece vindictam ſumens. imperauit Perſis anno mundi 3497. ante Chriſtum natum 465. hic à Metaſthene Darius, ab Eſdra Darius & Artaxerxes vocatur indifferenter. nam Perſæ his duobus nominibus promiſcuè vtuntur, ſicut & nos imperatores noſtros Cæſares & Auguſtos, ſine diſcrimine vocamus. Aſtu Artabanũ, iuuenis ad huc, gladio transfodit: nam finxit ſe arma velle commutare, ſi inermem aggreſſus egregio in iuuene cõmento, inimicum enſe traiecit. Iuſt. li. 3. & 10. Hero. lib. 7. Plutar. in Artaxerxe. imperauit annos 40. Vide item Eſdr. 1. lib. ca. 4. & 7.

ESDRAS Propheta fuit temporibus Artaxerxis, quẽ adiit, ab eóque petiit vt liceret Iudæis reuerti Ieruſalem: & obtinuit. miſſus eſt igitur Eſdras Ieroſolymam, cum reliquiis vaſorum Domini à Nabuchodonoſore in Babyloniam abductorum, acceptis ab Artaxerxe priuilegiis vt liceret ei conſtituere iudices ac præſides in populo Iudæ, ac Ieruſalẽ, collapsámque Iudæorum remp. inſtaurare. Conſulito 1. lib. Eſdræ, 7. cap. hinc incipiunt ſeptem Danielis hebdomades.








L. QVINTIVS Cincinnatus in opere, arans inuentus, ſudore deterſo ab aratro accerſitus ad faſces, togam prætextam accepit, Dictatórque eſt creatus anno mundi 3506. ante Chriſtum natum 456. hic mox ſumpto honore, inſtructóque exercitu, cæſis hoſtibus victor exercitum Romanum liberauit. Nam Minutius Conſul ab Equis & Volſcis ſuperatus, fugerat, ac fame ferróque cingebatur, actúmque infœliciter foret, ni Quintius ipſe, qui iugum boum Equis impoſuit, victoriámque quaſi ſtiuam tenens, ſubiugatos hoſtes præ ſe primus egit. Romæ triumphauit. Caſtris hoſtium receptis, plenis rerum omnium (nudos hoſtes emiſerat) prædam omnem ſuo tantùm militi dedit: Conſularem exercitum, ipſúmque Conſulem increpans, *carebis*, inquit, *prædæ parte miles ex eo hoste cui propè prædæ fuiſti.* Titus Liuius lib. 3. Eutropius lib. 1. Romæ quidem hic L. Quintius Cincinnatus ob egregiam hanc partam victoriam meritò triumphum egit. tandem Dictatura (qui erat ſummus honos) ſe abdicauit, rurſúſque rus ad agriculturam diuertit.

RACILIA vxor fuit L. Quintij Cincinnati. hæc togam properè è tugurio viro poſtulanti protulit: cùm mandata Senatus, togatus vt audiret rogaretur à legatis, qui eum operi agreſti intentum nomine Senatus ſalutabant. Titus Liuius lib. 3.







SOCRATES Sophronisci statuarij & Phanaretæ obstetricis filius fuit. clarebat anno mundi 3531. ante Christum natum 431. hic veram Philosophiam esse prædicabat, *seipsum cognoscere, talémque esse debere hominem, qualis vellet videri.* Philosophiam naturalem deseruit, vt moralem amplexaretur. Constantissimus ille, nec tristior nec iucundior vnquam visus est. pauperculus quidem extitit, at verò ab Apolline omnium sapientissimus dicitur iudicatus. In huius signo sculptum erat, *hominis amicum esse, idipsum sapere: inimicum autem, desipere.* Inuidia non caruit: accusatus est ab Anyto diuite, Melito Poëta, Lycone oratore, quòd malè de iis sentiret. Intrepidus coram iudicibus stabat, nec voluit quam ei parauerat orationem Lysias, orator percelebris, ad sui defensionem, pronuntiare: quinimo ad bibēdam cicutam damnatus, eam sumpsit intrepidè. Athenienses tandem delatores eius occiderunt: æneámque statuam ei erexerunt, quam in templo collocarunt. Cice. li. 1. de Orato. Aelianus, Plin. lib. 7. August. de ciui. Dei, lib. 8. cap. 3.

XANTIPPE, vxor fuit Socratis, quæ cùm molestissima esset, atque aliquando post nimios clamores & iurgia, sordidam aquam in caput illi iecisset, haud ægrè ferens respondit, *Sciebam post tonitru venturam pluuiam,* interrogatus ab Alcibiade Socrates cur tam acerbam vxorem domo non exigeret, quoniam, inquit, cùm talem domi perpetior, insuesco vt aliorum foris iniuriam feram. Vide Gel. li. 1. cap. 17. & Apophtheg. Eras.







ASPASIA mulier, conſuetudinem amatoriam cum Pericle habuit, quam vnicè adamauit: nam cùm exiret domo, & cùm ingrederetur, eam oſculabatur. hanc nomine & gloria claruiſſe ferunt. Quæ autem in bello cõtra Samios geſta ſunt, decreto Periclis ob Mileſios, rogatu Aſpaſiæ facta dicuntur. Vxorem Pericles alteri dedit, cùm ingrata vtrique vitæ conſuetudo foret, hanc autem Aſpaſiam ſuperinduxit. Plutarc. in Pericle.

PERICLES Athenienſium dux, cum Sophocle Poëta tragico, miſſus eſt aduerſus Lacedæmonios, qui diuerſo exercitu, Lacedæmoniorum agros vaſtauerunt, & multas Achaiæ ciuitates Athenienſium imperio adiecerunt. his malis fracti Lacedæmonij in annos triginta pepigerunt pacem: ſed tam longum ocium inimicitiæ non tulerunt. Quare intra quindecim annos, fines Atticos populantur, hoſtes ad prælium vocãt: verùm Athenienſes Periclis conſilio iniuriam differunt in tempus vltionis. Deinde interiectis aliquot diebus naues conſcendunt, & nihil ſentientibus Lacedæmoniis, totam Spartam deprædantur, multóque plura auferunt quàm amiſerant. Poſt hæc nauali prælio victi Lacedæmonij, fugerunt: pacem in annos quinquaginta fecerunt, quam non niſi ſex annos inuiolatam obſeruarunt. hæc facta ſunt temporibus Artaxerxis, anno ſcilicet à mundo condito 3536. ante Chriſtum natum 426. Iuſti. lib. 3. Plutar. in Periclis vita. bellum inteſtinum, quod Peloponneſiacum dicitur, tunc incepit, quod durauit annis 27. de quo Thucy. & Xeno. De Pericle mentionem quoque facit Eraſ. in apoph. lib. 5. & 8.





ALCIBIADES Athenienſium Dux, ad bellum Siculum miſſus eſt anno mundi 3548. ante Chriſtum natum 414. hic erat ætatis flore, formæ veneratione, nec minus eloquentia inſignis: ſed in conciliandis amicitiarum ſtudiis quàm in retinendis vir melior. Siculi itaque belli concitator & Dux Alcibiades, Athenis inſimulatur: reuocatus à bello ad iudicium, ſiue conſcientiam, ſiue indignitatem rei non ferens, tacitus in exilium Elidem proficiſcitur: deinde Lacedæmona ſe confert. Lacedæmoniorum Regem aduerſus Athenienſes impellit: ſed huius virtus plus inuidiæ quàm gratiæ apud Lacedæmonios contraxit: quare præmonitus à Tinæa vxore Regis, quam adulterio cognouerat, ſibi tendi inſidias, ad Tiſafernem Darij præfectum profugit. Circa hæc tempora Athenienſes Lacedæmonios vicerunt ad Arginuſas. Alcibiades ad Chalcedonem victoria eſt potitus: Byzantium per proditionem obtinuit: Lacedæmonios vicit, Pharnabazum fudit. Vide Xenoph. li.2. de reb. Græ. Tandem Athenienſium iuſſu vulneribus multis confoſſus occubuit. Iuſtin. lib.5. Plut. in Alci. Thuci. li.6. hic in Lacedæmoniorum gratiam à Pharnabazi militibus occiſus dicitur: alij à quibuſdam familiaribus, quando cum eorum ſorore congreſſum haberet.

TIMANDRA meretrix fuit quam deperibat Alcibiades, cui hæc Timandra funus ſatis amplum atque magnificum pro ſuis facultatibus curauit faciendum. huius Timandræ filiam fuiſſe dicunt Laidem, quam Corynthiam appellabant: Sic matrem ſequitur ſua proles. Vide Plutarchum in Alcibiade.





CONON Atheniensis dux in locum Alcibiadis suffectus est. hic classem maxima industria adornat, anno mundi 3553. ante Christum natum 409. Sed nauibus exercitus deerat, fortissimis quibusque in Asiæ populatione amissis: armantur tamen senes aut impuberes pueri, & numerus militum sine robore exercitus expletur. non magnam bello moram ætas facit. Omnibus captis aut occisis, cum dux Conon superfuisset solus, crudelitatem ciuium metuens, ad Regem Cyprium contendit. Athenienses 30. rectores accipiunt, quos triginta Atheniensium tyrannos vocant. Lacedæmonij formandas Lysandro Athenas tradunt: repletur Græcia Atheniensium exulibus. Tandem Pharnabazus cum Conone classe comparata, Laconicas maritimas ciuitates incommodis affecit: pugnatur: vicit Conon. Videto Iustinum lib. 5. & 6.

LYSANDER Lacedæmoniorum dux factiosus, Alcibiadem in capitis adduxit periculum: totius Græciæ odium in Lacedæmonios concitauit. hoc duce Conon nauali prælio victus est. paulò pòst tamen duce Conone victi sunt terrestri prælio Lacedæmonij, in quo occisus etiam est ipse Lysander. Tunc restituta est per Cononem terrestri prælio Atheniensibus libertas, per quem antea amissa maritimo prælio fuerat. Videto vt supra, & Plutar. in eius vita.





THRASYBVLVS à triginta Athenienſium tyrannis in exilium actus, audendum aliquid pro patria ac ſalute communi, etiam cum periculo ratus, adiunctis ſibi exulibus, reditum in patriam manu comparauit, lato prius Plebiſcito de iniuriis vltro citróque obliterandis. ſic Tyrannis victis popularis ſtatus reſtituitur eius opera, anno mundi 3558. ante Chriſtum natum 404. Xeno. rerum Græcarum lib. 4. Iuſtin. lib. 5. Plutarc. in Pelopida, Cicer. in Philip.

EPAMINONDAS Thebanorum dux fortiſsimus, claruit circa annum mundi 3590. ante Chriſtum natum 372. fuit veſtium tenuitate, cibi moderatione, laborum tolerantia, atq;, in fungendo imperatorio munere, ſynceritate ſingularis ac præſtantiſsimus: huic ſoli ex amicis nunquam vt quicquam acciperet, potuit perſuàdere Pelopidas. hic dum non ducis tantùm, verumetiam fortiſsimi militis officio fungitur, grauiter vulneratur. fuit incertum, vírne melior an dux eſſet. honores ita geſsit vt ornamentum non accipere, ſed dare ipſi dignitati videretur: literis & Philoſophia vſqueadeo clarus, vt mirum eſſet vnde tam inſignis militiæ ſcientia homini inter literas nato. Saucius ac ſemianimis quæſiuit num cadenti ſibi ſcutum ademiſſet hoſtis, quod ſibi allatum velut laborum gloriæque ſocium, oſculatus eſt: iterum quæſiuit vtri viciſſent: vt Thebanos audiuit, velut gratulabundus patriæ expirauit, apud Mantineam cum Lacedæmoniis congreſſus. Iuſtin. lib. 6. Plutar. in vita Pelopidæ, Cicer. in epiſt. ad Luceium.





DIOGENES, Philoſophus Cynicus, palliolum duplex ad frigus arcendum habuit, peram pro cellario, baculum pro corporis ſuſtentatione. habitans in portarum veſtibulis & porticibus ciuitatum, cibum emendicabat. cùm ſe contorqueret in dolio, volubilem domum ſe habere iocabatur, & ſe temporibus immutantē: frigore enim os dolij vertebat in Meridiem, æſtate in Septentrionem. Cum Alexandrum cæteri Philoſophi adiiſſent, Alexander hunc adiit: ad ſolem apricantem offendit, rogat Alexander reíne cuiuſpiam egeat: cui Diogenes, parumper inquit à ſole mihi ſecedas. Adeò hoc reſponſo delectatum & admiratum ferunt Alexandrum, vt eo diſcedente, cùm amici irriderent, ac per iocum morderent, dixerit: *Ego profectò niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe vellem.* Fertur cùm aliquando videret puerum manu aquam haurientem, ac bibentem, vaſculum quod ad bibendum geſtabat, ab ſe abieciſſe, cùm natura manu tanquam ad bibendum inſtrumento, prouidiſſet. Vixit fermè nonagenarius. Plutar. in Alex. Dioge. Laër. hic ex ficu poma aliquando legebat: at cuſtode dicente, huic ante paucos dies homo ſuſpēſus eſt, ego, inquit, illam purgabo. fuerunt autem Diogenes quinque. ſupputationem temporum non eſt quòd hîc inſeram, cùm conſtet fuiſſe tempore Alexandri, de quo vide inferius.

CRATES Thebanus, vt Philoſophiæ vacare poſſet, magnum auri pondus in mare proiecit, *Abite,* inquiens, *peſſum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis.* Neque putauit, ſe poſſe virtutes & opes ſimul amplecti. Cic. in Paradox.





PLATO Philoſophus Ariſtone Patricio inter Athenienſes ciue,& Perictiona ſiue Prona natus eſt. claruit circa annum mundi 3575. ante Chriſtum natum 387. à corporis habitu egregio, Plato dictus eſt, aut ab orationis vbertate & mira amplitudine, cùm prius Ariſtocles ex aui nomine diceretur: 20. annos natus, Poëticam miro complexus eſt ingenio: celebratas Tragœdias, atque alia carmina ſcripſit, ſuauíque vocis ſono pronuntiauit, niſi quòd ad gracilitatem tenderet. Poſtea Philoſophiam amplexatus, Poëticam reliquit: Socratis diſcipulus fuit, & Ariſtotelis ac Xenocratis præceptor. Ter militauit, egregiúmque militem ſe præſtitit. Ter in Siciliam nauigauit: tertiò rediens, venundatus, atque à Dionyſio Tyranno extrema penè paſſus eſt. In Ægypto didicit quæcunq; illic magna habebantur. Philoſophiam in moralem, naturalem, & rationalem diſtribuit. Varia de eius morte ſcribuntur. Vixit annos 80. Vide Dioge. Laër. libr. 3. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 8. ca. 4. & Plutar. in eius vita.

ARISTOTELES patre Nicomacho medico, natus eſt in obſcuro oppido Stagira: vbi adoleuit, Athenas ſtudiorum gratia miſſus eſt. Platonem audiuit annos 20. Deinde in Macedoniam euocatus à Philippo, & Alexandro filio in diſciplinam tradito, maximam autoritatem in regno promeruit. huius ſcripta extant quàm plurima, quæ vel ad eloquentiam ſpectant, vel ad ciuilem, moralémque diſciplinam, vel ad ſecreta naturæ. Dioge. Laër. lib. 5. Plutar. in eius vita.





BRENNO, ſeu Brennus, Gallorum Sanonum Dux fortiſs. collecto exercitu in Italiã irrupit (nec tamen primus, nam ante 200. an. Galli Italiam inuaſerant (cúmque vrbem Cluſium obſediſſet, dimiſſa obſidione, totis viribus Romam contendit, quem Fabius cum exercitu excepit, nec tamen obſtitit: quin potius impetus ille hoſtilis Romanos quaſi aridas ſegetes ſuccîdit: teſtatur hanc Fabij cladem fluuius Allia, patentem Romam capit Brenno, (nam metu perculſi Rom. in Capitolium ſe receperant) eam deprædatur ac exurit: Capitoliũ obſidet: pacta pecunia obſidionem ſoluit: cum aurum penderetur, additur etiam à Gallo duce ponderi gladius, anno mundi 3576. ante Chriſtum natum 386. Tit. Li. 5. Eutro. lib. 1. Oro. lib. 2. ca. 19. Ab hoc, ſeu ab alio eiuſdẽ nominis, extructam ferunt Brenonam, quæ poſtea Verona dicta eſt: nam poſt an. cẽtum Brennus quidam, Gallorum qui Græciam inuaſerũt dux, Softhenem fudit: at contra Delphos infeliciter pugnans, pugione ſeipſum confodit. Iuſtin. lib. 24. Porrò Galli cùm Nicomedi Bithyniæ Regi opem aduerſus Zibœam tuliſſent, parta victoria, regionem partiti ſunt: inde Gallogræcia dicta. Tit. Liu. li. 8. Deca. 4. Iuſtin lib. 25. qui etiam ſcribit Gallos ſedibus Thuſcos expuliſſe, ac Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, & Vicentiam in Italia condidiſſe.

M. FVRIVS Camillus nobilis Roman. Dictaturam quinquies geſſit, triumphum quater egit. hic ob prædã Veientanam, in exilium abiit, deos orans, vt ſi inſonti ea ſibi iniuria fieret, ſtatim deſiderium ſui ingratæ ciuitati facerent: quod contigit: nam paulò pòſt Dictator creatus, Brennum vincit, aurum reportat, vt inquit Liuius: nam Druſum potius ſunt qui cenſeant aurum extorſiſſe. Sueto. in Tibe. Plutar. in Camil.





MAVSOLVS Cariæ regulus, quæ eſt in Aſia minore, obiit anno mundi 3586. ante Chriſtum natum 376. huic Artemiſia vxor fuit, quæ illum vſqueadeo amauit, vt illius demortui cineres vino mixtos biberit, alij dicunt aqua odoribus mixta: præterea ſepulchrũ illi extruxit, quod ab Oriente cælauit Scopas, à Septentrione Bryaxis, à meridie Timotheus, ab occaſu Leochares: priuſquam id operis peragerẽt, obiit Artemiſia: nec tamen receſſerũt niſi abſoluto iam, id gloriæ ipſorum, artíſque monumentum iudicantes. Plin. li. 36. ca. 5.

ARTEMISIA, Mauſoli vxor, molita eſt, conſeruandæ mariti memoriæ cauſa, ſepulchrum memoratiſſimũ, dignatúmque numerari inter ſeptem omniũ terrarum ſpectacula. Id monumentũ Artemiſia cùm diis Manibus, ſacris Mauſoli dicaret, agona, id eſt certamen laudibus eius dicundis fecit: propoſuit præmia pecuniæ, aliarúmque rerum ampliſſima. Ad eas laudes decertãdas veniſſe dicuntur pleriq; diſerti viri, inter quos Iſocrates ac Theopompus, quem viciſſe iudicatum eſt. Aul. Gel. lib. 10. ca. 18. Boc. & Herodo. li. 7.







PHILIPPVS, Amintæ filius, apud Macedones imperauit anno mundi 3603. ante Chriſtum natum 359. In Athenienſes primò bellum mouit: vicit: modeſtiſſimè victoria vſus eſt. deinde aduerſus Illyricos mouit, multáque horũ milia, cecîdit. hinc Theſſaliã non prædæ cupiditate, ſed quòd exercitui ſuo Theſſalorũ equitum robur adiungere geſtiebat, improuiſus expugnat. Cùm Methonam vrbem oppugnaret, de muris ſagitta iacta dextrum Regis Philippi oculum effodit: quo vulnere nec ſegnior ad bellum, nec iracundior aduerſus hoſtes factus eſt: adeò vt pacem deprecantibus dederit, mitíſque aduerſus victos fuerit. Tandem totius Græciæ Imperator factus, parabat bellum in Perſas, cùm à Pauſania occiditur, ob priuatam iniuriam: creditum quoque eſt immiſſum ab Olympiade Alexandri matre fuiſſe, nec ipſum Alexandrum ignarum paternæ cædis extitiſſe, cùm ipſe vereretur ne hæres regni inſtitueretur frater natu minor, ex Cleopatra nouerca ſuſceptus. Conſulito Iuſtin. li. 7. & 8. & Diod. de geſtis Philippi. Imperauit Macedoniæ annos 25. vixit 47.

OLYMPIAS Regis Moloſſorum filia, vxor fuit ſupradicti Philippi Macedoniæ Regis, & Alexandri mater. hæc dolens ſe ob adulteria repudiatam, prælatámque ſibi Cleopatram, parauit necem viro, vnà cum filio regni æmulo, qui fratrem ex nouerca ſuſceptum, timebat. Videto Iuſtinum vt ſupra.





DEMOSTHENES orator facundissimus, clarebat circa annum mundi 3615. ante Christum natum 347. hic patrem habuit gladiorum fabrum, satis opulentum, qui obiit, filium relinquens septennem: patrimonium à tutoribus malè administratum, dum in iudicio repetit Demosthenes, dúmque in causa propria disertus esse studet, etiam in alienis causis disertus esse discit. Nec mens eius primùm satis poterat intelligi, cùm lingua, vocéque laboraret: verùm studio ac exercitatione incredibili, actionem hanc ingratam in suauissimam commutauit. Dubium fuit ingenio plúsne an doctrina valuerit. plus olei quàm vini consumpsisse dictus est. Sępe duos vel tres menses continuos non cessabat motum corporis fingere, vocem exercitare, chartis impallescere, abrasa etiam parte capitis, vt exeundi facultatem sibiipsi præriperet. Propositum eius in repub. maximè fuit, omnibus Philippi Macedoniæ regis conatibus obsistere. hoc etiam autore ciuitates Græciæ post mortem Philippi conspirauere. postea exulauit, sub obitum Alexandri, cuius cognita morte, rursus ciuitates Græciæ conspirauerunt, Antipatro in Lamia vrbe à Leosthene fortiter obsesso. Tandem accersitus ab Antipatro per nuntium Archiam Tragœdum, qui identidem repetebat, fore vt ab eo humanissimè susciperetur, venenum è calamo hausit. Plutar. in Demost. Iuuena. Saty. 10.

LAIS, meretrix fuit nobilis, Corynthi habitans, quam Demosthenes clanculum adiit, hac autem noctis pretium 10000. drachmarũ petente, discedens Demosthenes, *Pœnitere* (inquit) *tanti non emo.* Gel. lib. 1. cap. 8. Macro. in Satur. lib. 2.





M. VALERIVS adolefcens Trib. militum, aduerfus Gallum prouocatorem folus, omnibus territis, proceffit: coruus repentè galeæ eius infedit: dictu mirabile, quoties certamen initũ eft, leuans fe alis, os, oculófque hoftis, roftro & vnguibus appetiit: donec territum prodigij talis vifu, oculífque fimul ac mẽte turbatum, Valerius obtruncat, anno mundi 3617. ante Chriftum, natum 345. Conful laudatum Valerium decem bobus, aureáq; corona donat: inde Coruinus dictus, fummo populi fauore annos natus 23. Conful renuntiatur. Ti.Li.li.7.1. Dec. Eut. li.2. Oro.li.3.ca.6. Au. Gel.li.9.ca.11. Statuam Coruino Auguftus erexit, in cuius capite corui effigies erat, pugnæ monimentum. Vixit Coruinus centũ annos, intérque primum & fextum confulatum interceſſerunt anni 46. Valer.li.8.ca.14.

M. CVRIVS Dentatus Conful Rom. Samnium diruit funditus, anno mundi 3673. ante Chriftum natum 289. tunc bellum 49. annis cum Samnitibus geftum, finitũ eft: neque vllus hoftis intra Italiã fuit, qui Ro. antea vfque adeò fatigauerit. Huic Samnites magnum auri pondus publicè miſſum attulerunt, qui in agrefti fcamno, aſſidens foco, ac ligneo catino cœnans, vultúmque rifu foluens, *Superuacuæ*, inquit, *legationis miniftri, narrate Samnitibus, M. Curium malle locupletibus imperare, quàm ipfum fieri locupletem: & mementote me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi poſſe*. Idem Curius Italia Pyrrhum regem exegit: atque ex præda regia, qua exercitum vrbémque ditauerat, nil attigit. Eutro. lib. 2. Valer. lib. 4. cap. 3. & Pli. lib. 8. cap. 6. de elephantis primùm Romæ vifis.





TIMOLEON, nobilis Corynthius, missus est cum paucis triremibus in Siciliam anno mundi 3618. ante Christum natum 344. ídque ad liberandas à Dionysij tyrannide Syracusas. hic quinquagesimo postquam appulisset die, vrbem cepit: deinde arcem obsidens, Dionysium ad deditionem compulit, & cum paucis in exilium Corynthum misit: arcem solo æquauit: Syracusanis libertatẽ restituit: miserã Corynthi vitã priuatámque Dionysius duxit. Ex Græcia coloni noui in Siciliam habitatum missi, benignè Timoleon suscepit: deinde leges Syracusanis dedit. Cùm itaque ciuitas reuiresceret, & ciuibus vndiq; confluentibus oppleretur, cupiens vniuersam Siciliam in libertatem asserere, & ad vnum tyrannos excindere, ad cæteras vrbes exercitum duxit, & Icetem à Carthaginensibus deficientem vt arces demoliri promitteret, & apud Leptinos priuatè viueret, coegit, Leptinum tyrannum Corynthum misit: nam Siciliæ tyrãnos in exilio & calamitate Corynthi degere pulchrum ducebat spectaculum Timoleon. Consulito Plutar. in Timoleontis vita.

DIONYSIVS Siciliæ Tyrannus, patre eiusdem nominis genitus, militum fauore patri succedẽs, initio tria captiuorum millia libertate donat, tributa triennio remittit, vt populũ sibi conciliet. At verò sublatis quos metuebat, in cæteros quoque grassatus, ob crudelitatem inuisus expugnatur, fugatur: redit: Syracusas proditione recipit. Iterum, Corynthiorum auxilio obsessus, deposito imperio Corynthi exulat, puerósq; in triuiis docet. Vide Iusti. li. 21. Cice. li. Tuscu. 4. Vale. li. 6. ca. 11. meminit eiusdem idem Valer. de neglecta religione, li. 1. ca. 2. & de exquisita custodia, li. 9. ca. 14.






ALEXANDER, cognominatus magnus, ſucceſſit patri Philippo in regno Macedoniæ, anno mundi 3 6 2 8. ante Chriſtum natum 334. anno ætatis 20. hic conſpecta Aſia, ſummo deſiderio obtinendę accenſus, ac ſpe eximia, patrimonium omne ſuum quod in Macedonia Europáque habebat, amicis diuidit, ſibi Aſiam ſufficere præfatus. Perſis dictitans longa iam ſatis & matura imperia contigiſſe, quorúmque tẽpus eſſet vices excipere melius acturos. Sed neque alia quàm regis animorũ, exercitus præſumptio fuit: nam obliti omnes coniugum liberorúmque, & longinquæ à domo militiæ, Perſicum aurum, & totius orientis opes, iam quaſi ſuam prædã ducebãt, nec belli periculorum, ſed diuitiarum meminerant. milites à populatione Aſiæ prohibuit, parcẽdum ſuis rebus præfatus, nec perdenda ea quæ poſſeſſuri venerant. In exercitu habuit peditum 3 2 0 0 0. equitum 4500. naues 182. Milites elegit veteranos, vt magiſtros militię magis quàm milites electos putares. Dariũ vicit. Perſarum peditum 2 0 0 0 0. occidit: equitum 1 5 0 0. mater, vxor, filiæ Darij captæ ſunt. Babyloniã cepit, Perſepolim diripuit, Indiam ad Gangem vſque obtinuit. Imperauit annos 12. Vide Plutar. in eius vita, & Iuſti. multis in locis.

THALESTRIS, Amazonum regina, Alexandrum adiit, concubitum ad prolem ſuſcipiendam petiit, & obtinuit. Vide Iuſti. li. 2. & 12. Quin. Cur. lib. 6. Oro. li. 3. ca. 18. de hac vide etiam ſupra in Pentheſilea.





XENOCRATES Platonis auditor fuit,tardus quidem ingenio,quem Plato Ariſtoteli conferens,*alterum freno , alterum dicebat egere calcaribus*:item,*cui equo quem aſinum iungo?*fuit tamen tantæ ſeueritatis,atque integritatis,tantáque illius verbis fides habita,vt cùm nullius iniurati teſtimonium admitteretur,huic ſoli remiſerint Athenienſes iuſiurandum:tantæ cõtinentiæ, vt Phryne ac Laïs,inſignia ſcorta,nullis eum vnquam blãdimentis allicere potuerint , quinetiã ſtatuam non hominem eſſe dixerint:tantæ frugalitatis , vt maximas pecuniæ ſummas ſibi ab Alexandro, itémq; ab Antipatro miſſas recuſauerit:tantæ erga præceptorẽ Platonem obſeruantiæ,atque amicitiæ,vt cùm Platoni Dionyſius diceret,Caput tibi quiſquã tollet,hic ſuũ oſtendẽs, Nullus, inquit,id prius quàm iſtud abſcindet. Vide Dioge. Laer.li.4.S.Aug.de ciui.Dei li.8.ca.12.& Vale.Max.li.4.ca.3.

EPICVRVS Neoclis filius , tempore Xenocratis Athenas adiit. Is vulgò dicitur ſummũ bonum in voluptate conſtituiſſe. verùm ſic ſuam explanat mentem in epiſtola ad Menicæum:*Cùm voluptatem finem eſſe dicamus,non eam quæ in guſtu & ingluuie eſt poſita,vt quidam ignorantes,aut malè accipientes arbitrantur, ſed non dolere corpore,animóque trãquillum eſſe dicimus:virtutes iucundæ vitæ coniunctæ ſunt, iucundáque vita ſeparari à virtutibus nequit.* Diog. Laert. lib. 10. agnitus eſt Epicurus circa annum mundi 3635. ante Chriſtum natum 327.





PTOLEMAEVS Lagi filius, mortuo Alexandro Magno, ab equitibus primùm, deinde communi omnium conſenſu Ægypti rex declaratur, anno mundi 3640. ante Chriſtum natum 322. huic Africæ, Arabiæque pars cum Aegypto ſorte venit: ex gregario milite eum Alexander virtutis cauſa euexerat. In Ægypto ſolerti induſtria magnas opes parauit: Ægyptios inſigni moderatione in fauorem ſui ſolicitauit, & reges finitimos obſequiis deuinxit: terminos imperij, vrbe Cyrene ampliauit: tantúſq; factus eſt, vt non tam hoſtes timeret, quàm timendus ipſe hoſtibus eſſet. Demetrium Antigoni filium bello vicit: captiuos, omnémq; prædam dimiſit: ſe propter dignitatem, non propter prædam pugnaſſe dictitans. Poſthæc victor ipſe à victo nauali prælio vincitur: filium & fratrem atque amicos Ptolemæi captos, Demetrius pari antea munere prouocatus, in Ægyptum remittit: doníſque inter ipſa bella contendunt: tanto honeſtius tunc bella gerebantur, quanto nunc amicitiæ coluntur. Vide Iuſtin. lib. 13. 14. & 15. Legatos ex Alexandria miſit Romam conciliandæ amicitiæ gratia: imperauit annis 40. Cyprum & Phœniciam tenuit: ab hoc omnes alij reges Ægyptiaci, vocati ſunt Ptolemæi.

BERENICE vxor fuit Ptolemæi prædicti, de cuius nomine Philadelphus eius filius, quam in ſinu Arabico extruxit vrbem, appellauit. Fuit & altera Berenice, Philadelphi & Arſinoes filia, quæ Ptolemæo Euergeti nupſit, cuius crines in cœlum relati feruntur, autore Conone mathematico.





CASSANDER Antipatri filius, poſt cædem Philippi (qui & Aridæus) fratris Alexandri Magni, imperium tenuit apud Macedones, anno mundi 3647. ante Chriſtum natum 315 hic Pictuam vrbem obſedit: Olympias longæ obſidionis tædio, pacta ſalute, ei ſe tradidit: nihilominus tamen eam interfici iuſsit: hæc erat Alexandri magni mater. Herculem quoq; huius Alexandri filium vnà cum matre Barſine occidi curauit. hic Abderitis, à ranis & muribus patria pulſis, agros in Macedoniæ finibus dedit, ſibi ab illis timens. huius filius Antipater matrem Theſſalonicen occidit, quòd fratri Alexandro in partitione regni propenſior eſſe videretur. Vide Iuſti.lib.15.& 16. regnauit annis 19.

SELEVCVS Nicanor, Antiochi & Laodice filius, vir clarus, cum Alexandro Magno ad bellum Perſicum profectus eſt: quo mortuo Caſtris eius præfuit. vrbem condidit, quam de patris nomine Antiochiam vocauit: Regnum Syriæ occupauit anno mundi 3652. ante Chriſtum natum 310. multa in Oriente poſt diuiſionem, inter ſocios, regni Macedonici, bella geſſit. principio Babyloniam capit: inde auctis ex victoria viribus, Bactrianos expugnat: tranſitum deinde in Indiam facit, quæ poſt mortem Alexandri velut iugo ceruicibus excuſſo, præfectos occiderat: autórque libertatis Sandrocottus fuerat, qui tunc Indiam poſsidebat: cum quo facta pactione Seleucus, compoſitíſque in Oriente rebus, in bellum Antigoni deſcendit. Iuſti.lib.13.& 16. regnauit in Syria annis 32.





ANTIGONVS, inter Alexandri Primores clarus, sorte tenuit Phrygiam maiorem, mortuo Alexādro: verumtamen post sex annos Asiam occupat, regnátque in ea annos 18. quorum initium fuit annus à mundo condito 3645. ante Christum natum 317. Contra Eumenem pugnauit, fugauit, obsedit: obsidionem soluit, ob auxilia ab Antipatro ad Antigonum missa. Altero bello vicit Eumenem cum Argyraspidibus: qui ignaris ducibus legatos ad Antigonum mittunt, vt sua reddi iubeat: redditurum se pollicetur, si Eumenem sibi tradant: Eumenes fugere tentat, concursu multitudinis retrahitur: retractus facultatem orandi petit: orat: cum non obtinet, milites suos deuouet: hi produnt eum, quem verecundia prioris amicitiæ in conspectum suum venire prohibet Antigonus, & custodibus asignari præcipit. tandem dum in belli prædam, in cuius periculum solus descenderat, socios Ptolemæum, Cassandrum, & Lysimachum admissurum se negat Antigonus, ab eisdem bello victus occiditur. Vide Iusti. lib. 13. 14. & 17.

DEMETRIVS, qui & Polyorcetes, succesit Antigono patri in regno Asiæ, anno mundi 3663. ante Christum natum 299. hic à Ptolemæo victus est, deinde Ptolemæum vicit, vt in Ptolemæo diximus. Cleonymum fudit, Thebas cepit: Macedoniæ regnum sex annis tenuit, Philippo & Alexandro, Cassandri filiis, prius à se per insidias occisis. Pyrrhus victo Demetrio Macedoniæ regnum occupat. Demetrius Seleuco se tandem cum Asiæ regno dedidit. Vide Iusti. li. 15. 16. 17. & Plutar. in Pyrrho & Demetrio.





LYSIMACHVS illuſtri quidem Macedoniæ loco natus, ſed virtutis ornamentis omni nobilitate clarior extitit.hic animi magnitudine, Philoſophia, virium gloria, omnes per quos Oriens domitus eſt,vicit.A Calliſthene,quamuis truncato auribus, naribus, ac labiis, præcepta Philoſophiæ accipere non erubuit.hunc ferociſsimo leoni obiecit Alexander:leonis linguam hic ſtatim auulſit: chariorem inde habuit eum Alexander,quem imprudens cùm in fronte vulneraſſet, diadema ſibi demptum Rex alligandi vulneris cauſa, capiti eius impoſuit, quod auſpicium primum regalis maieſtatis Lyſimacho fuit. Regnauit itaque in Macedonia anno mundi 3676.ante Chriſtum natum 286. Poſt mortem Alexandri cùm inter ſucceſſores prouinciæ diuiderentur,Thraces,& Pontici,ferociſsimæ gentes,illi quaſi omnium fortiſsimo aſsignatę ſunt.De cuius morte ac filiorum eius 15. vide Iuſtin.lib.17. Lyſimachiam condidit,quæ terræ motu corruit.

ANTIGONVS Gonatas, Demetrij Aſiæ regis filius, apud Macedones regnat anno mundi 3686. ante Chriſtum natum 276. Pyrrhus Antigonum fugat: Macedoniam occupat:poſt cuius mortem Peloponneſij Antigono traduntur: tandem multiplici bello preſſus, in ſpeciem caſtrorum parua manu aduerſus cæteros relicta, totis viribus in Gallos contendit, quos vicit. Interim Alexander Rex Epiri in vltionem mortis Pyrrhi patris ſui, Macedoniam depopulatur, & capit: Demetrius Antigoni filius eam recipit, regnóque Epiri Alexandrum ſpoliat. Coſulito Iuſti. lib.25.& 26. ac Plutar.in Pau.Aemi.





PYRRHVS, patre Epirotarum Rege in exilium acto, furtim ſubtractus ad Illyricos bimus defertur, vbi Rex eum adoptat, protegítque aduerſus Caſſandrum Macedoniæ Regem. his rebus moti Epirotæ, odio in miſericordiam verſo, eum in regnum reuocant. Adoleſcens multa bella geſsit, tantóq; ſucceſſu, vt Tarentinos ſolus aduerſus Romanos tueri poſſe videretur. Romanos elephantis primùm viſis territos, vincit, vulneratus ipſe: ducentos captiuos milites gratis Romam remittit. Syracuſas veniens, multas ciuitates dum ſubigit, Rex Siciliæ ſicut Epiri appellatur: filiis, Heleno, Siciliæ, Alexandro, Italiæ regnum deſtinat: poſtea bella aliquot feliciter cum Carthaginenſibus gerit. tandem ex Sicilia abiens, dixiſſe fertur, *O qualem Carthaginenſibus & Romanis pro hac inſula palæſtram relinquimus!* A Pœnis nauali prælio victus, ab Antigono, de quo ſupra, auxiliares milites petit: non obtinẽs, repentè Antigonum vincit, fugat, Macedoniam capit, anno mundi 3676. ante Chriſtum natũ 286. Iam Græciæ, Aſiæque regna meditatur: nec illi maior ex imperio quàm ex bello voluptas: à Spartanis tamen, maximè à mulieribus, non fortius quàm verecundius victus, recedit: Ptolemæum filium amittit. Pulſus à Spartanis Argos petit, vbi Antigonum oppugnans, atque inter confertiſsimos hoſtes fortiſsimè dimicans, ſaxo de muris iactato, occiditur. Vide Iuſtin. lib. 17. 18. 23. 25. Plutar. in Pyr. & Oro. lib. 4. cap. 1. 2. 3.

ALEXANDER, Pyrrhi filius, vlciſci patris mortem cupiens, Macedoniæ fines populatur: Antigonus tranſitione militum deſtitutus, regnum cum exercitu amittit. Iuſti. lib. 26.





M.CL.MARCELLVS Romæ Conſul fuit, anno mundi 3676. ante Chriſtum natum 286. natura vir ad bellum propenſus extitit, & quod illius certamina declarant, acer ac ſtrenuus: ad cæteras vitæ partes humanus atque modeſtus. Græcæ verò diſciplinæ ac dicendi ſtudiis addictus, quæ tamẽ per bellorum occupationes, non vſque adeò illi aſſequi licuit. Briomatum Geſſatarum Regem ſingulari certamine vicit. Tunc prædam & arma ſecum auferens, ad collegam Cornelium regreditur, per id tempus aduerſus Gallos infœliciter dimicantem: vt venit, Mediolanum, ac collegam obſidione liberat: poſthæc decretus eſt à ſenatu ſoli Marcello triumphus. Syracuſas cepit, opulentiſsimam ac florentiſsimam Siciliæ vrbem: cuius ſubiectam oculis magnificentiam ac ſplendorem circunſpiciens, diu illachrymaſſe dicitur: fatúmque Archimedis Geometri ægerrimè tuliſſe. Cum Annibale poſt Cannenſem cladem congredi auſus eſt, quem & Nola expulit. Annos ſupra 60. natus, quintum agens conſulatum, inter pugnandum lata transfigitur lancea. Eius clariſsima progenies ad Marcellum vſque Cæſaris nepotem propagatur, quem Octauia Cæſaris ſoror, ex C. Marcello ſuſcepit. Plutar. in Auguſti, Marcelli & Annibalis vita: Titus Liuius Deca. 3. lib. 3. 4. 5. 6. & 7.

A.POSTHVMIVS Albinus Conſul Romæ fuit cum Luctatio Catulo, anno mundi 3721. ante Chriſtum natum 241. Luctatius Hannonem vicit: anno ſequẽte Tyberis exundatio, atque incendium Romam prope abſumpſerunt. Conſulito Eutr. lib. 2. atque Oro. lib. 4. cap. 11. & 12.





PTOLOMAEVS Philadelphus, ſuperioris Ptolomæi filius iunior, ſucceſsit patri in regno Ægypti, anno mundi 3680. ante Chriſtum natum 282. hic Stratonis diſcipulus doctiſsimus fuit: Bibliothecam inſignem parauit Alexandriæ. Iudæos qui in Ægypto erant, liberos eſſe permiſit, & vaſa Eleazaro ſummo ſacerdoti Ieroſolymorum, votiua tranſmittens, diuinas ſcripturas in Græcam linguam per ſeptuaginta interpretes verti curauit. Huius frater maior natu, qui Seleucum vita regnóque Macedoniæ priuauerat, amicitiam, pacémque ac concordiam per epiſtolas deprecatur, profeſſus deponere ſe offenſam erepti paterni regni, neque amplius à fratre quæſiturum quod honeſtius à paterno hoſte percepiſſet. Eutr.lib.2. Iuſti.lib.17.D.Epipha.in lib.de ponde. & menſuris.Ioſe. lib.Antiqui.12.cap.2.Titus Liu.Deca.5.lib.4.& 5.

ELEAZARVS, patri Oniæ, cognominato iuſto, ſucceſſit in pontificatu Iudæorum, anno mundi 3691. ante Chriſtum natum 271. Ad hunc ſcripſit Ptolemæus Philadelphus, hic quoque ad illum: extant vtriuſque epiſtolæ apud Ioſephum lib.Antiquit.12.cap.2.Miſit hic ad Ptolemæum libros Moſaicæ legis, atque ex vnaquaque tribu ſenos viros interpretes, Hebraicè Græcéque peritiſsimos. Conſulito D.Auguſt.lib.de ciuit.Dei 18. cap.42.







PRVSIAS Bithyniæ Rex fuit, ad quem, post memorabilem pugnam ad Magnesiam commissam, confugit Annibal, ab Antiocho à Romanis debellato discedens: tandem Prusias Q. Flaminio Romanorum legato Annibalem prodidit: custodiis ac militibus Regis vallatam domum vt sensit Annibal, venenum sumpsit. Postea proditor ille Prusias consilium capit occidendi filij sui, dum minoribus filiis quos ex nouerca susceperat, quos & Romæ habebat, fauet: verùm à filio præuentus, ille ipsemet occiditur. Vide Plutar. in Annibal. & Iustin. li. 31. & 34.

ANNIBAL Amilcaris filius, Carthaginensium dux præclarissimus, nisi auariciam & sæuiciam in eo culpes, rem Romanam mirè afflixit. Primùm annos natus viginti, Saguntum Romanis amicam, debellauit: congregatis 150000. peditum, & 20000. equitum, exercitum deinde per alpes in Italiam traduxit: Titum Sempronium, item Flaminium fudit, cæsis 15000. Romanorũ. Sed tamen eius vires à Fabio attritæ sunt: quibus collectis ac resumptis, maxima clade Cannensi Romanos affecit: nam equitum 2700. peditum 40000. occidit: tres anulorum modios Carthaginem misit: cúmque vrbem capere posset, in Campaniam reuertitur. Tandem victus à Marcello, iterúmque à P. Scipione, item ab Eumene Antiocho etiam superato, qui illi opem tulerat, ad Prusiam fugit: vbi fidem Prusiæ suspectam habens, hausto veneno, volens obit, anno mundi 3774. ante Christum natum 188. Vide Eutr. li. 3. Flo. li. 2. Plutar. in Annibal. In Italiam adduxit elephantos 37. Polyb. lib. 2. & 3. Tit. Li. lĩ. 1. Deca. 3. August. lib. de ciuit. Dei. 3. cap. 20.





P. CORNELIVS SCIPIO, dictus Africanus maior, ab Africa deuicta, annos natus 24. vir Romanorum omnium & ſua ætate, & poſteriori tempore ferè primus, quaſi nouã integrámque prouinciã vltor patris, & patrui inuadit, Carthaginẽ Hiſpaniæ capit, in qua omne aurum & argentum, & belli apparatum Afri habebant: nobiliſſimos obſides, Magonem etiam Annibalis fratrem, ibi capit, quem Romã cum aliis mittit. Non contentus Pœnos expuliſſe, ſtipendiariã Romanis prouinciam facit: omnem citra vltráq; Iberum ſubiecit imperio: primúſque Romanorum ducum victor ad Gades peruenit: plus etiam prouinciam retinere quàm facere ſtuduit. Hiſpanorũ obſides parẽtibus reddidit: quare omnes ferè Hiſpanię ad eum trãſierunt. Aſdrubalem, Annibalis fratrẽ victum fugauit, prædámque maximam cepit. Senex tandẽ inuidiæ cedens, Linternum exulat, vbi ſepultus creditur. Vide Eutr. li. 3. & Flor. li. 2. exulauit anno à mundo condito 3777. ante Chriſtum natum 185.

TERENTIA Æmylia, Scipionis Africani vxor, præter vxorum morem, cùm videret ſenem maritũ ancillulam deperire, ne eius dignitas imminueretur, reticuit, conſtantíque animo pertulit: quinetiam eo mortuo, ad tollendam ſuſpicionem, ancillam manumiſit, libertóque ſuo in matrimonium collocauit. Vide Supplemen. chro.







MATATHIAS ſacerdos,vir pietate clarus,Iudæũ quemdam idolis palàm ſacrificantem iuxta mandatum impij Antiochi,zelo Domini accenſus,occidit ad altare ipſum,quod & diruit:ac mox etiã interfecit Antiochi Regis legatum præcipientem idolis immolare : hũc Regis Antiochi iudicẽ, Apollonium vocat Ioſephus,li. Anti. 12.ca.7.Hic Matathias autor fuit pugnã di Iudæis,etiã die ſabbati,cùm iam mille occubuiſſent,religioſè nimis obſeruantes hunc diem. Multi itaque Iudæorum adiunguntur Matathiæ,& illum ſibi iudicem creant, qui & Sabbatis eos docet pugnare:*quod ſi non feceritis,*inquit, *vobiſmetipſis eritis hoſtes, in illo die contra vos venientibus inimicis.*Sic arma corripiẽs,patrias leges aduerſus Antiochi Duces vindicauit,præfuítque populo annum vnum,anno ſcilicet mundi 3795. ante Chriſtum natum 167.vide li.1.Macha.ca.2.Ioſeph.li.12.ca.7.

IVDAS Machabeus,Matathiæ filius,rebus & populo præeſt in locum patris ſuffectus,qui iuuantibus prono animo quatuor ſuis fratribus, cæteriſque piis,qui patri ſuo adhæſerãt hoſtes profligat:Apollonium Ducẽ, alterum à priore, qui primus contra Machabæũ in aciem deſcendit, cum ſuis copiis partim cæſis partim fugatis,interficit: Seron quoque Syriæ inferioris ducem ſuperat: deinde Gorgiam à Liſia exercitui præfectum, ipſum quoque poſtea Liſiam, ac Nicanorem fundit, fugat,ſuperat,mira celeritate,ac victoria : poſt hæc templum purgat ac inſtaurat, altare Domino dedicat:pro mortuis ſacrificiũ offert. Antiochus cum eo fœdus init : fidem frangit,templum ſpoliat: à populo ſummus ſacerdos creatur Iudas, anno mundi 3805. ante Chriſtum natum 157.Prefuit annis 12.fœdúſque cum Romanis init : obit in prælio.





IONATHAS fratre Iuda Machabæo interfecto Dux populi constituitur anno mundi 3808.ante Christum natum 154. Hic statim Bacchidem,cum quo pugnãs occubuerat Iudas,ad Iordanẽ vicit. Tertio posthæc anno, collecto ingenti exercitu iterum in Iudæam venit Bacchides, Ionathã cum Simone fratre obsedit,tandémque commissa cum Bacchide pugna,fusus est Bacchides ipse:qui rebus accisis,coactúsque pacẽ amplecti, iurauit se nunquam in Ionathã quicquam moliturũ. Alexãder Epiphanes,Antiochi filius,audiẽs Ionathæ famã, amicitiæ fœdera cum eo sanciuit. Demetrij præfectum Apollonium Ionathas bello fundit ac fugat,multásque vrbes capit:octo hostium millia occidit:templum Dagon, quod erat in Azoto,vnà cum vrbe incẽdit.Posthæc aduersus alienigenas qui Iudæam vastabant,mouit, atque eos tota Iudæa expulit:& cum Romanis ac Spartiatis amicitiæ fœdera renouauit.Tandem Tryphon simulata amicitia eum circumuentum cum suis interfecit.Vide li.1. Macha.ca.9.10.11.& 12.rexit an.15.

SIMON occiso fratre Ionatha, Dux populi creatur anno mundi 3823. ante Christum natum 139. Hic Gazam vrbem, quã cepit,ab idolis purgauit: fœdus cum Romanis ac Spartiatis redintegrauit. Cendebæum Antiochi præfectũ fudit, fugauítque.At verò,vt sunt hominũ fata in temerè fortunæ varian tis arbitrio,tandẽ cum filiis duobus atq; aliquot seruis, in conuiuio,atque à Ptolemæo genero suo dominium affectante,qui ei cõuiuium appararat,interficitur. vide li.1.Macha.ca.13.14.15. 16.& Iose.li.Anti.13.ca.9.10.11.12.rexit an.8.





HYRCANVS, qui & Ioannes,ſupradicti Simonis filius, patri ſucceſſit,Dúxque populi fuit anno mundi 3831.ante Chriſtum natum 131. Hic ſumma cum laude populo præfuit, vitæ ſuæ inſidiãtes,à Ptolemæo miſſos,occidit.Antiochus Soter,qui & Pius,Hircanum Ieroſolymis obſedit,accepta tandẽ pecunia obſidionem ſoluit.Hyrcanus Dauidis ſepulchrum aperuit, ingentes theſauros reperit, quibus Iudæorum cæpit peregrinos alere. Cum Rom. fœdus renouauit.Cognita Antiochi morte, Samariam,quæ rurſum à Iudæis defecerat,obſedit, ac poſt annum captam,ſolo æquauit.magnas opes cumulauit(nam à Regibus Syriæ,qui inter ſe certabãt,liber factus, nullum iis vectigal ab Antiochi morte pendebat)quinetiam ciuitates Idumææ domuit. Vide 1. lib. Macha.ca.16.Ioſe.lib. Antiqui.13.à ca.13. ad 18. Fuit Hyrcanus Dux, ſummus ſacerdos, ac Propheta: rexit an.25.Ioſe.ait 31.

ARISTOBVLVS Hyrcani filius,mortuo patre principatum & ſacerdotium ſuſcipit,anno mũdi 3857.ante Chriſtum natum 105. Hic Magiſtratum ad regiam dignitatem tranſtulit, primúſque, poſt captiuitatẽ Babylonicam, diadema ſibi impoſuit.Crudelis,fratres in vinculis tenuit & matrem quã penuria cõſumpſit:fratrem Antigonũ nefariè occidi curauit, ad turrim Stratonis clam collocatis ſicariis.Ituræos ſubegit, plurimámq; eorum prouinciam Iudęis adiecit.Corruptis poſtquam annum imperat,viſceribus,copiámque ſanguinis euomens, decidit in eundem locum qui ſanguine fratris aſperſus erat, ibíque fraternos manes,miſerè moriens,placat.Ioſe.li.Anti.13.ca.18.





TIB. GRACCHVS Tribunus plebis, certauit de lege agraria pro egenis aduerſus diuites,quo tēpore Africanus Scipio apud Numantiam pugnabat. Nam Romani quantum vicini agri hoſtibus adimebant,partim venundare,partim in publicum redigere, ac egenis ciuibus pro modica penſione vtendum tradere cõſueuerant:ſed diuitibus penſiones augentibus, pauperéſque excludentibus, lata eſt lex,quæ ſupra quingenta agri iugera ciuem Romanũ poſſidere vetabat. Hæc lex paucos annos aduerſus locupletes auxilio fuit. Nam primò conductis perſonis fraus legi fiebat : deinde apertè iam per ſeipſos occupare agros diuites cœperant. Pauperum itaque partes fouens Gracchus,diuitum inuidiã contraxit:in ipſóque tumultu dum fugere tentat, toga retentus, pede ſubſellij caput percutitur à P.Saturnino,vno ex principibus,&,cum aliis triginta, fuſtibus & lapidibus mactatur:quorum corpora fuerũt proiecta in Tyberim,anno mundi 3831.ante Chriſtum natum 131. Plut.in vita Grac. Appi.li.1. Eutr.li.4.

CORNELIA Africani filia,Tiberij & Caij Gracchorum mater, marito vidua hos ſic educauit,vt cùm magnitudine indolis cæteros omnes anteirent, doctrina tamen quàm natura præualuiſſe viderentur.hæc relicta cum duodecim filiis,Ptolemæi regis nuptias reſpuit : cum ille regni & diadematis communicationem offerret. Deinde decem ex filiis obierunt, ſupradictis duobus relictis : filiam Africano minori collocauit. Plutar.in Tibe.& Ca.Gracchis.





IVGVRTHA, Micipsæ Numidarum regis adoptiuus hæres, Hiempsalis capite potitus, in Adherbalem se conuettit (hi erant fratres regni cohæredes.) Adherbal Romã profugit (nam in Romanorum fide ac cliẽtela regnum Numidicũ erat) missa itaque pecunia primò in sententiã suam senatum trahit Iugurtha: deinde missis à senatu, qui regnum diuiderent, inchoatum nefas perficit, pacem emit. Accersitus posthæc Romã, publica interueniente fide, vbi venit, auro omnibus corruptis aut attentatis, omnia dissentionibus permiscet: discedénsque dicit, *O Vrbem venalem, & citò perituram, si emptorem inueniat.* Placet deinde Senatui bello hunc parricidam persequi, Sp. Albinus in eum mittitur, cuius exercitũ auro etiam corrumpit Iugurtha. Assurgit Metellus, qui eum duobus præliis vincit: cúmque iam bello finẽ impositurus esset, successit C. Marius, qui Bocchum Mauritaniæ regem Iugurthæ socerum superat: Bocchus precium fœderis atque amicitiæ, regem Iugurtham facit: quem catenis opertum in triumpho populus Romanus aspexit. Eutr. li.4. Flo. li.3. Sall. Plutar. in Mar. & Syl. Romæ in scrobẽ demissus post sextum diem fame ac frigore atteritur, anno mundi 3857. ante Christum natum 105.

C. MARIVS cum Q. Catulo aduersus Cymbros missus, victoriam reportat, anno mundi 3863. ante Christum natum 99. Hic affectauit vt ad bellum Mithridaticũ mitteretur: quare Sylla commotus, Marium vrbe fugat: inde perniciosiss. bellum ciuile exortum. Eutr. li.5. Appi. li.1. ca.8. Flo. li.3. ca.3. fuit septies Consul: victus à Sylla, in palude latuit: in vincula inde cõiectus, immissum percussorem, autoritate vultus terruit, & scapha in Africam traiecit: fertur voluntaria morte obiisse.





IAMNEVS, qui & Alexander, Ariſtobuli frater, Rex Iudæis conſtituitur à Salome, ſiue Alexādra, eiuſdem Ariſtobuli vxore relicta, quæ mariti fratres, inter quos erat is Iamneus, ſtatim è vinculis liberat anno mundi 3858. ante Chriſtum natum 104. Iamneus fratē regni æmulum occidit. cōtra Ptolemaidem & Gazam, quæ à Iudæis rurſus defecerāt, mouit: cladē maximā à Ptolemæo Lathyro accepit ad Iordanē. A cleopatra Ægypti Regina, Ptolemæi huius matre, opem implorat, quæ ne filius ſubacta Iudæa in Ægyptū irrumperet, valida eum manu in Cyprum abire cogit. Maxima populi multitudo ab Alexādro defecit, ſed adiutos etiam à Demetrio Rege Syriæ, vicit: quorum potentiſſimos octingētos, dum cum cōcubinis cœnat, crucifigi iubet, liberóſque & vxores eorum corā ipſis adhuc viuentibus, mactari. poſt hæc Iāneus hic, ſiue Alexāder, crapulæ indulgens, in morbū incidit, quartanáque febri poſtquàm tribus annis laborauit, obiit anno regni 27. Vide Ioſe. li. 13. ca. 19. 20. & 21.

ALEXANDRA, quæ & Salome, Ariſtobuli prædicti ac Iamnei poſtea vxor, vt certum cum filiis regnum tutaretur, Regis mortē, ex eiuſdem Regis Iamnei mandatis, militibus celat, vſquequo caſtellum cepiſſet: præterea Phariſæorū beneuolentiam captat, in quos omnem poteſtatē transfert, nomen tātùm regium ipſa retinet annos nouem, incipiētes anno mundi 3885. ante Chriſtum natum 77. Ioſe. li. Antiqui. 13. ca. 22. Hæc ſummum ſacerdotem Hyrcanum creauit.





MITHRIDATES Rex Ponti, diffidentibus Romanis primùm fociali bello, deinde ciuili, Cappadociam occupat, ex eáque Ariobarzanẽ Regẽ, amicum populi Romani fugat: mox etiam Bithyniam inuadit, & Paphlagoniã, quorum Reges expellit, anno mundi 3876. ante Chriſtũ natum 86. Inde ad Epheſum contendit, & per omnẽ Aſiam literas mittit, vt vbicunque inuenirentur ciues Romani, vnico die trucidarentur: quod & factum eſt: nam vno die octuaginta Romanorũ ciuium millia occiſa ſunt. Cauſam belli prætẽderat, attrectari terminos ſuos à Nicomede Bithyniæ Rege, populi Romani amico. Mittit ad Achaiam Archelaum ducẽ ſuum cum hominum 120. millibus, tam equitũ quàm peditum, per quem Græcia occupata eſt. In ſumma fuit hoc bellum Mithridaticũ omniũ longè maximum: nam cùm anni quatuor Pyrrho, 17. anni Annibali ſuffecerint, hic Mithridates per 40. annos reſtitit, donec tribus ingentibus bellis ſubactus, felicitate Syllæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeij eneruaretur. Cõſulito Eutr. li. 5. & Flor. li. 3. item Appi. li. Mithridatico.

HYPSICRATEA, pellex, ſiue, vt alij valunt, Mithridatis vxor, viri Perſici habitum gerẽs, aderat Mithridati etiã tum cùm à Pompeio victus, à ſuis etiam, præterquã à duobus, ſociis relictus eſt ſummo in diſcrimine. Vide Plutar. in Pompeij vita.







SYLLA Romanus Patricius,Conſul,mittitur à Senatu aduerſus Mithridatē. Archelaum Mithridatis ducē obſidet,vincit,ita vt ex 120.hominū millibus vix decem ſupereſſent millia Archelao. Athenas capit Sylla anno mundi 3877. ante Chriſtum natum 85.Mithridates 70.hominum millia lectiſſima Archelao in ſubſidium mittit:vno atque altero prælio has omnes Mithridatis copias delet Sylla: Archelaus triduo nudus in palude latet. Mithridates pacē poſtulat:non daturū ſe reſpondet Sylla,niſi relictis quæ occuparat,in regnū redeat. Interim Sylla Dardanos, Scordiſcos, Dalmatas & Mœſos partim vincit, partim in fidē accipit.Ecce autē interea Romæ Marius & Cor. Cinna nobiliſſimos exSenatu interficiunt,multos proſcribunt: Syllę domum euertunt:vniuerſus reliquus Senatus ex vrbe fugiens,ad Syllam in Græciā venit: atq; vt patriæ ſubueniat,precatur. In Italiam ille traiicit, Marianam factionem diſſipat:aduerſariorum exercitus delet, fundit, obruit.Eutr.li.5.Appi.li.1. Flo.li 3.Dictaturam gerens,ea ſe abdicauit,ruríque agens morbo obiit pediculari.

MARIVS, C. Marij filius, Romæ conſulatum gerens infeliciter contra Syllam dimicat,20000. ex ſuis perdit:Præneſte fugit,obſeſſus ad mortem compellitur.Eutro.lib.5.Porrò Flo.li. 3.ſcribit hunc apud Catuli ſepulchrum,oculis,manibus,cruribúſque defoſſis,aliquandiu ſeruatum, vt per ſingula membra moreretur.





QVINTVS Metellus, Pius dictus est, quòd patrem Metellum Numidicum, qui de Numidiæ rege Iugurtha triumpharat, assiduis precibus ac lachrymis ab exilio reuocarit. Hic Prætor bello sociali Marsorum ducem interemit: Consul in Hispania Herculeos fratres cõpressit, Sertorium expulit, qui redeunte à bello Mithridatico Sylla, in Hispaniã aufugerat, quòd partium Marianarum fuisset. Adolescens Metellus in petitione præturæ & Pontificatus, consularibus viris Prælatus est. huius adolescentia priscos vidit mores, senectus autem nouam exorsa est luxuriam, vt Valerij verbis vtar. Hic inter proscriptos à Sylla, cum ad posticum vxoris suæ Bastiæ, clam capite adoperto accessisset, nec admitteretur, quia illum proscriptum diceret vxor, ibidem se trãsuerberans, fores sanguine respersit. Cæcilius, Liuius in epito. lib. 89. Vale. lib. 9. cha. 1. hic Consul fuit anno mundi 3884. ante Christum natum 78. palmata veste conuiuia celebrauit in Hispania, demisśásque lacunaribus aureas coronas velut cœlesti capite recepit: aris, thure, Attalicísque aulæis læto animo excipi passus est, & lautis epulis apparatos ludos interponi.

CLAVDIA, Q. Metelli Pij supradicti fuit filia. Circa hæc tempora locutus esse dicitur gallus gallinaceus in Ariminensi agro, in villa Galerij. Plinius li. 10. ca. 21. id miraculi, in annalibus relatum, editum est (si credere fas est) anno à mundo condito 3887. ante Christum natum 75. nempe M. Æmy. Lepido, & Q. Luctatio Catulo Romæ Consulibus. Tribunatus plebi restituitur.

ANTIPATER à C. Cæsare Iudææ Procurator designatur anno mundi 3919. ante Christum natum 43.





HYRCANVS Iamnei filius poſt matrem Alexandram apud Iudæos regnat non ita diu, nam frater eius Ariſtobulus minor natu, eum fugat: conuenit tandem inter ipſos vt Hyrcanus priuatum, Ariſtobulus Regem viuat. verùm poſt an.6. à Pompeio Hyrcanus reſtituitur: & partim ſolus, partim cum Antipatro Herodis patre, adminiſtrat:tandē ei aures dentibus præcidit Antigonus.Ioſe.lib.14.ca.1.& 22.

ARISTOBVLVS itaque regnat apud Iudæos anno mundi 3895. ante Chriſtum natum 67. ſed enim Hyrcanus tandem ad Pompeium Magnū confugiens,ab eodem iuuatur, cognita ſuperbia ac iniuria Ariſtobuli:qui cùm bellum Romanis inferre ſtatueret,à Pompeio Ioroſolymis præuētus, obſidetur:ad quē ſupplex egreditur,pecuniámq; promittit: quā cùm primores dare recuſarent,relicto Rege Ariſtobulo apud Pompeium,vrbem claudūt,eóſque introitu arcent.æſtuās ira Pompeius, Ariſtobulum ligat:atq; vrbē magnis viribus dum oppugnat,hæc ab iis qui Hyrcano fauebant,Pompeio traditur:templúmq; tertio poſtquam obſederat mēſe oppugnat Pompeius, M. Tullio Cicerone, & M. Antonio Romæ Coſs. Hircanum ſummum Sacerdotē appellat: Ariſtobulum cum duabus filiabus filio vno(alter enim filius Alexāder effugerat)vinctos Romam abducit.tum primùm Romanis ſubiiciūtur Iudæi.Ioſeph. li.Anti.14.à 1.cap.ad 9.& de bel.Iud.li.1.cap.5.Poſt annum aufugit Ariſtobulus à Roma in Iudæam, & regnū iterum affectans, à Gabinio captus, & ſecundò Romam vinctus miſſus eſt: tandem à Cæſare liberatus,præmiſſúſq; in Iudæam,à Pompeianis veneno necatur.Ægeſip.li.1.





P. CLODIVS vir claris parentibus ortus,iuuenis quidẽ audax,inceſtuoſus ac ſeditioſus,cùm amore Pompeiæ Cæſaris coniugis flagraret,clam eius domũ ingreditur,veſtem ac habitum pſaltriæ indutus:ſpéq; latẽdi mulieres abductus ob adoleſcentiæ formam,genáſque nondũ pubentes turbæ earum,quæ tum in æde Caſaris ſacrum inaceſſum viris agebant,immiſtus, ad Pompeiam ingreditur:deprehensus ac agnitus,etiã Cicerone teſte,accuſatur:verùm iudices tũ metu,tum largitione,tum fauore eum abſoluunt. fit deinde Tribunus plebis, & factione ſua Ciceronẽ in exilium agit, anno à mundo cõdito 3906. ante Chriſtum ſeruatorẽ natum 56.cuius domum ac villas incendit: reliqua bona haſtæ ſubiicit:attamẽ emit nemo.Tandem à Milone Clodius occiditur, accuſatur Milo, patronúmque habet Ciceronẽ, iam antè ab exilio reuocatum.Vide Plutar.in Cice. & Cæſ.item Appi.de ciui.Ro.bel.li.2.

FVLVIA, vxor P. Clodij, quæ poſtea M .antonio nupſit, non muliebres artes, non familiam regere curabat,nec priuatum hominem ſuperare contendebat, ſed magiſtratus gerere, & imperãtibus imperare,vt ſibi magnas gratias deberet Cleopatra, quod inſtitutum ab ea Antonium acceperit. hæc clam noctu profecta, Ciceroni Catilinæ detexit inſidias, eúmque cõmonefecit vt Cethegum,eiúſque comites præcaueret. Plut. in Cice. & Anto.





L. IVLIVS Cæſar, C. Iulij Cæſaris Dictatoris pater, Prætura perfunctus, nullis euidẽtibus cauſis obiit Piſis, exanimatus derepẽte, dum matutino calceatur. Vide Pli.li.7.ca.52. Fuit hic quoque L. Iulius Cęſar Conſul cum Antonio, anno præcedẽte Conſulatum Ciceronis, qui erat annus à mundo condito 3900. ante verò Chriſtum natum 62. Præturam geſſit anno ab hinc quarto: Prætórque Iberos, hoc eſt Hiſpanos, ad Oceanũ vſque ſubigit, ac paulò poſt emoritur. Vide Appi.li.2.

AVRELIA vxor L. Iulij Cæſaris, & mater C. Cæſaris Dictatoris fuit. Vide Sueto. in Cæſaris vita. Porrò Aurelia familia, Romæ olim percelebris, à Sabinis, ſi Feſto credimus, oriunda, Aurelios nobiles Romanos tulit: qui primùm Auſelij dicti ſunt: quemadmodum & Valeſij & Papyſij, poſtea Valerij & Papyrij ſunt vocitati.







C. IVLIVS Cæſar primus Romæ imperat anno mundi 3917. ante Chriſtum natum 44.huic Conſuli decreta eſt Gallia & Illyricum cum legionibus decem.Nam Aſia Pompeij manibus ſubacta,reli qua quæ reſtabāt in Europa,fortuna in hunc tranſtulit. Reſtabant autem immaniſs. gentium , Galli , atque Germani:& quamuis toto orbe diuiſa,habuit qui vinceret,Britannia. Primò vicit Heluetios:deinde vincendo per bella grauiſs. vſque ad Oceanum Britannicum acceſsit. Domuit autem ferè annis nouem omnē Galliam quæ inter Alpes, flumē Rhodanum , Rhenum & Oceanum eſt. Britannos victos (hi Angli ſunt) quibus antè ne nomen quidē Romanum cognitum erat, obſidibus acceptis ſtipendiarios fecit. Germanos etiam trans Rhenum aggreſſus , immaniſs. prælíis vicit.Inter tot ſucceſſus ter,nec amplius , malè illi ſucceſſum eſt : in Britannia (Anglia nunc dicitur)vi tēpeſtatis claſſe penè abſumpta,& in Gallia ad Gergouiam legione fuſa : & in Germanorū finibus legatis per inſidias cæſis. E Gallia victor rediēs, poſcit alterū conſulatum, contradicitur ei à Marcello,à Bibulo,à Pompeio,à Catone, iubetúrque dimiſſo exercitu Romā redire. Hinc manat bellum ciuile lachrymabile. Aduerſum ille patriā cum exercitu venit: fugit ex vrbe cum Pōpeio Senatus omnis in Græciā. Pompeio duce contra Cæſarē bellum parat Senatus,primò prælio vincit Pompeius , deinde in Theſſalia vincit Cæſar. rediens vincit Pharnacē Cæſar : item in Africa nobiles Rom. cum Iuba rege: & in Hiſpaniis filios Pompeij , vbi primo congreſſu in tantum diſcrimē venit,vt ſe voluerit occidere. Tandē omnium victor, dum Romæ inſolentius agit , coniurant in eum 60. ſenatores, equitéſque. Senatus die in curia 24.vulneribus mactatur , poſt aſſumptum imperium an.3.alij dicunt 4.vixit annos 56. Conſulito Sueto. in Cæſ.Plut.item in Cæſaris vita.





COSSVTIA, quæ familia equeſtri, admodum diues fuit, prætextato C. Iulio Cæſari nupſit, quam poſtea dimiſit. Sueton. in Cæſa.

CORNELIA, Cinnæ quartùm Cõſulis filia, ſecunda Cæſaris vxor fuit, ex qua mox Iuliam ſuſcepit. hanc vt repudiaret cõpelli à Dictatore Sylla nullo modo potuit: quamuis & ſacerdotio, & vxoris dote, & gentiliciis hæreditatibus mulctaretur. Quæſtor Cæſar Iuliam amitam, vxorémque Corneliam defunctas, laudauit è more pro roſtris.





POMPEIA, terrtia Cæſaris vxor fuit, Q. Pompeij filia, L. Syllæ neptis, cum qua diuortium fecit, adulteratam opinatus à P. Clodio: dicebátque, *Cæſaris thorum non tantum crimine, ſed & criminis ſuſpitione carere debere.* Sueto. & Plutar. in Cæſar.

CALPHVRNIA L. Piſonis filia, fuit quarta Cæſaris vxor, cùm in Cõſulatu ei ſucceſſurus eſſet ille L. Piſo. hæc poſt viri necem omnẽ pecuniam ad M. Antoniũ tulit. Suet. in Cæſ.





POMPEIVS, parta ingenti felicitate,& celeritate de piratis victoria, mox bellum contra Mithridatem suscepit anno mundi 3897. ante Christum natum 65. quem in Armenia minore nocturno prælio vicit,ac 40000.eius militum occisis, 30.tantum de exercitu suo perdidit:Mithridates cum vxore & duobus ex suis fugit.Tigranes maioris Armeniæ rex Põpeio se dedidit,ad genua eius procubuit, in cuius manus diadema collocauit,quod ei reposuit Pompeius.Orodẽ Albanorum regem vicit:rogatus,veniam ei ac pacem cõcessit.Iberiæ quoq; regem acie vicit. Armeniam minorem Deiotaro Galatiæ regi dedit, quòd opem tulisset ei aduersus Mithridatẽ. Attalo & Pylemeni Paphlagoniam tradidit. Aristarchum Colchis regem imposuit.Mox Ituræos & Arabes vicit.Seleuciã Antiochię vicinam, libertate donauit, quòd Tigranem non recepisset:Antiochẽsibus obsides reddidit. Inde ad Iudæam transgressus, Ierosolymam tertio mense capit:12000.Iudæorum occidit, reliquos in fidem accipit. Post aliquot annos exarsit bellũ ciuile(commune potius,ac plus quàm bellum vocat Florus)omniũ turbulentiss.ac pestilentiss. inter Pompeiũ & Cæsarem. Primo congressu victus & fugatus Cæsar,euasit:quia nocte interueniẽte Pompeius sequi noluit:dixítque Cæsar, *nec Pompeium scire vincere:& illo tantùm die se potuisse superari.* Deinde apud Pharsaliam pugnatur,vtrinque summa contentione : victus tamen Pompeius ad Ptolemæum,cui tutor à senatu datus fuerat,fugit. is fortunam magis quàm amicitiã secutus,Pompeium occidit anno mundi 3917. ante Christum natum 45. Vide Eutro. libr. 6. Plutar. in Pom. Appia li.2.Iosep.lib.14.cap.8.

IVLIA C. Cæsaris & Corneliæ filia, Pompeij fuit vxor, quæ dum filiam parit,emoritur.





M. POR. CATO, cognominatus Vticensis, quòd post Pharsalicam pugnā Vticæ seipsum interfecerit, Catonis maioris, qui Cēsorius dictus est, pronepos fuit. Hic relictus parētum orphanus, cum fratre Cæpione & sorore Portia, apud Liuium Drusum auunculum educatur. Romæ Tribunus plebis fuit anno mundi 3903. ante Christū natum 59. fuit quoq; tribunus militum, item Prætor audacia, fortitudine ac decore, nihilo antiquo illo Catone proauo inferior apparuit. Consulatū petens, victus à competitoribus, non ægrè tulit repulsam, nec erubuit, erubescētibus interim amicis: quinimò sequēti die sine calceis & tunica in forū vt solebat, iuit: cum familiaribus ambulauit: sese adsuefaciens non nisi turpibus rebus erubescere. Tandem deuicto Pompeio, cuius partes secutus fuerat, Vticæ, quæ vrbs in Africa est, gladio se trāsfixit, bis perlecto prius (vt ferūt) libro Platonis de animæ immortalitate. hic Cato minor dictus est: nam alter fuit dictus maior. Horum duorum Catonū innocentia, & sapientia in prouerbium abiit: vnde Iuuen.

Tertius è cœlo cecidit Cato.

Huius cognita morte exclamauit Cæsar, *Inuideo morti tuæ Cato, nam & tu gloriæ meæ pro salute tua inuidisti*, filiúmque eius vita donauit. Vide Plutar. in eius vita. & Apoph. Eras. li. 5. & 8. item D. Augusti. li. de ciuitate Dei, 1. ca. 23.

IVBA Mauritaniæ Rex, Pōpeij partibus fauens, Curionem à Cæsare in Africam missum cum copiis deleuit, anno mundi 3916. ante Christum natum 46. hic victo Pompeio, cum Scipione copias iunxit. Victi à Cæsare Iuba & Petreius, cùm nec fugam nec salutem sperarēt, inedia vulneribúsque se adinuicem tandem confecere. Vide Appi. li. 2. & Plut. in Cæs.





PORTIA Catonis Vticenſis filia, vxórque Bruti fuit: hæc accepta viri morte, cùm ipſa quoque mori ſtatuiſſet, nec diu ſupereſſe viro quem tantopere diligebat, nemo amicorum aſſentiebatur: quinimo diligenti cura cùm id prohiberent, hæc ex igne ardentes prunas corripiens, in os ſibi coniecit, deinde os, diémque clauſit. Plutar. in vita Bruti. Vale. lib. 3. & 4. ca. 2. & 6. Appi. lib. 15. De hac ſic ſcribit Martialis, lib. Epigrammatum primo:

Coniugis audiſſet fatum cùm Portia Bruti,
Et ſubtracta ſibi quæreret arma dolor:
Nondum ſcitis (ait) mortem non poſſe negari:
Credideram ſatis hoc vos docuiſſe patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas:
I nunc, & ferrum, turba moleſta, nega.

MARTIA, Catonis filia minor fuit, quæ cùm interrogaretur, cur demortuo marito priore, alteri non nuberet, reſpõdit ſe non inuenire virũ qui ſe magis vellet quàm ſua. quo reſponſo oſtẽdit diuitias magis in vxoribus eligi ſolere quàm pudicitiam. Quæſitũ eſt iterum ab ea quis eſſet illi extremus dies lugendi mariti: is (reſpondit hæc) qui & extremus vitæ dies mihi erit. Vide Eraſ. Apoph. li. 8.







CICERO, Ro.oratorum facilè princeps,obſcuro ſatis loco natus,ingenio atq; eloquentia nobilẽ ſe præſtitit. honorum deſiderio forenſibus cauſis ſe obtulit:in pronunciãdo primùm laborauit,ſicut & Demoſthenes:in iocando nimius, pleroſque acriter offendit.Difficilem Roſcij cauſam cum laude ſuſtinuit: vnde & odiũ Syllæ conflauit:cui cedens in Græciã abiit:philoſophos ac oratores Athenis audiuit.Vim opum paruã licet,ſed ſumptibus ſuis cùm ſatis concinnam haberet, admirationi eſt habitus,quòd neque mercedes,neque nummorum quicquam in actionibus forenſibus caperet.Catilinæ conatibus tam diligenter ac prudẽter obſtitit,vt *primus pater patriæ* diceretur. In P. Clodium teſtis fuit.Ab eodem Clodio Tribuno plebis aqua & igni interdictus eſt,ac in exiliũ actus: vnde poſt aliquot mẽſes cum omniũ plauſu,atq; etiã laudibus ornatus, rediit Procõſul, in Ciliciam exercitum 12000.peditum,2600. equitum traiecit: munera à Regibus ſibi oblata renuit. Tandem cùm Cæſari aduerſus M. Antonium fauiſſet,ab hoc Antonio miſerè cõtrucidari iubetur,anno mundi 3922.ante Chriſtũ natum 40. Plutar. in Cice. Cæſarem poſt Pharſalicam victoriam pertimeſcebat (Pompeianarũ ſiquidẽ partium fuerat)Cicero, attamen Cæſar illi occurrens,eum præſalutauit,atque in honore habuit.

L. MVNATIVS Plancus Romæ Conſul fuit eodẽ anno quo Cicero interfectus eſt. Is dum Galliã Comatã regit, Lugdunum cõdit,aut(vt alij volunt)inſtaurat:item Rauricam, quæ nunc eſt Baſilea.Huius ſentẽtia. Octauio Auguſto, Auguſti cognomen inditum eſt, cum alij Romulum potius dici cẽſerent. Sueto.in Aug.Volater.li.18.





PACORVS Parthorum Rex, Antigono fauens, Hierusalem venit, prætextu cōponēdæ seditionis obortæ inter Iudæos, partim Phaselo & Hyrcano, partim Antigono fauentibus: re vera autē principatum Antigono traditurus: itaque per dolum Phaselum ad Barzafarnē, Persarum satrapam, mittit: Phaselus cum Hyrcano ligatus à Parthis est, quibus talēta mille, ac mulieres quingētas pollicitus erat Antigonus. hac via Iudææ Rex à Pacoro cōstitutus Antigonus, Hyrcano sibi à Parthis tradito, dentibus aures præscidit, ne quando summum obiret sacerdotium: nam lex integros tantùm admittebat. Phaselus autē, cùm se occidendum sciret, maluit præuenire, saxóque caput allidēs, emori: porrò Herodes Phaseli frater, fuga salutē quærit: atque à Senatu Ro. ob patris beneficia, Iudææ Rex declaratur. huius Pacori pater, Crassum Ro. dolo circunuētum interfecerat, quā maculam Ventidius Bassus, M. Antonij legatus, deleuit, Pacorum cum exercitu ad internecionē cædens. Vide Aegesip. li. 1. & Iose. li. 14. ca. 22. & 23.

ANTIGONVS Aristobuli filius, Pacori, vt dixi, auxilio Iudæam occupat, anno mundi 3924. ante Christum natum 38. eodem ferè tempore. Herodes antipatri filius, ac Phaseli frater, qui cum Antigono, prius cōgressus, eum vicerat, nunc autem à Pacoro fugatus, Romam peruenerat, à Senatu Iudæorum Rex designatur: ac post an. 4. ipse cum Sosio Romano Hierusalem capit: Antigonum Sosius ad M. Antonium mittit, à quo securi percutitur. Vide Iose. li. 14. ca. vltimo.





C. CASSIVS, vir Bruto familiaris, ſed tamen diſſimili ingenio, ac varius & impurus fuit, omníſq; autoritatis, poteſtatis, ac tyrannidis aduerſarius: teſtis ſit Fauſtus ab eo, adhuc adoleſcente, in maxillam percuſſus, quòd Syllam patrẽ nimis commendaret, talíq; patre gloriaretur. in ſumma ferus & truculentus ille, odia priuata cum Cæſare exercuit: priórq; ſuper inſidiis & parricidio in Cæſarem, Brutum conuenit, quem inflãmauit, impulítque, priuatè magis inimicus Cæſari, quàm publicæ tyrannidi. dicitur enim Brutus dominationem grauiter tuliſſe, ſed Caſſius odiſſe dominantem. Itaque conſpiratione facta, Caſſius comite Bruto, Cæſarem in curia opprimit. Caſſius, deinde cum Bruto, ab Auguſto & Antonio victus, deſperata ſalute, eodem quo Cæſarem interfecerat gladio, ſeipſum interfecit anno mundi 3922. ante Chriſtum natum, 40. Vide Plut. in Cæſ. & Bruto.

BRVTVS bonarum artium diſciplina & philoſophiæ ſtudiis imbutus, mores ſuos natura graues & humiles, ciuilibus negotiis excitans, ad bonum & æquum modeſtiſſimè ferri viſus eſt. Pompeij partes ſecutus eſt, cuius cauſam quàm Cæſaris iuſtiorem æſtimabat. Valuit primò gratia apud Cæſarem, atque quãtũ voluit impetrabat, ſed hinc eum ſodales Caſſij abſtraxere, ipſumque planè in perniciem adduxere. nihilominus tamẽ bello ciuili Cæſar ſuis militibus iuſſit vt cauerẽt eum occidere, ſed eum volentem ad ſe adducerent, nolentem, liberum abire ſinerent. tandẽ multis ab eo acceptis beneficiis, cum parricidij illius conſcius & cõſors cum Caſſio fuiſſet, eodem quo Caſſius fato periit. Plut. in Bru. & Appi. li. 2.





HERODES Magnus,dictus Ascalonita,Antipatri Iudææ Procuratoris filius, primus fuit Iudæorum Rex ex alienigenis (nam erat Idumæus)anno mundi 3927. ante Christum natum 35. iam aliquot ante annos à Ro. Senatu Iudæorum Rex fuerat designatus.hic diligebatur ab Augusto,qui regnum eius auxit, adiecta Samaria,atque aliquot aliis vrbibus ac castellis. Herodes vicissim in honorem eius templum atque vrbem extruxit, quam de nomine eius Cæsaream vocauit. Alexandrum atque Aristobulũ filios,Romæ erudiẽdos curauit. Arabes vicit.Templum funditus deposuit, summáq; magnificentia aliud secundum,figuram primi,construxit.Huius temporibus terrę motus in Iudæa,30000. hominum peremit. Vide Iosep.de bel.Iud.li.1. ca.14.Crudelis hic,vxorem,filios,amicos, occidit, legis etiam interpretes,ac statim post Christum natum Beth-lehemitas infantes puerulos,innocẽtes interfecit,non redeuntibus Magis, quibus abeundi potestatem fecerat, ad Christum seruatorem nuper natum disquirẽdum,non tamen ex animo. Vide Matth. ca.2.& Iose.li.Antiq.14.15.& 16.

MARIAMNE, filia Alexandræ,vxórque supradicti Herodis fuit,quam ille ob pulchitudinem valdè dilexit. hæc cùm casta esset,animo tamen interim satis rigido ac præfracto, meridie quadam recusauit viri amplexus, quinetiam improperauit ei parricidium. Id ægerrimè tulit Rex:quod sentiens Regis soror Salome, pincernam regium instruit qui persuadeat Regi Mariamnem ei confecisse potionem. quare indignatus Rex, de vxore supplicium sumit. Vide Iosep. lib. Antiq. 15. ca. 3.& 9. item.lib.18.cap.11.





C. MECOENAS à regibus Thuſcis originem trahens, iuuenis poëmata ſcripſit. perfugium fuit Poëtarum atque oratorũ: huius munificentia Vergiliũ, Horatiũ atq; alios cõplures ditauit, vnde Mecœnates hodie quoq; vocamus qui Poëtis fauent. Ortos Romę habuit amœniſs. vbi verſari conſueuit, & de liberalibus diſciplinis cũ amicis diſceptare. ad hos ſæpe diuertit Octauius, quòd à curis liberũ haberet animũ in eo quietis ſeceſſu. taciturnus fuit, nec tamẽ interim monere ac reprehẽdere Auguſtũ dubitauit. Hic vrbis cuſtodiis præpoſitus, vbi res exigeret, ſanè ex ſomniis, reſurrecturi belli ciuilis reſtinxit initiũ, oppreſſo M. Lepido iuuene, forma quàm mẽte meliore, qui de Auguſto interficiẽdo cõſilia inierat. Vide Velleiũ Pat. Cri. & Su.

VERGILIVS natus eſt in Vico Ande, nõ procul à Mãtua, parẽtibus ſat obſcuris anno mundi 3895. ante Chriſt. nat. 67. nec vagiſſe naſcẽdo ferũt. tam probus extitit, vt Parthenias dictus ſit. valuit gratia apud Auguſtũ, tũ ob mores, tum ob poëma, vt nil vnquã ei denegarit petenti: quinimo bona cuiuſdam exulis offerente Auguſto recuſauit Vergilius. Bucolica tribus an. Georgica 7. Aeneid. 10. an. cõſcripſit. huius eclogã cùm per cantores recitatã intellexiſſet Cicero, dixit, *magnæ ſpes altera Romæ*: quæ verba poſtea Aeneidi inſeruit Verg. Ro. populus auditis aliquãdo in theatro eius verſibus, ſurrexit vniuerſus, & ſpectãtẽ Vergiliũ, veneratus eſt ſic quaſi Auguſtũ. Porro Aeneidos tãta fuit fama, vt ſcriberet Prop. *Cedite Rom. ſcriptores, cedite Graij:*
Neſc o quid maius naſcitur Iliade. Hanc tamen Aeneida vrere voluit, & teſtamẽto mãdauit: hoc tãdẽ ipſe ſibi epitaphiũ fecit:

Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope: cecini paſcua, rura, duces. Vide Cor. Tac. & Crini. Ex Auguſti & amicorum munificentia poſſedit propè centies Seſter. hoc eſt 250000. aureorum. Budæ. de Aſſe li. 3.





SIBYLLA Phrygia, Ancyræ vaticinata dicitur: est autem Ancyra Asiæ minoris vrbs, inter Paphlagoniã & Galatiam. Vide Lactan.li.1.ca.6. at verò de nominis Sibyllæ origine sic apud Cælium Rhodig. li.14.ca.1. scriptum reperi: Dardanus ex Samo profectus, Teucrorũ Regis filiã, nomine Neso, duxit vxorem, ex qua nata illi filia vaticina, nomine Sibylla, ex qua in vaticinatrices omnes propagatum sit nomen, ob theophoriæ cognationem quandã. Huius Sibyllæ Phrigiæ hæc fertur prophetia:

Tuba de cælo vocem luctuosam emittet, tartareúmque choas ostendet dehiscentibus terra: veniẽt ad tribunal Dei Reges omnes: Deus ipse iudicabit pios simul, & impior: demum impios in ignem mittet: qui autẽ pietatem coluerunt, iterum viuent. Item: *flagellabit Deus potentes terræ ex olympo excelsus veniet.*

SIBYLLA Tyburtina, siue Tyburs, proprio nomine Albunea, Tyburi olim vt Dea culta est, iuxta ripas Anienis, in cuius gurgite simulachrum eius inuentũ esse dicitur, habens præ manibus librũ: cuius Sibyllæ sacra, Senatus Rom. in Capitoliũ trãstulerit. Vide Lactan. vt supra. Cæterùm Sibyllarum trium statuas iuxta rostra positas, ad suam vsque ætatẽ perdurasse, autor est Pli.li.34.ca. 5. quænam illæ sint, non constat: attamen liceat coniicere hanc ex illis tribus vnã fuisse, cuius extaret effigies. Huic hæc tribuitur prophetia:


Nascetur Christus in Beth-lehem, & annuntiabitur in Nazareth, regente Tauro pacifico fundatore quietis: O fælix illa mater, cuius vbera ipsum lactabunt.





C. OCTAVIVS, pater Augusti, à principio ætatis, & re & æstimatione magna fuit: amplis innutritus opibus, honores & adeptus est facilè, & egregiè administrauit. Prætor Macedoniæ, fugitiuos, reliquam Spartaci & Catilinæ manum, in itinere deleuit. Prouinciæ præfuit non minore iustitia quàm fortitudine: nam Bessis ac Thracibus magno prælio fusis, ita socios tractauit, vt epistolæ Ciceronis extẽt, quibus Quintum fratrẽ, eodem tempore parum secunda fama Procõsulatum Asiæ administrantem, hortatur & monet vt imitetur in promerendis sociis, vicinum suum, hunc inquam, Octauium. Decedens Macedonia priusquam confiteri se cãdidatum Consulatus posset, morte obiit repẽtina, superstitibus liberis, Octauia maiore, quã ex Ancharia, & Octauia minore, item Octauio, nondum Augusto, quos ex Accia susceperat. Cõsulito C. Suetonium Tranquillum in Augusti vita.

ACCIA, C. Octauij patris Augusti vxor, M. Accio Balbo, & Iulia, sorore C. Cæsaris, genita est. Balbus paterna stirpe Aricinus, multis in familia Senatoriis imaginibus clarus, à matre Magnum Pompeium arctissimo contingebat gradu: functúsque honore præturæ, inter 20. viros agrum Campanum plebi, Iulia lege, diuisit. Suet. in Aug. fuit hæc Accia imperatoris Augusti mater.







OCTAVIVS Auguſtus, C. Cæſaris auunculi hæres, Romæ imperat anno mundi 3921. ante Chriſtum natum 41. Hic primùm cum M. Antonio, Marcóq; Lepido, dein tantùm cum Antonio 12. ferè annos, nouiſſimè verò 44. ſolus remp. tenuit. Antonium vicit nauali pugna apud Actium. Deinde Romano adiecit imperio Ægyptum, Cantabriam, Dalmatiam, ſæpe antè victam, ſed penitus tunc ſubactam: Pānoniam: Aquitaniā, Illyricum: Rhetiam, Vindelicos, & Salaſſos in Alpibus: omnéſque Ponti maritimas ciuitates. Armeniā à Parthis recepit: obſides, quod nulli antea, Perſæ ei dederūt: quin etiam ſigna Romana, quæ Craſſo victo ademerant reddiderunt. Scythæ & Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera & legatos ad eum miſerunt. Galatia ſub hoc prouincia facta eſt, cùm antea regnum fuiſſet. Multi Reges ad eum ex regnis ſuis venerunt, vt ei obſequerētur. Hic in bello felix, in pace moderatus, in cunctos liberalis, in amicos fidus extitit, quos tantis euexit honoribus vt penè faſtigio ſuo æquaret. Nullo tempore res Romana magis floruit. Ab initio principatus eius ad finem vſque 56. anni numerantur: anno autem 42. imperij huius, natus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Vide Euang. Lucæ 2. cap. item Sueto. in Auguſt. & Eutro. li. 7.

CLAVDIA priuigna Antonij, Fuluiæ ex P. Clodio filia, vixdum nubilis, vxor fuit Auguſti, quam dimiſit intactā adhuc & virginē, exorta ſimultate cum Fuluia ſocru: móxque Scriboniam accepit. Sueto. in Aug.





SCRIBONIA Imperatoris Augusti vxor fuit, postquàm ille dimisisset supradictã Claudiam, quæ illi in matrimonium pacta fuerat, sicuti diximus. Porrò Scribonia hæc nupserat antè duobus Consularibus, & ex altero quoque mater fuerat: cum hac etiã diuortium fecit Augustus, pertæsus (vt scripsit) morum eius peruersitatem: ex hac filiam Iuliam suscepit. Vide C. Suetonium Tranquillum in vita Octauij Augusti, Romanorum imperatoris secundi.

LIVIA Drusilla vxor quoque fuit Augusti, quam matrimonio Tiberij Neronis, Imperatoris Tiberij patris, & quidem prægnantem abduxit, dilexitque ac probauit vnice ac perseueranter. Ex hac nullos suscepit liberos, cùm maximè cuperet: infans (is est Drusus Tiberij Imperatoris frater, ac Claudij Cæsaris, qui Tiberio successit, pater) qui conceptus erat, immaturus est editus. in osculis Liuiæ, & in hac voce defecit Augustus: *Liuia, nostri coniugij memor viue, ac vale*: sortitus exitum facilem, & qualem semper optauerat. Vide Suetonium Trãquillum in Octauio Augusto, & secũdi libri huius operis paginã quintam.







SIBYLLA Europa, siue Europea, vulgò vndecima inter Sibyllas, hoc est fatidicas, & Deo plenas, consiliíque diuini participes mulieres annumeratur. De hac non memini me vsquam quidquam apud autores legisse, nisi quòd libellus ille vetus, qui de Sibyllarum vaticiniis est, Sibyllæ huic hanc tribuit prophetiam:

Veniet ille, & transibit montes & colles, & latices Syluarum olympi: regnabit in paupertate, & dominabitur in silentio: & egredietur de vtero virginis.

SIBYLLA Ægyptia, quam supradictus libellus Sibyllam Agrippã vocat, ab Æliano inter quatuor Sibyllas enumeratur: quæ sunt hoc ordine, Erythræa, Samia, Ægyptia, & Sardiana. Sibyllas porrò in iis quæ de Christo, aut aliis ad humanã salutem spectãtibus, sunt vaticinatæ, probabile habet D. Augu. (seu bonæ fuerint seu malæ) à Deo edoctas fuisse: nã prophetiæ donum bonis esse commune ac malis. Vide S. August. de ciui. Dei li. 18. ca. 23. & Cæl. Rhodig. li. 21. ca. 37. nec me fugit de quadam Sibylla mentionem fecisse Diod. Sicu. lib. 5. Huius Ægyptiæ Sibyllæ hæc circunfertur prophetia:

Inuisibile verbum palpabitur, & germinabit vt radix, & siccabitur vt folium, & non apparebit venustas eius. &c.







M. AGRIPPA in pedes dicitur ex vtero matris egreſſus, vnde nomen auſpicatus ſit vnico felicitatis exẽplo, quanquam ille plurima ſit paſſus, duabus ſuſceptis Agrippinis: quibus C. Caligula & Nero, principes, totidem generis humani faces geniti ſunt. Hic gener fuit Auguſti, coronáque nauali ab eo donari meruit bello Actiaco, anno mundi 3930. ante Chriſtum natum 32. de quo Verg. lib. 8. Æne.

Parte alia ventis, & Diis Agrippa ſecundis.

Altera Agrippinarum, nempe filia Agrippæ huius, nupſit Germanico, quæ peperit C. Caligulã altera verò, neptis ex filia, Domitio Neroni primùm nupſit, ex quo Neronẽ peperit, deinde Claudio Cæſari, quem poſtea boleto ſuſtulit. Hic M. Agrippa aquam Marciam, omniũ ſaluberrimã, Romæ reſtituit: compluráque alia præſtitit, de quibus vide Plinium li. 31. ca. 3. atque aliis in locis, maximè li. 16. ca. 4. & lib. 7. ca. 8. Fuerunt alij Agrippæ, vt Menenius, item filius Ariſtobuli, à Tiberio coniectus in carcerem, & à C. Caligula liberatus, Réxque Iudææ factus: de quo vide in 2. huius operis parte, pag. 14.

IVLIA Auguſti & Scriboniæ filia, quæ primùm pacta fuerat Marcello adoleſcenti vt is obiit, M. Agrippæ ſupradicto nupſit: quo defũcto, Tiberio, Auguſti priuigno, nupſit, qui coactus eſt ab Auguſto prægnãtem vxorẽ, & ex qua iam pater erat, dimittere: vt in Tiberio dicemus. Hanc omnibus probris contaminatam, relegauit Auguſtus per quinquennium: vſum vini, & delicatiorem cultum ei ademit: neque adiri à quoquam niſi ſe conſulto permiſit. hæc Agrippinam peperit, quam Germanico vxoris ſuæ nepoti collocauit Auguſtus, ex quo Agrippina ſecundam alteram Agrippinam peperit, Neronis matrẽ. Sueto. in Auguſto. Vide item ſecundam huius operis partem, pag. ſexta & vndecima.





M. ANTONIVS Conſul, partiũ Cæſaris, ciuilibus bellis opprimere Cęſaris interfectores, quibus Senatus fauebat, conabatur: turbata hic rep. multáq; ſcelera cõmittẽs, à Senatu hoſtis iudicatus eſt. miſſi ſunt aduerſus eum Coſs. Pãſa & Hircius & Auguſtus 18. annorum: vincitur, ſed Lepido operã dãte, cum Auguſto pacẽ facit: diuiditur reſpub. Antonius Aſiam, Põtum, orientẽ ſortitur: deinde repudiata ſorore Auguſti, Cleopatram vxorem ducit, ex qua ſuſcipit vnico partu Solẽ & Lunam: (ſic enim vocauit gemellos, marem & femellam.) cõtra Perſas pugnat, vincit. Cleopatra itaq; muliebri cupiditate optãs Romæ quoque regnare, Antoniũ ad ſuſcipiendũ bellum ciuile cogit: vincitur ab Auguſto nauali pugna, apud Actium, in Epiro: fugit in Ægyptum, ſeipſum interimit. Cleopatra aſpidem admittit, cuius veneno extinguitur, anno mundi 3 9 3 4. ante Chriſtum natum 28. Vide Eutr. li. 7. Suet. in Octa.

CLEOPATRA Ægypti regina, non vſqueadeo eleganti forma præſtitit: verùm moribus ſuauiſs. ac facundia, forma adiuta, omnes in admirationem trahebat. lingua ſua velut inſtrumento plurium chordarum, apud quaſuis gentes promptè vtebatur: paucis nationibus per interpretem loquebatur. Hæc anno mundi 3 9 2 3. ante Chriſtum natum 39. ad Antonium incredibili pompa per Cydnum amnem nauigauit: erat enim aurea puppis, vela purpurea pandebantur, remi argentei ad fiſtulæ tibiæque modos agitabantur: ipſa regina ſub tentorio aurato requieſcens, ad ſimilitudinem Veneris ornata erat: pueri vtrinque collocati pictis Cupidinibus perſimiles: puellæ inſignes, Nereidum & Gratiarũ ſtolis, gubernaculis incumbebãt, rudentibus annitebantur: ancillæ ornatiſs. omnes ripas fluuij complebant vaporibus. Plu. in. Anto.





C. MARCELLVS, Octauiæ, ſororis Auguſti vir, ex ea Marcellũ ſuſcepit, qui ab Auguſto adoptatus eſt, anno 16. ætatis, incidítque in valetudinẽ, ac 18. obiit, cum ædilitatẽ gereret. huic tantum pueritiã egreſſo (vt inquit Suet.) Auguſtus Iuliam ſuam filiã ex Scribonia nuptui dedit, deinde, vt is obiit, Marco Agrippæ. Huius adoleſcentis generoſam indolẽ deſcribit Vergilius 6. Æneidos, deflens immaturũ eius obitum aliquot verſibus, quos recitauit coram Auguſto & Octauia: ſed vbi tandẽ ad nomẽ Marcelli ventũ eſt, perculſa dolore filij demortui mater, decidit, quaſi intermortua, ſilẽtióq; imperato, iuſſit pro ſingulis verſibus dena ſeſtertia numerari, quæ valent ducentos aureos. in ſumma 5000. aureorum pro 18. verſibus reportauit, qui ſic incipiunt apud Verg. li. 6. Æne. ad calcem:

Atque hic Aeneas (vnà namque ire videbat
Egregium forma iuuenem, & fulgentibus armis) &c.

Multum ſanè abeſt vt tam officioſos ac munificos ſe hodie in Muſas præſtẽt pricipes viri, quàm ſe erga Verg. præſtitit Octauia, quæ etiam in filij memoriã ac decus, bibliothecã extruxit: Auguſtus verò theatrũ huius Marcelli nomine inſcripſit. Vide Sue. in Aug. & Plut. in M. Cl. Marcello, de quo diximus ſupra pag. 138. cuius progenies ad hunc C. Marcellum propagatur.

OCTAVIA Auguſti ſoror, non ex eadẽ matre (hæc enim ex Ancharia, ille ex Tatia natus eſt) forma, moribus, ingenio præſtans, nupſit Antonio (mortuo C. Marcello piore marito) quam ſuſceptis etiam ille ex ea liberis, dimiſit, ſuperinducta Cleopatra. Vide Plutar. in Anto.





TAVRVS Cæsaris Augusti præfectus, totā penè Siciliam ferro perterritam, in fidem recepit. 44. legiones sub vnius tunc imperio Augusti erāt: milites multitudine ferociores quosdam pro ambiendis agris tumultus excitauerunt, sed Cæsar animo ingens, 20000. militum exautorauit, 30000. seruorum dominis restituit, 6000. quorum domini non extabant, in crucem egit. Vide Suet. in Augusto. Id factum est circa annum mundi 3932. ante Christum natum 30. Cæterùm de ratione legionum Romanarum Consule Vegetium, & Budæum de Asse, li. 3.

QVINTILIVS Varus nobilis Romanus fuit, qui Dux expeditionis Germanicæ (perfecerat siquidem illum tribus legionibus Augustus) ab Arminio dolo circunuentus, cum suis legionibus est interfectus: qua clade penè exitiali, vsqueadeò cōsternatum ferunt Augustum, vt per cōtinuos menses, barba, capillóque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans, *Quintili Vare, legiones redde*: diémque cladis quotānis mœstum habuerit, ac lugubrē. Is Varus fuit Vergilij amicus, cuius meminit Ecloga 6. & 9. honorificè, his, atque aliis versibus.

Vare tuum nomen (superet modò Mantua nobis:
Mantua, væ miseræ, nimium vicina Cremonæ)
Cantantes sublime ferent ad sydera cygni.

Cæsus est cum suis legionibus Varus à Germanis anno mundi 3972. decem annis post Christum natum. Sueto. in August. ipse Varus infelici dextera mortem sibi consciuit. Cor. Taci. li. 1.

Hactenus huius operis pars prior: sequetur subinde posterior.

INDEX PRIORIS PARTIS HVIVS OPERIS,

Ordine alphabetico digestus.




Cossutia

L. Quin

Sede

FINIS.



PROMTVARII ICONVM PARS SECVNDA,



Incipiens à Christo nato, & perpetuam ducens ſeriem ad vſque Christianiſſimum Franciæ ac Poloniæ Regem HENRICVM *hoc nomine tertium, hodie feliciter regnantem.*

Hac ſecunda Editione valde aucta.

Lex per Moſen data eſt: gratia & veritas per Ieſum Christum facta eſt. Ioan. cap. I.

NOX PRÆCESSIT:



DIES SVCCESSIT.

LVGDVNI,

APVD GVLIELMVM ROVILLIVM.

M. D. LXXXI.

NATIVITAS D. NOSTRI SALVATORIS IESV CHRISTI PLANE est prænuntiata, ac prædicta ab ipsis Prophetis, è quibus nonnulla quæ sequuntur decerpsimus.

Non auferetur sceptrum de Iuda, nec Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio Gentium. Genes. cap. 49.

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel: quod est interpretatum, nobiscum Deus. Isa. cap. 7. & Matthæi cap. 1.

Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Isa. 9. cap.

Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Israël. Isa. cap. 12.

Et tu Beth-leem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël. Micheæ cap. 5. & Matth. 2.

Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. cap. 3.

Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Zachariæ cap. 2.



SALVATOR noster IESVS CHRISTVS, verus atque vnicus Dei filius secundum essentiam diuinam, natus est ex Maria virgine, quemadmodum ei in Nazareth Angelus Gabriel prædixerat, anno mundi 3962. imperij Augusti 42. ab vrbe Roma condita, 752. Olympiade 194. anno regni Herodis Ascalonitæ 35. Natus est autem coöperante Spiritu sancto, in Beth-leem, ciuitate Iudææ. Porrò simulatque natus est Christus, pannis eum inuoluit virgo mater, & reclinauit in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circunfulsit illos, & timuerunt timore magno: & dixit illis Angelus, Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. & hoc vobis signum: Inuenietis (inquit) infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. finita legatione, subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum & dicentium, *Gloria in altißimis Deo, & in terra pax hominibus.* Porrò vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum, pastores locuti sunt adinuicem: *Transeamus vsque Beth-leem & videamus quæ nuntiata sunt:* statim itaque profecti, inuenerunt puerum cum Maria matre positum in præsepio: & omnes qui hæc audierunt, mirati sunt. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum. Luc. 1. & 2. cap. Hæc autem facta sunt anno 42. imperij Octauij Augusti, vt prædictum à me est.





ARCHELAVS magni Herodis Aſcalonitæ filius, ſucceſsit patri in regno Iudæorum anno mundi 3964. poſt Chriſtum natum 2. Auguſtus imperator Archelaum Idumææ, Iudææ,& Samariæ: Antipam, qui & Herodes, Galilææ: Philippum Gaulanitidis, Trachonitidis, Bathaniæ, & Paneados Tetrarchas ex teſtamento Herodis deſignauit. Hic Archelaus in ipſis regni auſpiciis modeſtus admodum, noluit Rex appellari, donec confirmaretur ab Imperatore, apud quem ab Antipatro fratre accuſatus, abſoluitur. Confirmatus Tetrarcha, malè adminiſtrauit. Accuſatus iterum apud Imperatorem, exilio damnatur, & relegatur in Galilæam: poſtea Cyrenius ac poſt eum Pilatus Romanorum nomine Iudæam adminiſtrant. Ioſe. lib. Antiq. 17. cap. 10. vſque ad finem 17. & lib. 2. de bel. Iuda. cap. 4. Regnauit Archelaus annis nouem, & deſiit regnum Iudæorum: nam Iudæa in prouinciam redacta, Syriæ tunc iuncta eſt. Ioſe. lib. 17. Antiq. ca. 19.

GLAPHYRA Alexādri Cappadocum regis filia, nupſit primùm Alexandro fratri Archelai ſupradicti, deinde Iubæ Maurorum Regi, deinde ipſi etiam Archelao, qui contra legem Mariam priorem vxorem dimiſit. præterea ſuſceperat ex Glaphyra filios Alexander, huius Archelai frater: quare apparuit vxori in ſomnis exprobrans ei in hæc verba: Nunc confirmas prouerbium, fidem mulieribus non habendam: nonne mihi iureiurando conſtricta es, & iugali fœdere virgo ſociata? poſt ſuſceptos etiam filios (chara pignora) amoris noſtri oblita es, iterum nubens, imò tertiò, atque cum meo fratre: nunquam tamen ego tui obliuiſcar: quin liberabo te opprobriis, & efficiam vt mea, ſicut fuiſti, in perpetuum ſis. ac poſt paucos dies hæc obiit. Ioſe. lib. 17. ca. 19.





CL. TIBERIVS pater Tiberij Cæsaris, Quæstor sub C. Cæsare, Alexandrino bello classi præpositus, plurimum ad victoriam cōtulit: quare & pontifex in locum P.Scipionis substitutus, & ad deducēdas in Galliā colonias, in queis Narbona & Arelate erāt, missus est. Cæsare occiso, cunctis turbarum metu abolitionē fact: decernentibus, etiā de præmiis tyrānicidarum referendum cēsuit. Tandē indignè ferens nec statim se in conspectum Sexti Pompeij admissum, & fasciūm vsu prohibitū, ad M. Antonium traiecit in Achaiam: cum quo breui, recōciliata inter omnes pace, Romam rediit, vxorémq; Liuiam Drusillam, & tunc grauidā, & antè iam apud se Tiberium enixam, petenti Augusto concessit: nec multò post diem obiit, vtroq; liberorum superstite, Tiberio, Drusóque Neronis. Sueto. in Tiber.

LIVIA Drusilla Cl. Tiberij supradicti vxor, Tiberij imperatoris mater fuit, de qua dictū à nobis est in fine prioris partis huius operis. hanc prægnantem abduxit Augustus: porrò qui cōceptus erat, infans, immaturus est editus: is est Drusus Tiberij Imperatoris frater minor natu, ac Claudij Cæsaris, qui Caligulæ successit, pater: fuit alter Drusus Agrippinæ & Tibe. Impe. filius. Cæterùm in osculis Liuiæ, & in hac voce defecit Augustus, *Liuia nostra coniugij memor viue, ac vale.*





CL. TIBERIVS Nero Imperator Romanorum tertius, ſuccedens Auguſto, imperauit anno mũdi 3977. poſt Chriſtum natum, an. 15. Hic principatũ diu recuſauit impudentiſſimo animo, nunc adhortãtes amicos increpans, vt ignaros quanta belua eſſet imperium: nunc precantẽ Senatũ, & procumbentẽ ſibi ad genua, ambiguis reſpõſis, & callida cunctatione ſuſpendẽs. Tandem quaſi coactus, & querens miſerã & oneroſam ſibi iniungi ſeruitutẽ, habenas rerum ſuſcepit: nec tamen aliter quàm vt depoſiturũ ſe quandoq; ſpem faceret. Ad Orientẽ exercitum duxit: regnũ Armeniæ Tigrani reſtituit: ſigna quæ Craſſo ademerant Parthi, recepit. Comatã Galliam anno ferè rexit: Rheticum, Vindelicum, Pannonicum ac Germanicũ bellum geſſit, Germanico bello 40000. dediticiorum traiecit in Galliam, iuxtàq; ripã Rheni ſedibus aſſignatis collocauit: quas ob res ouans Romæ antequam imperaret triumphauit. adulationes initio auerſatus eſt: huius quoque vox illa eſt, *bonus paſtor pecus tõdet, non deuorat.* Ipſe demum ingenti ſocordia & tyrannide imperiũ adminiſtrauit: quoſdã Reges per blandicias euocatos, non remiſit. Luxuriæ itaq; ac cædibus vacans, Caligulæ nepotis aſtu periit, anno ætatis 78. imperij 23. huius imperij anno 18. Seruator noſter Ieſus Chriſtus à Iudæis cruci affixus eſt. Sueton. in Tiber. Hic Chriſtianorũ perſecutoribus periculum interminatus eſt.

AGRIPPINA M. Agrippæ filia, vxor fuit Tiberij Imperatoris, ex quo Druſum iuniorẽ peperit: hãc rurſum grauidam dimittere coactus eſt, ac Iuliam Auguſti filiã vxorem ducere, quanquam Agrippinã valde amaret Tiberius maritus, & Iuliæ mores improbaret. Sueto. in Tiber.





CAIPHAS, Iudæorum Pontifex fuit anno mundi 3983. poſt Chriſtum natum 21. Aiunt hunc cum Anna ſocero Pontificatum emiſſe, atque eodem anno ambos rexiſſe: nam Cæſarũ procuratores pro auaricia & libidine ſacerdotium tunc conferebant. hunc Vitellius Syriæ præfectus poſt 17. annos ſacerdotio priuauit. Hic eſt ille Caiphas qui ſcidit veſtimẽta ſua ad reſponſionem Chriſti : in cuius etiam domo illuſus, conſputus & colaphis cæſus eſt D. noſter: vbi etiam Petrus Dominum negauit, ab vna atque altera ancilla conterritus. Mat. 26. cap. Ioſe. lib. Antiq. 18. cap. 8. hic cùm eſſet Pontifex, prophetauit, *expedire vt vnus homo moriatur pro populo, quàm ſi tota gens pereat.* Ioan. 21.

PILATVS Iudææ præfuit an. 9. incipientes anno mundi 3988. poſt Chriſtũ natum 26. Hic ſtatuas Cæſaris Ieroſolymis collocauit, mortem etiam cõminatus Iudæis niſi quieuiſſent: at illi mortem ſe potius ſubituros quàm legis ſuæ cõſtitutiones tranſgreſſum iri, profitebãtur. Tum Pilatus demiratus Iudæorũ in ſua lege obfirmationem, imagines auferri præcipit. de Chriſtiano dogmate ad Tiberiũ retulit: & Tiberius ad Senatũ : ſed Chriſtianos vrbe eliminãdos Senatus ſtatuit: & Tiberius edicto, mortẽ accuſatoribus Chriſtianorũ interminatus eſt. Tert. in Apolog. cap. 5. Oro. li. 7. ca. 4. Coràm Pilato Chriſtus criminatus eſt à Iudæis quòd populũ auerteret, quòd tributũ Cæſaris prohiberet, quódq; ſe regẽ faceret: quẽ cùm aliquoties interrogaſſet, cupit: hoc ſe iudicio eximere, & abſolutũ dimittere : verùm vbi Iudaica rabies inualuit, importunitate ac minis fractus Pilatus, Chriſtũ illis ad arbitriũ vt crucifigerẽt tradidit: pręfatus tamẽ lotis quoq; manibus, ſe innocẽtẽ eſſe à ſanguine eius. Ioſ. li. ant. 18. c. 5. 6. 7. Vide etiã Euã. Hic tandẽ tẽporibus Caligulæ ſibi propria manu mortẽ cõſciuit. Euſe. li. 2. c. 7. Pilatũ ſcribit Phi. Berg. li. 7. è Lugduno ortũ, vbi etiam exul ſeipſum interfecerit.





HERODES Antipas Tetrarcha Galilææ, ſuperuixit fratri ſuo Archelao, de quo à nobis dictum eſt ſupra. Hic primùm vocabatur tantùm Antipas, ſed mortuo fratre, nomẽ Herodis aſſumpſit. Hic Philippi fratris ſui vxorem, fratre viuo, qui etiã ex ea liberos ſuſceperat, abduxit, ac in matrimonium accepit: ex ſapientibus Iſraelitis complures occidit. D. Ioann em Baptiſtam obtruncauit anno mundi 3993. poſt Chriſtum natum 31. tum quòd eum flagitij coargueret, propter abductã fratris vxorem, tum quòd vereretur ne fortè doctrinæ eius perſuaſione, populi à ſuo regno deficerent: nam frequens populus ad Ioannem confluebat. Hic etiam Chriſtum Dominum noſtrũ ſpreuit, ac illuſit, indutúmque veſte alba remiſit ad Pilatum. Tandem accuſatus Antipas coram C. Cæſare Calicula, Lugdunum in exilium agitur: eiúſque tetrarchia Agrippæ regno adiicitur. Ioſeph. lib. Anti. 18. cap. 10. & 14. attamen idem Ioſe. lib. 2. de bel. Iuda. cap. 8. ſcribit hunc Herodem fugiſſe in Hiſpaniam, vbi etiam cum vxore ait deceſsiſſe.

HERODIAS filia Ariſtobuli, ſoror Agrippæ maioris, nupſit primùm Philippo Tetrarchæ patruo, cum quo diuortium fecit, adiunxítque ſe Herodi Antipæ, quem & in exilium ſecuta eſt: nec obſtitit libertas ſibi ab Imperatore cõceſſa, quòd eſſet Agrippæ, quem Imp. diligebat, ſoror: hæc enim reſpondit Imperatori, non æquum eſſe, vt quem in proſpera fortuna ſecuta eſſet, in aduerſa relinqueret: Lugduni itaq; cum viro exul obiit: extátque etiam nunc memorabile horum ſepulturæ monimentum, pyramis lapidea, quam vulgus duorum amantium Pyramidem vocat. Vide Comeſtorem, & 1. part. hiſto. D. Antonini Archie. to. 6. cap. 21. §. 4. huius filia ſaltauit coram Herode, quæ caput D. Ioannis petiit. Marci 6. cap.



IESVS Chriſtus Dominus noſter, verus Deus ac verus homo, natus ex muliere virgine, factus ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, paſſus eſt, mortémque in cruce pro vita & ſalute noſtra oppetiit anno ſuæ ætatis 33. anno mundi 3994. anno imperij Tiberij 18. ac poſt tres dies reſurrexit, nempe vt qui mortem noſtram moriendo deſtuxerat, vitam quoque reſurgendo repararet: mortuus eſt enim propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram: vt nos peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus, per bona opera certam facientes vocationem noſtram. Quadrageſimo autem die à morte aſcẽdit in cœlum: quinquageſimo, miſit ſpiritum ſanctum, quemadmodum ſuis fuerat pollicitus: & venturus eſt iudicare viuos & mortuos in conſummatione ſeculi: beati ſerui illi quos paratos & vigilantes offendet. Euangelia, epiſtolæ D. Pauli, Petri, Ioannis, Iacobi proponunt nobis ob oculos iſthæc omnia, Chriſti vitam, mortem, reſurrectionem, aſcenſionem, ſpiritus ſancti miſsionem, mundi conflagrationem extremam, extremũ quoque venturi eiuſdem Chriſti iudicium, vitam æternam, & ſupplicium æternum.







IVDAS Iſcariotes vnus ex duodecim Apoſtolis Domini fuit,qui cum loculos geſtaret,fur & auarus erat : nec æquo potuit animo pati vnguenti pretioſi effuſionem in corpus Chriſti. Hic Dominum ſuum,ac noſtrum , pretio triginta denariorum prodidit, ſigno oſculi dato Iudæis vt Chriſtum cognoſcerent. tandem pœnituit,& pecuniã retulit,ex qua emptus eſt ager figuli in ſepulturam peregrinorũ: veruntamen amens & exſpes laqueo ſe ſuſpendit,mediúſque crepuit , & diffuſa ſunt omnia viſcera eius,cùm deſperaret de obtinenda venia à piiſsimo ac, vt ita dicam,miſericordiſsimo Deo,ac in Iudæ locum ſubrogatus eſt Mathias.Porrò quod attinet ad rationem denariorum, ſinguli valebãt tres aſſes,ſiue ſolidos, & dimidium (autore Budæo in libro de Aſſe) ſi quidem erant denarij Romani ac vulgares:cuiuſcunque autem formæ aut metalli fuerint, feruntur fuiſſe ſimiles huic qui vobis hic vtrinque effigiatus eſt, ac expreſſus.Matt.27.Ioan.12.Act.1.







GERMANICVS C.Cæſaris Caligulæ pater, à Tiberio patruo adoptatus, quæſturam quinquẽnio ante quàm per leges liceret, ac poſt eam Conſulatum ſtatim geſſit. Miſſus ad exercitum in Germaniam, exceſſu Auguſti nũtiato, legiones vniuerſas imperatorẽ Tiberiũ pertinaciſſimè recuſantes, & ſibi ſummam reip. deferentes, incertũ conſtãtia an pietate maiore compeſcuit: atque hoſte mox deuicto triumphauit. Armeniæ Regẽ deuicit: Cappadociam in prouinciæ formam redegit. Diutino morbo Antiochiæ obiit anno ætatis 34. non ſine veneni ſuſpicione, fraude Tiberij, miniſterio & opera Cn. Piſonis, qui ſub idem tempus Syriæ præpoſitus erat. Sueto. in C.Cæſare Caligula. moritur hic Germanicus anno mundi 3981. poſt Chriſtum natum 19.

AGRIPPINA M. Agrippæ & Iuliæ filia, Germanici ſupradicti vxor, C.Cæſarẽ, qui Caligula dictus eſt, peperit, atque Agrippinam Neronis matrem, item alios complures liberos. Hæc virum in Syriam comitata eſt: Piſonem iudicio perſecuta, ad ſpontaneam necem adegit. tandẽ apud Tiberiũ in inuidiam adducta, mortem ſibi inedia cõſciuit. Vide Suet. vt ſupra. hanc Auguſtus vix anniculã Tiberio priuigno deſpondit, quã poſtea dimittere coëgit, vt Iuliam aſſumeret, ſicuti ſupra in Tiberio diximus. Vide etiam Cor. Nepotem.





C. CÆSAR, Caligula cognominatus, Germanici filius, & Drusi, priuigni Augusti, & ipsius Tiberij nepos, Romæ imperauit anno mundi 4000. post Christum natum 38. Hic veneno Tiberium, cui successit, aggressus esse dicitur, quinetiam manu sua spirantis adhuc fauces oppressisse liberto, qui ob atrocitatẽ facinoris exclamauerat, confestim in crucẽ acto. Initio imperij popularem se ostẽdit, dein monstrum se exhibuit, luxu, incontinentia, atrocitate. Dictũ est de eo, nec meliorẽ ab initio principem, nec peiorẽ postea fuisse. vnam ceruicẽ populo Romano optauit, quo facilius vno ictu abscindi posset: dixítq; , *oderint dũ metuant*. cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit: has etiam sæpe exoletis suis prostrauit: quò facilius eas condẽnauit, quasi adulteras, & insidiarũ aduersus se conscias. Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatũ notis, ad metalla & munitiones viarũ, aut ad bestias condẽnauit: aut bestiarũ more quadrupedes cauea coercuit: aut medios serra dissecuit: nec omnes grauibus ex causis: verùm malè de munere suo opinatos, aut quòd nũquam per genium suum deierassent. Palam queri solebat nullis calamitatibus publicis tempora sua insigniri, tam flagitiosus ac funestus, vt etiam Tiberij dedecora purgauerit. Bellum cõtra Germanos suscepit: & ingressus Sueuiam, nihil strenuè gessit. Tandẽ cum aduersus cunctos ingenti auaricia, libidine, crudelitate sæuiret, intefectus est in palatio. Imperauit annos 4. vixit 29. Suet. in vita C. Cæ. Caligulæ. dictus est autem Caligula, vt inquit Aur. Victor, cognomentum calceamenti militaris, id est Caligulæ sortitus, quia natus in exercitu fuerat.

IVNIA Claudilla, M. Syllani nobilissimi viri filia, nupsit C. Cæsari Caligulæ, quam amisit ex partu, etiã antequã imperaret ipse, nẽpe viuo Tiberio, cui successit. Sue. in C. Cæs. Cali.





LIVIA Horeſtilla C. Piſoni cùm nuberet, iuſſa eſt ad C. Cæſarem Caligulam deduci. hanc Caligula intra paucos dies repudiauit, ac biennio pòſt relegauit, quod repetiiſſe vſum prioris mariti tempore medio videbatur. Suet. in Caligula.

LOLLIA Paulina, C. Memmij Conſularis, ac exercitus Ducis vxor fuit. hanc quoque, facta mentione auiæ eius, vt quondam pulcherrimæ, ſubito ex prouincia euocauit C. Cæſar Caligula: ac perductam à marito iunxit ſibi, breuíque miſſam fecit, interdicto cuiuſquam in perpetuum coitu. Vide vt ſupra.



CAESONIA neque facie inſigni, neque ætate integra, matérque iam ex alio viro trium filiarum, ſed luxuriæ ac laſciuiæ perditæ, & ardentius & conſtantius amata eſt à C. Cæſare Caligula: quam ſæpe chlamyde peltáque & galea armatam, & iuxta adequitantem militibus oſtẽdit, amicis verò etiam nudam, quam enixam vxorio nomine dignatus eſt, vno atque eodem die profeſſus & maritum ſe eius, & patrem infantis ex ea natæ: nec vllo firmiore indicio ſui ſeminis eſſe credebat infantem hanc, quàm feritatis, quæ illi quoque tanta iam tunc erat, vt infeſtis digitis ora & oculos ſimul ludentium infantium inceſſeret. periit cum viro Cæſonia, gladio à Centurione confoſſa, cuius etiam filia parieti eſt illiſa. Vide vt ſupra.





HERODES Agrippa Ariſtobuli filius,ac magni Herodis Aſcalonitæ nepos ex filio,Romæ agens,Tiberij nepotis curam ſuſcipit: verùm ab Eutycho liberto accuſatus, iuſſu Tiberij in vincula coniicitur:quo Imperatore defuncto,ſtatim è vinculis liberatur,diademateque regio à C. Caligula,cuius curam geſſerat, donatur: nam Rex Tetrarchiæ Philippi ac Lyſaniæ deſignatur anno mundi 4000. à Chriſto nato 38. Quinetiam Claudius, qui Caligulæ ſucceſſit, Agrippæ huius regnum ratum habuit, omne Herodis quoque Antipæ exulis Imperium addens: atque Herodem fratrem (nam Antipas patruus erat) Chalcidis Regem creat.Hic eſt Herodes ille qui Iacobum maiorem obtruncauit ac D. Petrum in carcerem truſit, & ab Angelo percuſſus,à vermibus poſt diem quintum eroſus eſt. Vide Acta Apoſt. cap. 12. Sed vt ad Agrippam noſtrùm redeam,hic Herodiadem ſororem, eiúſque virum Antipam, contra ipſum nonnihil molientes, præuenit: exiliíque eorum occaſionẽ præbuit,miſſo ad Caligulã Fortunato liberto cũ literis. Vide Ioſe. li.18.ca.12.13. & 14. Variãt autores in hoc Agrippa & fratre prædicto,alij alia huic,alia illi tribuentes:ſunt & qui vnum tantùm ex his duobus faciant,quem Herodem Agrippam vocitant.

AGRIPPA iunior prædicti filius, ſeu nepos, defuncto Herode Chalcidis Rege prædicto,Chalcidis Rex deſignatur,à Cl. Tiberio,qui Caligulæ ſucceſſit,nempe anno mundi 4011.à Chriſto nato 49. Fuit hic vltimus Iudææ Rex,prudẽs, Hebræa Latináque lingua doctus.Hoc Rege Titus Hieruſalem captam exuſſit.17. agebat annum,moriente patre, ſeu auo, cùm Romæ à Cæſare aleretur. Porrò Cæſar Cuſpium Fadum huius immaturi loco,Iudææ præfecit:cui ſucceſſit Felix,& huic rurſus Portius Feſtus. Vide Ioſeph. Hebr. diu deſi. lib. 5. cap. 46.





DRVSVS, Claudij Cæsaris pater, olim Decimus, mox Nero prænomine, ex Liuia Drusilla natus est, intra mensem tertium quàm grauida abducta esset ab Augusto, ex contubernio ac matrimonio Tiberij patris Imperatoris: fuítque suspicio ex vitrico per adulterij consuetudinem procreatum Drusum. Is in Quæsturæ Præturæque honore, dux Rhetici, deinde Germanici belli, Oceanum Septentrionalem primus Romanorum ducum nauigauit: tránsque Rhenum fossas noui & immensi operis effecit, quæ Drusianæ vocatæ sunt: hostem frequenter cæsum in intimas solitudines egit. Inito consulatu, atque expeditione repetita, obiit diem in æstiuis castris, quæ ex eo scelerata sunt appellata. Hunc Augustus tantopere & viuum dilexit, vt cohæredem semper filiis instituerit: & defunctum ita pro concione laudauerit, vt deos precatus sit similes ei Cæsares suos facerent: sibíque tam honestum quandoque exitum darent quàm illi dedissent. nec contentus elogium tumulo eius, versibus à se compositis ínsculpsisse, etiam vitæ memoriam prosa oratione composuit. Vide Suet. in C. Clau. Cæ.

ANTONIA minor, Drusi supradicti vxor fuit, ex qua liberos complures suscepit, verùm tres omnino reliquit, nempe Germanicum, Liuillam, & Claudium, qui postea imperauit. Hæc Antonia M. Antonio, & Octauia genita est, quæ sororem habuit maiorem eiusdem nominis, Domitij Aenobarbi vxorem. Vide Plutar. in M. Antonio.





CLAVDIVS, Drusi Germanici ex minore Antonia filius, Liuillæ & alterius Drusi frater, Romæ post Caligulam imperat anno mundi 4004. à Christo nato 42. Hic Lugduni natus est, quem mater portentum hominis dictitabat: auia Augusta pro despectiss. semper habuit: soror Liuilla, cum audisset imperaturum, tam iniquam sortem pop. Ro. palam detestata est. Fortunæ ludibrio ad imperium, cum latitaret extrema pertimescens, interfecto Caligula, venit: quod non minore socordia quàm crudelitate per annos ferè 14. vexauit. Britanniæ bellum intulit, eámque in deditionem accepit. Orcades insulas Ro. imperio addidit. Hic Messalina vxore sua vixdum supplicio affecta, quòd C. Silio nupsisset, Agrippinam Germanici fratris filiam, nouo exemplo, liberis duobus nouercam superinduxit: cùm paulò ante pro concione confirmasset, quatenus sibi malè cederent matrimonia, in cœlibatu se permansurum, ac nisi permansisset, non recusaturum confodi manibus ipsorum. Præterea Britannico filio priuignum Neronem anteposuit: cuius insidiis, & Agrippinæ matris, veneno in boleto dato periit, anno ætatis 64. imperij 4. exortus crinitæ stellæ, tactúmque de cœlo monumentum Drusi patris, præsagia mortis eius præcipua fuere: & in vltima cognitione pro tribunali accessisse se ad vitæ terminum semel atque iterum pronuntiauit. Vide Sueto. in Claud. Cæs.

AEMILIA Lepida, Augusti proneptis, Pauli AEmilij Censoris filij, & Iuliæ, neptis Augusti, filia, prima omnium desponsata est Claudio: sed eam, quòd parentes eius Augustum offenderant, virginem adhuc repudiauit. Sueto. in Clau.





LIVIA MEDVLLINA, cognomine Camilla, è genere antiquo Dictatoris M. Furij Camilli (cuius meminimus in priori huius operis parte pag.125.) eo ipso die qui erat nuptiis Claudij Imp. atque huius Medullinæ destinatus, morbo periit. Vide Sueto. in Claud.

PLAVTIA HERCVLANILLA, triumphali patre nata, eidẽ Claud. Imp. nupsit, cum qua diuortiũ ille fecit, ob libidinũ probra, & homicidij in virum suspitionẽ. ex hac Claudiam suscepit, & Drusum, quem puberẽ amisit, pyro per lusum in sublime iactato, & haitu oris excepto strangulatum, cui & filiam Seiani despõderat. Vide vt supra. Cæterùm de Seiano homine præpotente ac prædiuite, cui tandem fortuna nouercã se præstitit, vide Iuuenalem Satyra 10. nam huius exẽplo nimias opes, potentiam ac fastum multis exitio esse ostẽdit Iuuenalis, his versibus.

Quosdam præcipitat subiecta potentia magnæ
Inuidiæ, mergit longa, atque insignis honorum
Pagina, descendunt statuæ, restémque sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, & immeritis franguntur crura caballis:
Iam strident ignes, iam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Seianus, deinde ex facie toto orbe secunda,
Fiunt vrceoli, pelues, sartago, patellæ.
Pone domi lauros, duc in capitolia magnum
Cretatúmque bouem, Seianus ducitur vnco
Spectandus: gaudent omnes. &c.





ÆLIA Petina Conſulari patre nata, mox, repudiata Plautia Herculanilla, nupſit Claudio Imp. cum qua item diuortium fecit, ob leuiculas offenſas. ex hac Antoniã ſuſcepit quam Cneo Pompeio magno, deinde Fauſto Syllę collocauit, quorum alter à Pompeio magno, alter à Fauſto Sylla, Syllæ Felicis filio originem trahebat. Vide Sueto. in Clau.

VALERIA MESSALINA Claud. quoque Imp. nupſit: hanc cùm cõperiſſet vir, ſuper cætera flagitia atq; dedecora, ſe abſente, Caio Silio, iuuẽtutis Romanę pulcherrimo, etiam nupſiſſe, dote inter Auſpices cõſignata, curauit interfici. Vide Cor. Taci. li. 11. ad calcem. De hac item ſic ſcribit Iuue. Saty. 6.

—dormire virum cùm ſenſerat vxor,
Auſa palatino tegetem præferre cubili:
Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos,
Linquebat comite ancilla non amplius vna,
Et nigrum flauo crinem abſcondente galero,
Intrauit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, atque ſuam: tunc nuda papillis
Conſtitit auratis, titulum mentita Lyciſcæ,
Oſtendítque tuum generoſe Britannice ventrem.
Excepit blanda intrantes, atque æra popoſcit:
Et laſſata viris, nondum ſatiata receßit:
Obſcuríſque genis turpis, fumóque lucernæ
Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.

ex hac Meſſalina Clau. Octauiã, & quem primò Germanicum, mox Britannicum cognominauit, ſuſcepit. Vide vt ſupra.





FELIX constitutus est ab Imperatore Claudio præses, siue procurator Iudææ, Samariæ quoq; & Galilææ, & regionis quæ dicitur trans Iordanẽ, anno mundi 4015. post Christũ natum 53. Tertullus corã hoc præside Paulum accusauit, Paulus vicissim pro se contra Tertullũ causam dixit: quibus auditis distulit iudicium Felix in aduentum tribuni Lysiæ. Hic Felix frequenter accersens Paulum, loquebatur cum eo, & audiuit àb eo fidẽ quæ est in Christũ Iesum. Disputante autem Paulo de iudicio futuro, tremefactus Felix noluit vltra attendere, sed distulit in alium diẽ: simul sperabat quòd pecunia ei daretur à Paulo. De huius auaritia, & factione cum Ventidio, qua, gliscẽte pernicie, arsisset bello prouincia, ni Quadratus Syriæ rector subuenisset, vide Cor. Taci. li. Anna. 12. item quatenus ad alia, vide Act. 24. ca. Euse. li. 2. ca. 20 Iose. li. Antiq. 20. cap. 9.

DRVSILLA Agrippæ soror, Aziazi Emesorũ siue Amazorũ Regis vxor cùm esset, & pulchritudine cæteris præstaret, Felix eam cõcupiuit: quare misso nuntio, eam in suam partem flexit: nam hæc spõte relicto priore marito, huius nuptias secuta est. Vide. Ioseph. li. Antiq. 20. cap. 9.







ANTONIA Marci Antonij & Octauiæ ſororis Auguſti filia maior, Domitio Aenobarbo nupſit, ex quo matrimonio natus eſt Cneus Domitius Neronis pater, omni parte vitæ deteſtabilis, vt inquit Suetonius, in Nerono Imperatore Romanorum 6. de quo mox tractabimus.

LEPIDA DOMITIA Cnei Domitij Aenobarbi patris Neronis ſoror fuit. Conſulito Caium Suetonium Tranquillum in Neronis Imperatoris 6. vita, ſi initium ſumas à Caio Iulio Cæſare, quod vbique factitamus. Cæterùm quod attinet ad Aenobarbi cognomentum, atque huius vocabuli (quod ſub obſcurum eſt) rationem ſiue interpretationem, viſum eſt quod ſcriptum reperi edere. Cùm, itaque, Caſtor & Pollux Helenæ fratres, Domitio victoriam aliquando nuntiarent, ipſéq; narrantibus minimè crederet, malas, barbámque manibus attrectarunt, atq; eam contrectando (ſi credere dignum eſt) ex fuſca flauam effecerunt: vnde à rutilo, æneóque barbæ colore, Aenobarbi cognomen accepit Domitius, quod poſtea in familiam tranſiit, viríſque ex ea ortis peculiare id nominis fuit. Vide Ludouicum Cælium Rhodiginum, lib. antiquarum ctionum le 29. cap. autem 8.







CNEVS Domitius Ænobarbus, Neronis pater, ex Antonia maiore, vti dictũ est, natus, omni parte vitæ detestabilis, primùm occidit libertum, quòd potare quãtum iubebatur recusarat: deinde in viæ Appiæ vico, repentè puerum citatis iumẽtis haud ignarus obtriuit: & Romæ medio foro cuidam equiti Ro. liberius iurgãti oculum eruit. Perfidiæ atque auaritiæ maximæ fuit: argentarios pretiis rerum coëmptarũ, aurigarios mercede palmarum fraudauit. Maiestatis quoque, & adulteriorũ, incestíque cum sorore Lepida sub excessu Tiberij reus, mutatione temporũ euasit. Decessit morbo aquæ intercutis, suscepto, ex Agrippina Germanico genita, Nerone, malo ouo ex malo coruo. Suet. in Nerone.

AGRIPPINA Germanici filia, ac Neronis mater, quem ex Domitio suscepit, nupsit secundò Claudio Cæsari patruo suo, quem blanditiis illexit, quémque tãdem boleto sustulit, vt viam filio Neroni ad imperiũ faceret. cæterùm ipsa quoque ab eodẽ filio immissis percussoribus occiditur, exclamans percussori, Feri ventrem qui tam ferum monstrum tulit. Suet. in Nerone Cor. Taci. li. 14.







CLAV. DOMI. Nero, Domitio & Agrippina Germanico genita, genitus eſt. Hic adoptatus à Claudio Imperatore, ſucceſſit ei in imperio, anno mundi 4017. à Chriſto nato 55. Orſus à pietatis oſtentatione, ex Auguſti præſcripto imperaturum ſe profeſſus eſt: liberalitatis, clemētiæ, comitatis exhibendæ nullam omiſit occaſionem. grauiora vectigalia aut aboleuit, aut minuit. tandem Caligulæ nepotē ſe præſtitit, auunculo ſuo ſimillimus: meritóq; fax orbis altera cum Claudio dictus eſt. Bonam partem Senatus interfecit, & præceptorē Senecam, bonis omnibus hoſtis. fratrē, vxorem, matrem denique interfecit, cuius etiam cōcubitum appetiiſſe dicitur. Primus Chriſtianū ſanguinem, Petro & Paulo interfectis, hauſit. tāto ſe dedecore proſtituit, vt ſaltaret & cantaret in ſena. Romā incendit, vt ſpectaculi eius imaginē cerneret, quali olim Troia capta arſerat. Hic Britanniam penè amiſit. Armeniam Parthi ſuſtulerūt. Duæ tamen prouinciæ ſub eo factæ ſunt, Pontus, & Alpes. In Achaïa Iſthmum perfodere aggreſſus, primus raſtello humum effodit, & corbulæ congeſtam, humeris extulit. Tandē ab omnibus deſtitutus, & à Senatu hoſtis iudicatus, cum quæreretur ad pœnā, è palatio fugit, nec fortiter perire potuit, adiutus alterius, adigendo ferro, manu: anno ætatis 32. imperij 14. Sueto. in Clau. Eutr. lib. 7. Egna. lib. 1.

OCTAVIA, Claudij & Meſſalinæ filia, vxor fuit Neronis, cuius conſuetudinē citò aſpernatus eſt, occiditq; eam ſub crimine falſo adulterij: cùm antea ſæpe fruſtra ſtrangulare meditatus, dimiſiſſet eam vt ſterilem, reſpondiſsétque corripientibus amicis, ſufficere ei debere vxoria ornamenta.






POPPÆA Sabina, Tito Olio Quæstorio patre nata, Neronis vxor fuit, quam duodecimo die post diuortium Octauiæ in matrimonium accepit. hanc dilexit vnicè: & tamen ipsam quoque ictu calcis occidit, quòd se ex aurigatione serò reuersum grauida & ægra conuiciis incesserat. hæc antea nupserat Rufo Crispino Equiti Romano. huic Poppeæ omnia alia fuere præter honestum animum: sermo comis, nec absurdum ingenium: modestiam præferebat, & lasciuia tamen vtebatur: famæ nunquam pepercit, maritos & adulteros non distinguens. Vide Sueto. in Nerone. hæc luxu supramodum diffluebat, autore Plin. lib. 34. cap 11. in hæc verba: *Nostra ætate Poppæa coniux Neronis principis, delicatioribus iumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat.*

STATILIA Messalina (altera quidem à Valeria illa Messalina Claudij vxore, de qua à nobis dictum est supra) vxor quoque fuit Neronis: hac vt potiretur, virum eius Atticũ Vestinum Consulem in honore ipso trucidauit. Hæc erat Statilij Tauri bis Consulis, ac triumphalis, abneptis. Taurus hic temporibus Augusti amphitheatrum Romæ extruxerat. fuit alter eiusdem nominis, huius, vt opinor, Messalinæ frater, qui ob opes & hortos egregios, quibus Agrippina inhiabat, accusatus, vim vitæ suæ attulit. Sueton. in Nerone.





S. PETRVS inter Apoſtolos præcipuus, frater fuit Andreæ etiã Apoſtoli. Ambo ex vico Galilææ, Bethſaida, ambo à Chriſto ſimul vocati ſunt, cùm iacerent rete in mare, erãt enim piſcatores: quibus dixit, *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum, at illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Matth. 4. huic Chriſtus reſurgens dixit, *Paſce oues meas*. Ioã 21. Antiochiæ præſes fuit: euangelium diſperſos Iudæos in Põto, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bithynia docuit. Diony. Corynt. Epiſ. ſcripſit S. Petrum & Paulum eodem die Romæ iuſſu Neronis paſſos. Petrus capite ad terrã verſo, fertur crucifixus, aſſerens ſe indignũ vt crucifigeretur ſicut Dominus ſuus. epiſtolas complures ſcripſere, quas habes in nouo teſtamẽto. vide item Euſe. li. 3. ca. 1. & 2. D. Iero. ſcripſit Petrum ad expugnãdum Simonem Magum, Romæ perrexiſſe, ibíque põtificatum 25. annis tenuiſſe, vſq; ad vltimum Neronis annum.

S. PAVLVS de tribu Beniamin, & oppido Iudææ Giſcalis fuit, quo à Romanis capto, cum parẽtibus ſuis Tarſum Ciliciæ cõmigrauit: à quibus ob ſtudia legis miſſus Ieruſalem, à Gamaliele eruditus eſt. Cùm autẽ interfuiſſet neci D. Stephani, & acceptis à Põtifice tẽpli epiſtolis, ad Chriſtianos perſequẽdos, Damaſcum pergeret, reuelatione ad fidem, ac miraculo velut cõpulſus, vas electionis de perſecutore factus eſt. Docuit gentes Euãgelium annos 21. duobus annis Ceſareæ tantundémque Romæ in carcere fuit: at Romæ è carcere exibat quò vellet, ſub cuſſodia tamen. hinc liberatus atq; abſolutus, cùm cauſam ipſe ſuam coram Nerone egiſſet, liberè denuo docuit Euangelium decem annis. at, iterum in carcerem cõiectus, capite truncatur, anno mundi 4030. à Chriſto nato 68.





SERGIVS Galba, Galbæ Imperatoris pater, Romæ Consulatu functus, quamquam breui corpore, atque etiam gibber, modicæque in dicendo facultatis, causas tamen industriè actitauit. Hic vxores habuit Mummiam Achaiam, item Liuiam Ocellinam, ditem admodum & pulchram: à qua tamen nobilitatis causa appetitus vltro existimatur, & aliquanto enixius, postquàm subinde instanti, vitium corporis secretò posita veste detexit, ne quasi ignaram fallere videretur. Crati quoque Thebano idem contigit, cùm Hipparche eum maritum optaret. Vide quatenus ad Sergium, Sueto. in Galba.

MVMMIA Achaïa neptis Catuli, proneptísque L. Mummij qui Corinthum excîdit, vxor Sergij Galbæ fuit, ex qua Caium & Sergium procreauit: quorum maior Caius attritis facultatibus vrbe cesśit, prohibitúsque à Tiberio sortiri anno suo Proconsulatum, voluntaria morte obiit: Sergius verò post Neronem imperauit. Vide Sueto. in Galba.







SERGIVS Sulpitius Galba, Romæ post Neronē imperat anno mundi 4030. à Christo nato 68. Hic nullo gradu Cæsares contingebat, nam horum familia, siue progenies in Nerone defecerat: nobilissimus tamen erat, magnáq; & vetere prosapia. Antequàm imperaret mula fertur peperisse. Hic cùm Prætor esset, elephantos funambulos edidit ludis Floralibus. Maiore ab initio fauore quàm læto successu, septimestre imperium tenuit annos natus circiter 80. priuata eius vita insignis fuerat militaribus & ciuilibus rebus. Tandem auarum, sæuum, pigrum se præstitit: atque inuisus omnibus, in medio foro, insidiis Othonis iugulatur: nam cùm subinde iactaret se legere militem, uon emere consuesse, eo nomine omnes milites exacerbauit. sed maximè fremebat superioris Germaniæ exercitus fraudari se præmiis: quare statim legationem ad prætorianos cum mandatis destinant: displicere inquiunt Imperatorem in Hispania factum, eligerent ipsi quem cuncti exercitus probarent. quamobrem ascitus Otho eum trucidari curauit. Vide Sueto. in Galba, Eutro. lib. 7. Bap. Egna. lib. 1.

LEPIDA vxor fuit Galbæ Imperatoris, qua amissa, duobúsque ex ea filiis, remansit in cœlibatu: neque solicitari vlla conditione amplius potuit, ne Agrippinæ quidem matris Neronis, viduatæ morte Domitij Aenobarbi, quæ maritum quoq; adhuc, necdum cœlibem Galbam, adeò omnibus solicitauerat modis, vt in conuentu matronarum correpta iurgio, atq; etiam manu pulsata sit à matre Lepidæ. Sueto. in Gal.





L. OTHO, Imperatoris Othonis pater, materno genere præclaro, multarúmque & magnarum propinquitatum, tam charus, támq; non absimilis facie Tiberio principi fuit, vt plerique procreatũ ex eo crederent. Hic vrbanos honores, Proconsulatum Africæ, & extraordinaria imperia seuerissimè administrauit. Senatus hunc honore rarissimo, statua in palatio posita, prosecutus est: & Claudius allectum inter Patricios collaudãs hunc amplissimis verbis, hæc quoq; adiecit: *Vir, quo meliores liberos habere ne opto quidem.* Sueton. in Othone.

ALBIA Terentia splendidissima fœmina, L. Othonis vxor fuit, quæ peperit illi L. Titianum, siue Terentianũ, & minorem Marcum, cognominem patri, Othonémq; appellatum, qui post Galbam imperauit: peperit quoq; filiam, quam nondum nubilem Druso Germanici filio despõdit, Consulito Suetonium in Othone.







MARC. S. Otho octauus, Galbæ ſuccedens, Romanis imperat anno mundi 4031. à Chriſto nato 69. A prima adoleſcentia prodigus, procax, & mollis extitit, Neroni etiã familiaris. die quem Nero necandæ matri deſtinarat, ad auertendas ſuſpitiones cœnã vtrique exquiſitiſſimè comitatis dedit. Sperauerat fore vt adoptaretur à Galba: ſed Piſone prælato ad vim conuerſus eſt, inſtigante, ſuper animi dolorem, etiam magnitudine æris alieni. Neque enim diſſimulabat, niſi principem ſe ſtare non poſſe, nihílque referre, ab hoſte in acie, an in foro ſub creditoribus caderet. Quare miſſis qui Galbam, & Piſonem trucidarent, ea ipſa die qua Galbã manè ſalutarat, oſculo etiam vt conſueuerat exceptus, Imperator ſalutatur. Ad conciliandos pollicitationibus animos nihil magis pro cõcione teſtatus eſt, quàm id demum ſe habiturum quod ſibi milites reliquiſſent. Dicitur noctu per quietem pauefactus, gemitus maximos edidiſſe, repertúſque à concurſantibus humi ante lectũ iacens, à quo manes Galbæ eum deturbarant: quod fatebatur ipſemet vidiſſe. Hic leui prælio victus à Vitellij ducibus, ſiniſtram ſibi papillam pugione transfixit: cùm tamen complures adhuc copias haberet, & petẽtibus militibus ne tam citò de belli euẽtu deſperaret, dixiſſet, *ſe tanti non eſſe, vt propter eum ciuile bellum orietur.* Vixit annos 38. imperauit menſes treis: adeò militibus charus vt multi ad eius exemplum, ante mortui pedes ſe interfecerint. Suet. in Othone.





L. VITELLIVS, A. Vitellij Imperatoris pater, Syriæ præpositus, Artabanum Parthorũ Regem summis artibus non modò ad colloquium suum, sed etiam ad veneranda legionũ Signa pellexit. Mox cum Claudio principe duos insuper ordinarios Consulatus, Censurámque gessit. Curam quoque Imperij sustinuit absente eo, expeditione Britannica: vir innocẽs & industrius, sed amore libertinæ perinfamis. Idem miri in adulando ingenij, primus C. Cęsarem Caligulam adorari vt Deum instituit, primúsq; adorauitq́, non aliter adire ausus, quàm capite velato circunuertens se, deinde procumbens. Hic à Valeria Messalina petiit vt ei pedes præberet excalceandos: detractúmque socculum dextrum inter togam tunicámque gestauit assiduè, nonnunquam osculabundus, ídque factitabat, vt nulla non via, atque arte, principem vxori addictũ demereretur. Decessit paralysi altero die quàm correptus est. Sueton. in Vitellio.

SEXTILIA, probatissima, nec ignobilis fœmina, Lucij Vitellij prædicti vxor fuit, quæ ei peperit duos filios, quos eodem anno ambos Consules, cum maiori minor in sex menses successisset, vterque parens vidit. Alter ex his filius, Aulus Vitellius, post Othonem imperauit: cuius genituram, siue natiuitatem, aut natalis horæ inspectionem, à Mathematicis prædictam ita exhorruerunt parentes, vt pater magnopere contenderit ne qua ei prouincia viuo se cõmitteretur: mater & missum ad legiones, & appellatum Imperatorem, pro afflicto statim lamentata sit. Vide Sueton. in Vitel. prædixerant Mathematici Aulum Vitellium futurum quidem Imperatorem: sed in imperio per vim cruciabiliter periturum.





AVLVS Vitellius, à Galba in inferiorem Germaniā missus est. Aduentantem, malè animatus erga principē exercitus, libens ac supinis manibus excipit, velut dono Deûm oblatum III. Cons. filiū, ætate integra, facili ac prodigo animo. hāc de se veterē persuasionē auxerat, tota ipse via milites obuios exoscu latus, pérq; diuersoria comis, manè singulos iámne ientassent sciscitatus, séque fecisse, ructu quoque ostēdens. nil cuiquā negauit, atq; etiā vltro reis sordes, dānatis supplicia dēpsit: Quare vixdū mense transacto, subitò à militibus è cubiculo raptus, vt erat, in veste domestica, Imperator consalutatur anno mundi 4031. à Christo nato 69. Hic in ientacula, prādia & cœnas, facilè omnibus sufficiebat vomitandi cōsuetudine. Cœna ei data est aduentitia à fratre, in qua, super cæteros sumptus, 2000. lectissimorū pisciū 7000. auium apposita sunt. hāc quoque exuperauit ipse, dedicatione patinæ, quam *clipeum Mineruæ dictitabat.* Sæuus fuit, nam & eius hæc vox est, *optimè olere occisum hostē, & melius ciuem.* Vespasiano principe declarato, cœno fimóque iactatus, vestéque discissa in forum tractus, subiecto ad mentū gladio, tandem minutis. ictibus excarnificatus, vnco trahitur in Tyberim. Suet. in Vitell. vixit an. 57. rexit menses 8.

PETRONIA Consularis viri filia, Vitellij vxor prior, Petronianū altero captum oculo peperit, quem pater interemisse creditur, insimulātum parricidij, post matris obitum.



GALERIA Fundana, A. Vitellij vxor, Prætorio patre nata, liberos vtriusque sexus tulit, sed marem titubantia oris prope mutum. Suet. in Vitell.





T. FLA. Sabinus, Vespasiani imperatoris pater, Tit. Flau. Petronio municipe Reatino natus est, eo, inquã, qui bello ciuili Pompeianarum partium Centurio fuit, ac ex acie Pharsalica domum se contulit, vbi venia, & missione impetrata, coactiones argentarias factitauit. Porrò Sabinus Vespasiani, vt dixi, pater (nã de auo Principis quæ prælibauimus, dicta sunt) expers militiæ (etsi quidam eum Primipilarẽ, nõnu lli cùm adhuc ordines duceret, sacramẽto solutũ per causam v aletudinis tradũt) publicanũ quadragesimę in Asia egit, fuerúntq; imagines à ciuitatibus ei sub hoc titulo positę, *Rectè vectigalia exigẽti*. postea fœnus apud Heluetios exercuit, ibíque diẽ obiit, superstitibus vxore Vespasia Polla, & duobus ex ea liberis, Sabino videlicet, altero ab illo priore Principis patre, & Vespasiano: horum maior Sabinus, Principis frater, ad præfecturam vrbis, minor verò Vespasianus, ad imperium euectus est. Vide Suetonium in Vespasiano Imp.

VESPASIA Polla T. Flauij Sabini vxor, superstes fuit viro cum duobus ex eo liberis, quorum maior Sabinus ad præfecturam vrbis, minor Vespasianus ad principatum vsq; processit. Hæc Polla Nursiæ honesto genere orta patrem habuit Vespasium Pollionem, ter Tribunum militum, præfectúmque castrorum, fratrémque Senatorem prætoriæ dignitatis. Sueton. in Vespasiano.





FLA. VESPASIANVS natus est in Sabinis vltra Reaten, vico modico, cui nomen est Phalacrine, quinquẽnio antequàm Augustus obiret. Claudio principe, legatus legionis in Germaniam missus est: inde in Britanniã translatus, tricies cum hoste conflixit. Duas validiss. gentes, supérque 20. oppida, & insulam Vecten, Britanniæ proximam, in deditionẽ redegit. Missus ad comprimẽdos Iudæos de Ierusalem cum filio triumphauit. Mortuo Othone hic à Mœsiaco exercitu Imperator creatur posthæc qui erat Ægypri præfectus primus in verba Vespasiani legiones adegit, post paucos dies Iudaicus exercitus apud ipsũ iurauit anno mundi 4032. à Christo nato 70. Misso itaq; exercitu aduersus Vitellium, in Alexãdriam transiit, vt claustra Ægypti obtineret: statímq; venêre literæ fusas apud Cremonam Vitellij copias, ipsum in vrbe interfectum nuntiantes. Romam igitur reuersus Vespasianus, afflictam propè, nutantémq; remp. stabiliuit primò, deinde ornauit. Cum adolescens vnguẽto fragrãs pro impetrata præfectura gratias ei ageret, maluissem, inquit allium oboluisses, literásque reuocauit. Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samũ libertate adẽpta, item Tracheam, Ciliciã, & Comagenẽ, ditionis regiæ vsq; ad id tempus, in prouinciarum formã redegit. Modestiam retinuit & comitatem: iustis suppliciis illachrymauit, offensarũ minimè memor: ingenia & artes maximè fouit: Sola culpatur auaritia. Tandẽ septuagenarius ac stans obiit inter manus subleuantium, *Imperatorem* dicens *stantem mori oportere*. imperauit annos 10. Sueto. in. Vespa.

FLAVIA DOMICILLA Vespasiani vxor, peperit ei Titum, Domitianum & Domicillam: vxorem & natam priuatus adhuc amisit Vespasianus. Vide vt supra.





TITVS Veſpaſianus Romæ poſt patrẽ imperat anno mundi 4042. à Chriſto nato 80. Hic amor & deliciæ humani generis dictus eſt: facũdus, bellicoſus, moderatus fuit, clemens ac liberalis: quas virtutes per totum principatũ magis cõmendauit & vitæ anteactę licẽtia, & ſub initia luxuriæ & auaritię ſuſpicio, vt Neronis tyrannidẽ pleriq; augurarẽtur. Sed mutatus, adepto imperio, in melius, declarauit eiuſdẽ eſſe ingenij & peſsima & optima interdũ ferre. Amicos elegit reip. neceſſarios: Berenicẽ ſtatim ab vrbe dimiſit, inuitus inuitam. nulli ciuium quicquam ademit: ac ne confeſſas quidẽ, ac ſolitas collationes recepit, nec tamen eum quiſquam munificẽtia præuertit: recordatúſq; aliquando ſuper cœnam, ſe nil in quenquã toto die contuliſſe, dixit: *Amici, diem perdidi.* huius etiã & hæc vox eſt, *Neminem oportere à ſermone principis triſtem diſcedere.* Dedit nauale pręlium, atque vno die 5000. omne genus ferarũ exhibuit. Ad perdomandam Iudæã à patre relictus 12. propugnatores totidem ſagittarũ confecit ictibus, cepítque Ieruſalẽ natali filiæ ſuæ, tãto militũ gaudio, vt eum Imperatorem cõſalutarint. hic matres etiam filios in edulium pararunt. Fratrem inſidiantem, nec occidit, nec relegauit: ſed vt à primo imperij die, conſortem ſucceſſorémque teſtari perſeuerauit. Cæterum obiit febre eadẽ qua pater villa, ætatis an. 41. imperij 2. Vide Suetonium.

ARRICIDIA, Tertullo patre Equite Romano nata, Titi vxor fuit.



MARTIA Fuluia ſplẽdidi generis, Tito quoque, mortua Arricidia, nupſit: cum qua, ſuſcepta filia, diuortium fecit. Sueto. in Tito.





FLA. DOMITIANVS, poſt fratrem Titum Romæ imperat anno mundi 4044. à Chriſto nato 82. Adoleſcentiam cum infamia,& paupertate tranſegit.Expeditionē in Galliam & Germanias non neceſſariam inchoauit,tantùm vt fratri ſe & operibus & dignatione adæquaret.Patre defuncto,iactare non dubitauit,relictum ſe principem imperij,ſed fraudē teſtamento adhibitam.Initio principatus ſui,ſecretum horariū quotidie ſumebat,nec quicquā amplius quàm muſcas captabat,ac ſtylo præacuto configebat:vt non abſurdè reſponderit Vibius Criſpus,*ne muſcam quidem cum Cæſare eſſe.* Varium ſe præſtitit aliquandiu,mixtura quadā inæquabili virtutum ac vitiorū:donec virtutes quoq; in vitia deflexit, ſuper ingenij naturam, inopia rapax,metu ſæuus. De Cattis,Dacíſq; poſt varia prælia duplicē triumphum egit:de Sarmatis lauream Capitolino Ioui retulit. Superbus hic,tandem Dominum & Deum ſe appellari coëgit: nullam ſibi niſi auream & argenteam ſtatuam poni paſſus eſt. crudelis etiam conſobrinos,item nobiliſs.ex Senatu interfecit. Per hæc terribilis cunctis & inuiſus,multis vulneribus cōfoditur,ſuorū,vxoris quoq; coniuratione,anno ætatis 45.imperij 15. Funus eius per veſpillones cum ingenti dedecore exportatur, & ignobiliter ſepelitur:radendū eius nomen Senatus decernit, omniáque eius acta reſcindit.Sueto. in Domiti.Eutr.li.7.

DOMITIA Longina Ælio Lamiæ nupta, à Domitiano abducitur,ante quàm imperaret.hanc Paridis hiſtrionis amore deperditam,repudiauit:intráque breue tempus impatiēs diſſidij,quaſi efflagitante populo,reduxit.





COCCEIVS Nerua, Romæ post cædē Domitiani, Imperator designatur, anno mundi 4059. à Christo nato 97. Et hactenus Romæ seu per Italiam orti imperium rexere: hinc aduenæ. vnde compertum, vrbem Romā externorum virtute creuisse: quod aurea gibba Domitiano post ceruicem in somnis enata, portēdit. Hic quicquid antea pœnæ nomine, tributis accesserat, indulsit: afflictas ciuitates releuauit: puellas, puerósq; natos parentibus egenis, sumptu publico per Italiæ oppida ali iussit. Quæ in aula reperta sunt, ex bonis quæ Domitianus per vim abstulerat, restitui curauit. Serui & libertorū plurimi, dominis atque patronis insidias fecerāt, hos ad vnū occidi imperauit. Ad sustentādam ciuium vitam plus 10000. aureorum erogauit, & quosdā Senatorij ordinis delegit qui agros emerēt, eósque egenis diuiderēt. Pecuniæ inops factus, vestes primùm & vasa aurea & argentea, siue sua propria siue publica forent auctioni subiecit: agros, item ingētes domos, & omnia demum præter admodum necessaria vēdidit. Nihil vnquam de suo arbitrio statuit, sed primarios viros in cōsilium semper adhibuit. Cùm ob senectam contemptui esset, Traianum Hispanum, publicæ vtilitati societatem sanguinis postponens, præteritis cognatis propriis, adoptauit. in coniuratores clemens fuit. obiit ferè septuagenarius, sudore correptus dū voce quàm maxima, cōtra quēdam inclamaret suggerēte ira, tunc Solis deliquium factum est. imperauit anno vno, & mēsibus 4. Dion Cass. Aurel. Vict. Bap. Egna. lib. 1. Eutro. li. 8.





M.VLPIVS Traianus Hiſpanus,optimus omnium princeps,externorum primus, Romæ imperat anno mundi 4060. à Chriſto nato 98. Hic Daciam prouinciam fecit, victo rege Decebalo:lapideum pontem in Iſtro fecit, Parthos ſuperauit, ſuperatis Regē dedit. Tranſtigritanas prouincias imperio adiecit: Armeniam atque Arabiam peruaſtauit: Amicitias, ſimplicia ac erudita ingenia coluit, ipſe à literis & Muſis non abhorrens. De hoc Cæſare ſcribit Iuuenalis Satyra 7.

Et ſpes,& ratio ſtudiorum in Cæſare tantùm:
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpexit,&c.

Hic Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam, poſtea Arabiam prouincias fecit.in mari rubro claſſem inſtituit, vt per eam Indiæ fines vaſtaret.Gloriam tamen militarem ciuilitate & moderatione ſuperauit: liberalis in omnes fuit:immunitates ciuitatibus tribuit.amicis culpantibus quòd nimis circa omnes comis eſſet,reſpondit,*Talem ſe Imperatorem eſſe priuatis, quales eſſe ſibi Imperatores priuatus optaſſet*.in ſumma,Deo proximus habitus eſt.E Perſide rediens profluuio vētris obiit anno ætatis 62. imperij ferè 20.Eutr.lib.8.Aure.Vict.fuit paululum cibo, vinóque deditus.

PLOTINA Traiani vxor fuit,quæ tam modeſtè & ſanctè in ſumma ſe poteſtate geſsit,vt de ea nullus iure conqueri potuerit.huius factione Tatianus Traiani Procurator, Adrianū Imperatorem declarauit, cùm ſine liberis exceſsiſſet Traianus,& hæc Adriani amore flagraret,qui vicinus & potens erat. Dion Caſsius.





ÆLIVS Adrianus, cognomento Afer, Adriani Imperatoris pater fuit, ac Traiani consobrinus: huius origo vetustior à Picentibus, posterior ab Hispanensibus manat: siquidem Adria ortos maiores suos apud Italiam Scipionum temporibus resedisse, in libris vitæ suæ Adrianus ipse cõmemorat. est autem Adria, seu Hadria, oppidum agri Piceni, quod etiã mari Adriatico nomen dedisse nonnulli censent: attamen huic refragatur opinioni Plin. li.3. cap.16. ab Atria Thuscorum oppido, Atriaticum mare dictum censens, quod pòst mutatione vnius tantùm literæ Adriaticum dici cæpit. Cæterùm quatenus attinet ad Ælium Adrianum, vide Ælium Spartianum, & Sex. Aurelium Victorem. Sunt qui Hadrianum cum H, scribant: sunt qui sine H. Porrò quod ad Adriam attinet, vide Strabonem li.5. & 7. Geographiæ, & Plinium lib.3. cap.16.

DOMITIA Paulina supradicti Ælij Adriani vxor, Imperatorísque Adriani mater fuit. erat hæc Gadibus orta. Vide Ælium Spartianum.







ÆLIVS Adrianus Romæ poſt Traianum imperat anno mundi 4080. à Chriſto nato 118. hunc, quanquam cõſobrinæ filium, viuẽs noluerat adoptare Traianus, ſubindicarátq; ſe talem nolle ſucceſſorem habere: attamen Plotinæ Traiani vxoris opera, Imperator eſt deſignatus: vti iã in Plotina dixi. hic velut Traiani gloriæ inuidens, ſtatim prouincias tres reliquit, quas Traianus addiderat, Aſſyriam, Meſopotamiam, & Armeniam: reuocauit exercitus, ac finẽ Imperij voluit eſſe Eufratem. Idem de Dacia facere conatũ, amici deteruerunt, ne multi ciues Ro. barbaris traderentur: nam Traianus victa Dacia, eò infinitas Ro. copias tranſtulerat, ad agros & vrbes colendas. miſerabili tandẽ fato conſumptus eſt, vt in ſemetipſum ſæuire potuerit, ſi per domeſticos licuiſſet. Imperauit annos 21. vixit 62. inuiſum eum fecere viri illuſtres, non pauci ſub eius exitum exilio aut morte multati. Eutro. li. 8. Egnat. li. 1. Literas coluit, doctorum nunc irriſor, nunc fautor.

SABINA Adriani vxor fuit, quam ſi priuatus vixiſſet, vt moroſam, & adulterij ſuſpectã dimiſiſſet: nec ſine rumore dati ab eo veneni, obiit hæc. Vide Æl. Spartianum.



ANTINOVS iuuenis formiſiſs. ex Cithynide quã Claudiopolim vocarunt, vrbe Bithyniæ, ortus, in Nilo periit: hunc Adrianus muliebriter fleuit, ac coluit: vrbem ad Nilum de nomine eius condidit: ſtatuas ei per orbem terrarũ erexit: templum quoq; & ſacerdotes ei apud Mantineam inſtituit. Hunc Græci volente Adriano cõſecrarunt, oracula per eum dari aſſerẽtes, quæ Adrianus ipſe edidiſſe iactatur. Vide Ælium Spar. & Dionẽ Caſſium in Adriano: & Euſe. li. 3. ca. 8. & li. 7. ca. 2.





AVRELIVS Fuluius Antonini Pij Imperatoris pater, è Gallia Trãſalpina fuit oriundus: Conſulatũ geſſit, homo triſtis & æger. huius pater Titus Aurel. Fuluius, Imperatoris auus, per honores diuerſos ad ſecundum Conſulatum, & Præfecturam vrbis peruenit. Iulius Capitolin. in Antonino Pio.

ARRIA Fadilla Aurelij Fuluij vxor, & Antonini Pij Imperatoris mater extitit. huius Arriæ pater fuit Arrius Antoninus bis Conſul, homo ſanctus, & qui Neruam miſeratus eſſet, quòd imperare cœpiſſet. Iulius Capitolinus in Antonino Pio.







TI. AV. FVL. BO. Antoninus Pius imperat poſt Adrianum anno mundi 4101. à Chriſto nato 139. fuit genere claro, ſed non admodũ vetere: vir inſignis, & qui meritò Numæ Ponpilio comparatur: Romulo item, & Traiano æquatur. Barbarorum plurimæ nationes depoſitis armis, ad eũ cõtrouerſias ſuas litéſq; deferẽtes, ſententiæ eius paruerunt. Nullum ſub eo bellum fuit. Amor ac timor gentium in eo certarunt: bellũ mouere timebant aduerſus principem, quẽ vt numen aliquod venerarentur: nec ille gloriæ ita cupidus, vt per aliorum damna, cædéſque eam appeteret. Nam & à coniuratis vim omnem abſtinuit, & in conſcios quæri vetuit, ne plures inuẽti, odium augerent. Hic ante Imperiũ ditiſsimus opes ſuas ſtipẽdiis militum, & liberalitate in amicos minuit: nihilominus tamen ærarium opulentũ reliquit. febre obiit vitæ anno 78. Imperij. 22. Eutr. li. 8. hunc Adrianus adoptarat in locũ demortui Ceionij, hac conditione vt eiuſdem filium cum M. Antonino adoptaret, quod & fecit: deinde ambo vnà adoptati, vnà item imperarunt.

ANNIA FAVSTINA, Annij Veri filia, vxor fuit Antonini Pij, ex qua duos mares, duáſq; femellas ſuſcepit: harum maior Lamiæ Syllano, minor, M. Antonino Philoſopho, qui poſtea imperat, nupſit. De Fauſtina hac multa dicta ſunt ob nimiam libertatẽ, quæ Antoninus Pius cum animi dolore compreſsit. Iul. Capitolin. in Anto. Pio. obiit Fauſtina anno Imperij viri tertio.





ANNIVS Verus, pater Marci Antonini Philoſophi Imperatoris,in Prætura deceſsit: cuius etiam pater, Imperatoris auus,iterũ Conſul & Præfectus vrbi, adſcitus eſt in Patricios à principibus Veſpaſiano & Tito, Cenſoribus. Huius familia in originem recurrens,à Numa probatur originẽ trahere: vt Marius Maximus docet:item à rege Salentino Malennio,Daſummi filio,qui Lupias condidit.Iul.Capitolin.

DOMITIA Caluilla,Caluiſij Tulli bis Conſulis filia, Annij Veri vxor, & M. Antonini Philoſophi Imperatoris mater fuit. hic Antoninus Philoſophus, de quo ſtatim amplius dicemus, patrimonium paternum totũ ſorori cõceſsit:ac vbi cumperit ſe ab Imperatore adoptatũ,magis eſt deterritus quàm lætatus:iuſſuſq; in Adriani priuatã domum migrare, inuitus de maternis hortis receſsit.Cùm ab eo domeſtici quęrerẽt cur triſtis in adoptionem regiam tranſiret, diſputauit quæ mala in ſe cõtinet imperiũ. Anno ætatis 18.adoptatus,in ſecundo Conſulatu Antonini Pij,iam patris ſui,per adoptionẽ,Adriano ferente,gratia ſeu diſpẽſatione ætatis facta, Quæſtor eſt deſignatus. Poſthæc Fauſtinam duxit vxorem, relicta filia Ceionij quæ illi pacta fuerat,ſed impar ætate. Tribunitia poteſtate donatus eſt, ſuſcepta filia ex Fauſtina,atq; Imperio extra vrbem Proconſulari:tantúmq; apud Pium valuit,vt nunquã quenquam ſine eo facile promouerit.Iulius Capitoli.in M.Antonino Philoſopho: de quo etiam pagina ſequente,plura ſuo loco dicemus.





MARC. Antoninus Verus Philoſophus, poſt Antoninum Pium imperat, anno mundi 4123. à Chriſto nato 161. Is fratrem & generũ L. Anto. Verum ad Imperij partem nouo beneuolẽtiæ genere aſciuit: tum primùm duo hi æquo iure Imperiũ adminiſtrarunt. M. Antoninũ mirari facilius quis, quàm laudare poſſit: à principio vitæ tranquilliſſimus fuit, adeò vt in infantia quoque vultum nec ex gaudio, nec ex mœrore mutaret. hic vita, moribus, & eruditione Philoſophus, tantæ admirationis fuit adhuc iuuenis, vt eum ſucceſſorẽ parauerit Adrianus relinquere: adoptato tamẽ Antonino Pio, generum eidem Antonino idcirco hunc eſſe voluit, vt hoc ordine ad Imperiũ perueniret. Contra Germanos eo principe res feliciter geſtæ ſunt. Bellum ipſe vnum geſſit Marcomannicũ, ſed quantum nulla memoria fuit, adeò vt Punicis conferatur: quòd eò grauius eſt factum, quòd peſtilentia, poſt victoriam Perſicam, Italiam peruaſerat, & maxima hominũ pars, militum verò omnes ferè copiæ langore defecerant. Marcomannos igitur, & cum his Quados, Vãdalos, Sarmatas, Sueuos fudit: multa millia interfecit. ærario exhauſto pretioſam ſuam ſupellectilẽ haſtæ ſubiecit: Pãnonias Marcomãnorum ſeruitio liberauit: Romæ cum filio triumphauit periit morbo, anno ætatis 61. Imperij 19. Eutro. li. 8.

FAVSTINA Antonini Pij & Fauſtinæ filia, M. Anton. Philoſophi vxor fuit, ex quo Commodum, qui poſtea imperat, ſuſcepit, non ſine magna adulterij ſuſpitione, & Lucillã filiam. Iulius Capitolin.





L. CEONIVS Commodus, qui & Ælius Verus, ab Adriano æuo iam ingrauescēte, morbísq; tristioribus presso, adoptatus est, anno mundi 4098. à Christo nato 136. hic tantùm Cæsar est appellatus, & ab Adriano in Æliorum familiam ascitus, hoc est in Adriani transcriptus: Prætor factus est, & Pannoniis dux ac rector impositus, mox etiā Consul creatus. hic solus omnia quæ cuperet, vel per literas, impetrabat ab Adriano: cui (vt aiunt) acceptior forma quàm moribus fuit: attamē reip. non omnino inutilis fuit, etsi delicatè vixurit. nam lectum mollem ac voluptarium extruxit: minuto reticulo vndique inclusum, eminentibus quatuor anaclinteriis, eúmque foliis rosæ, quibus demptum esset album, replebat, iacénsque cum cōcubinis, velamine de liliis facto se tegebat, vnctus odoribus persicis: præterea accubationes ac mēsas de rosis ac liliis, & quidē purgatis fecit, quæ etsi non decora, non tamen ad publicam perniciem sunt. libros amorū Ouidij in lecto semper habuit: Martialem, Vergilium suum dixit. Cursoribus suis exemplo Cupidinum, alas sæpe apposuit, ventorúmq; nominibus vocitauit, indefessè faciens eos cursitare. Vxori cōquerenti de extraneis voluptatibus, dixit: *Patere me per alias, exercere cupiditates meas, vxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis*. hic tandē valetudinarius obiit, superstite etiam Adriano: sepultúsque est imperatorio funere Iuli. Capi. in Ceionio.

DOMITIA Caluilla vxor L. Ceionij, peperit L. Annium Antonin. qui cum M. Antonin. Philosopho imperauit.





L. ANNIVS, Antoninus, Verus, aliàs etiam dictus L. Ælius commodus, Verus, qui cum fratre & ſocero M.Anton. Philoſopho,eiuſdẽ fratris benignitate,imperauit, neque inter bonos,neq; inter malos principes ponitur.hic contra Parthos à fratre miſſus,qui tum primùm poſt victoriã Traiani rebellauerant,Antiochiæ & circa Armeniã agens,multa per duces,& ingentia patrauit. Seleuciam Aſſyriæ vrbem nobiliſsimam cum 500000.hominum cepit: Parthicum triumphum reuexit:cum fratre,eodémq; ſocero,triũphauit. Deinde cum fratre ad Marcomannicum bellũ profectus,in itinere periit apoplexia, ſedẽs cum fratre in vehiculo. Ingenij fuit parũ ciuilis,reuerentia tamen fratris nihil vnquã atrox auſus. erat enim ſolus frater Imperator à Senatu dictus. obiit anno Imperij fratris, & ſui, 11. tunc M. Antoninus ſolus tenuit Imperium:ij autem fratres dicuntur,non quòd ſint iiſdẽ parẽtibus prognati,ſed,quatenus licet mihi ex autoribus hiſtoricis colligere, quòd M.Antoninus ſorori huius primùm nupſerit:tum etiã quòd ambos adoptarat Imperator Antoninus Pius: vel potius quòd ex eadem matre nati ſint.Iul.Capi.

LVCILLA, filia M. Antonini Philoſophi,nupſit L. Annio Antonino ſupradicto:quãquam ex voluntate Imperatoris Adriani debebat hic L.Annius Anto.in vxorẽ accipere Fauſtinam, Antonini Pij filiam:verùm cùm minimè congrueret amborum ætas, nupſit potius Fauſtina M. Antonino Philoſopho. Iul.Cap.in vita Veri principis,qui vnus & idem eſt cum hoc L. An.Ant.Vero,cuius nunc meminimus:qui filius fuit L.Ceionij Commodi,de quo paulò ante tractauimus.





L. ANTONINVS, siue Aurelius Commodus, succeſsit patri M. Antonino Philoſopho:& quis talis Imperatoris filium reieciſſet?ipſe verò etiam patri non ſatis probatus, ſtatim Caligulæ & Neronis ſimillimus euaſit. cœpit poſt patrem imperare anno mundi 4142.à Chriſto nato 180. in ſcena ſæpe aurigæ habitu prodiit.ludis gladiatoriis & Dalmaticatus præſedit, & in amphitheatro gladiator dimicauit.athletarum etiã more publicè ſe exercuit.quæ omnia actis inſerenda publicis curauit.Cùm à patre decrepito moneretur, vt ne attritos iam barbaros ſineret vires recipere,reſpondit: *Ab incolumi, quamuis paulatim,negotia perfici poſſe,à mortuo nihil.* In ſumma, nihil paternum cùm referat,iure à multis nothus dicitur : nec caruit hac nota mater:adeò vt aliquando viro ſuo dictum ſit, vt eam repudiaret, ſi non occideret:& dixiſſe fertur, *Si dimittimus, reddamus & dotem* dotem intelligebat Imperium.Sed,vt ad Anto.Commodum reuertar,is tandem,autoribus Lęto & concubina Martia, ſtrangulatur,anno ætatis 32.Imperij 13. tanta omnium execratione, vt hoſtis humani generis etiam mortuus iudicaretur. Eutr.li.8.Egna.Vic.Iuli.Capi.Oro.li.7.cap.16.

CRISPINA huius ſupradicti vxor fuit,cuius dolo Lucilla,Imperatoris ſoror,quam idem ille compreſſerat, periit. Aelius Lampri.in L.Antonino,ſiue Aurelio commodo.







P. ÆLIVS, siue Heluius, Pertinax, Commodo succesſit, coactúſque imperauit Læti opera, ac decreto Senatus, anno mundi 4155. à Christo nato 193. hic dum renuit Imperium ſuſcipere, tale Pertinacis cognomen ſortitus eſt: quãuis Capitolinus aliam huius nominis originẽ tradat. Libertino fuit genitus patre apud Ligures, genere quidẽ humili, virtute autẽ atque innocẽtia ſumma. Militia clarus Pertinax, in ea ad ſummas dignitates euectus eſt, vnde & *Pilæ ludus eſt dictus*. Summã de ſe expectationem omnibus cùm daret, Læti inſidiis, qui imperium illi aſtruxerat, & militari factione, Iuliano, qui ei ſuccesſit, non inſcio, imò conſcio, periit, anno ætatis 71. Imperauit vix menſes tres: cuius caput ab vrbe delatũ eſt in caſtra. Nam cùm omnia in priſtinũ ſtatũ reducere conatur, à prætoriis cohortibus odio habitus, interimitur: acclamatũ eſt aduſq; defectum, *Pertinace imperante ſecuri viximus, neminem timuimus: patri pio, patri Senatus, patri omniũ bonorum.* hic ex Senatuſconſulto imperare iuſſus fuerat. Eutro. li. 8. Bap. Egna. li. 1. Sex. Aure. Vict. huius vitam vide fuſius apud Iulium Capitolinum & Herodianum li. 2.

FLAVIA Titiana Ælij Pertinacis vxor fuit. hanc Senatus nomine Auguſtæ donauit: filiúmque eius nomine Cæſaris, quos titulos etiã recuſabat pater, tanta præditus erat modeſtia. porrò Flauia palàm cytharœdũ amauit: Pertinax viciſſim, cùm vxoris pudicitiã non vſqueadeò curaret, Cornificiam perditè, & ad infamiam vſque deperiſſe dicitur. Iulius Capitolinus.





DIDIVS Iulianus,qui & Saluius dictus eſt,Mediolanenſis,imperium quod per ſcelus,necis imperatoriæ conſcius ipſe, primus etiam licitatus eſſe dicitur,intra tertium mẽſem à nece Pertinacis,cum vita ſimul amiſit.Nam Seuero,ab exercitu Imperatore appellato,à Iuliano omnes defecerunt,qui ab eodem Seuero victus,tandẽ in palatio etiam iuſſu Senatus interficitur. neque enim militi gratus erat, ob non integrũ donatiuum datum:& populo etiã inuiſus erat, ob perfidiam in principẽ optimum. fuit Didius factioſus,præceps,regni auidus, nobilis,iure peritiſsimus,nepóſq; Saluij Iuliani, qui ſub Adriano perpetuũ cõpoſuit edictum.educatus eſt apud Domitiã Lucillam, Marci Anton. Philoſophi matrem. Imperium illi iuſſu Senatus abrogatum eſt,paulò ante necem.Eutro.li.8.Egna.li.1.Aure. Vict. & Hero.li.2.Vixit annos 56.

MALLIA Scantilla vxor,& Didia Clara filia Didij Iuliani fuit.ambæ edicto Senatus Auguſtæ appellatæ,& in Palatium à viro & patre vocatæ,trepidæ,& quaſi inuitæ introierũt,velut iam iam imminens exitium præſagirẽt.Filiam,potitus imperio pater,dato patrimonio emãciparat, quod ei cum Auguſtæ nomine obtruncato patre,ſtatim ſublatum eſt.Vide Ælium Spartianum in Didio Iuliano.





L. SEPTIMIVS Seuerus poſt Iulianum imperat anno mundi 4156. à Chriſto nato 194. Hic primus Afer ad imperij faſtigium euectus, ab Illyrico exercitu Imperator dicitur, hinc à Senatu. Pertinacem ſe appellari voluit in honorem eius qui à Iuliano fuerat occiſus. Parcus fuit, ſæuus, bellicoſus. Peſcenniũ Nigrum in Oriente, Clodiũ Albinum apud Lugdunũ deuicit: erant ſiquidem hi Imperatores ab exercitibus dicti. Orientem, Parthis, Arabibus, Adiabenis deuictis, Romano reſtituit imperio: Britannos tumultuãtes cõpeſcuit, vallo à mari ad mare per 32000. paſſuum ducto: vbi etiam ſeptuagenarius morbo articulari deceſſit, anno imperij 18. Philoſophiæ ac dicẽdi ſtudiis deditus, latronũ vbiq; hoſtis, vitam ſuam priuatam, publicám que compoſuit ad fidem: ſolũ tamen vitium crudelitatis excuſauit. De hoc Senatus ita iudicauit, *aut non naſci debuiſſe, aut non mori.* Eutro. lib. 8. Egna. lib. 1. Aur. Vict.

MARTIA, L. Septimij Seueri vxor fuit tum cùm Tribunatum plebis, Marco Imperatore decernẽte, promeruit: de qua tacuit in hiſtoria vitæ priuatæ: ei tamen poſtea, cùm imperaret ipſe, ſtatuas collacauit: ex hac Baſsianũ, qui poſtea imperat, ſuſcepit. Deinde Iuliæ nupſit, quã, domi minus cautus, adulteriis famoſam tenuit, etiam coniurationis conſciam: ex Iulia Getam quoque filium ſuſcepit. Ælius Spart. in Seuero.





M. AVREL. Antoninus Bassianus, dictus Caracalla, Seuero patri succedit, imperátque anno mundi 4174. à Christo nato 212. hic Lugduni genitus est, dictúsque Bassianus ex aui materni nomine: Caracalla autem, quòd cùm è Gallia vestem plurimam deuexisset, talarésq; caracallas fecisset, coëgerit plebem ad se salutandũ talibus indutã caracallis. Antoninus porrò dictus est in honorẽ M. Antonini Imperatoris. Hic simulatque imperauit, fratrem ex patre, Getam nomine, falsò criminatum occidit ipse in gremio matris eius. Papinianum etiã Iuriscõsultissimum occidi à militibus iussit, compluresque alios. In summa, nullo in pretio apud populũ fuit, etiamsi vestes dedisset, & thermas nominis sui, id est Antonianas, eximiè fabrefactas, extruxisset. fuit patre duro crudelior, in eúmq; contumax, cibi & vini auidus, præter milites prætorianos omnibus castris exosus, Alexandri Magni admirator, quem, collo in læuum humerũ detorto, reddere, & eius nomine vocari cuperet. Alexandrinorum dicacitatẽ vltus est ingenti eorum cæde: Persas dolo magis quàm virtute fudit. Cùm Carris iter faceret, apud Edessam secedẽs ad onus ventris leuandũ, à milite, qui quasi ad custodiam sequebatur, occisus est anno imperij 6. ætatis 43. Herodian. lib. 4. Egna. li. 1. Eutr. lib. 9. Aurel. Vict. Ælius Spart.

IVLIA, quæ erat Caracallæ nouerca, eiusdem etiam vxor fuit. nam cùm esset pulcherrima, & quasi per negligẽtiã se maxima corporis parte nudasset, dixit Caracalla, *Vellem, si liceret*: at respondit hæc, *Si libet, licet: an nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere?* tunc nuptias celebrat, eíque copulatur, in cuius gremio, eiusdémque filium nuper confoderat. Æl. Spartian.





OPILIVS Macrinus obſcuris parentibus ortus, Maurusij generis, proditor, & necis Caracallæ conſcius, imperat anno mundi 4180. à Chriſto nato 218. vnà cum Diadumeno filio formoſiſſimo. hic Artabano Parthorũ Regi grauiter necẽ ſuorum ciuium vindicãti, quos occiderat Caracalla, primò reſtitit: poſtea miſſis legatis petiit pacẽ, eam libenti animo, interfecto Caracalla Parthus cõceſſit. Inde cum ſe Antiochiam recepiſſet, ac luxuriæ operã daret, iuſtam cauſam necis ſuæ præbuit exercitui, ac Baſsiani, vt putabatur, filium ſequẽdi, id eſt Heliogabalum. fugiẽs itaque cum filio in vico quodã Bithiniæ occiditur: caput eius ablatũ ad Heliogabalum perfertur. Iul. Capito. Æl. Lam. vixit annos 50. imperauit menſes 14. cuius caput amputatum ad Heliogabalum eſt perlatum.

M. AVRE. Anto. Baſsianus Varius, Heliogabalus, victo Opi. Macrino imperat anno mundi 4181. à Chriſto nato 219. fuit hic impurus, ſuperbus, crudelis: honores & dignitates cõtulit in aurigas, mimos, hiſtriones. cùm omnia ſordidè ageret, iniretúrque à viris, ſtatim milites facti pœnituit: quare in Alexandrum, Heliogabali cõſobrinum inclinauere animos: tandémq; Heliogabalum, cum matre & ſatellitibus, interficiunt, operam etiam dante Alexãdri matre, quæ militibus clam pecunias dabat. tractum eſt cadauer per Circi ſpatia priuſquam in Tiberim præcipitaretur. Æl. Lamp. in Helioga. Herodianus li. 5. vixit annos 18. imperauit 4.





AVREL. Alexander Seuerus, ab Heliogabalo adoptatus, post eum imperauit anno mundi 4185. à natiui. Christi 223. à prima pueritia bonis artibus imbutus, pius, mãsuetus & liberalis extitit: Christianis fauit: vetuit ne mulieres vulgato corpore matrem illius Mammeã salutarent. in pretio habuit Vlpianum, & tãquam tutorem. bonorum principũ vitam versibus descripsit. Fures valde persecutus est, quos inimicos reipu. dictitabat. cum solus accumberet, librũ ad mensam habebat: quãdo conuiuas habebat, aderat Vlpianus atq; aliquot alij, quorum doctis sermonibus ac disceptationibus recreabatur inter epulas. aduersus Parthos, quos vicit, exercitũ duxit, habẽs milites tantæ grauitatis & modestiæ, vt quacũque iter facerẽt, Senatores esse dicerentur, non milites. Ad Alexandri magni mores sese cõponebat, cùm eiusdem nominis esset, imò & exuperare satagebat, inquiens *multum interesse debere inter Romanum Alexandrum, & Macedonẽ.* clamabat sæpe, atq; per præcõnẽ proclamari iubebat, cùm aliquẽ emendaret, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Tandem factione militari vnà cum matre in tentorio necatur. vixit annos 29. imperauit 13. Æl. Lampri. & Herodi. li. 6.

MAMMEA, mater Alexandri Seueri, à quibusdam dicitur Christiana fuisse, & ab Origene edocta. hæc filiũ eò coegerat, vt quæ mensæ superessent edulia, quãuis permodica, altera vice apponerentur. Aurel. Vict. Ab. Vrsper. Euse. li. 6. cap. 16.





IVLIVS Maximinus Thrax,è militaribus imperauit cum filio eiuſdem nominis,coactus à militibus,poſt Aurel.Alexandrum anno mundi 4198.à Chriſto nato 236.altus fuit pedes 8.& digitum:tam validus vt Hercules,Achilles,Aiax,Milo,Antæus vocitaretur:tam ferox vt Cyclops,Buſiris,Sciron,Phalaris,Typhon,Gyges diceretur. hũc vſq; adeò reformidauit Senatus,vt vota in templis publicè fierẽt ne vnquam vrbem ingrederetur. erat ei perſuaſum niſi crudelitate imperiũ non teneri.ſimul verebatur ne propter humilitatẽ generis ſperneretur(fuerat ſiquidem in prima pueritia paſtor)quare ignobilitatis tegẽdæ cauſa, omnes cõſcios generis interemit. Aduerſus hunc Senatus Pupienum & Balbinũ Imperatores declarauit.Hic verò in Italiam ſtatim cum exercitu deſcendit: Aquileiáq; fruſtra obſeſſa,à ſuis militibus penuria oppreſsis,cum filio diſcerpitur, conclamãtibus cunctis militari ioco,*Ex peßimo genere ne catulum quidẽ habendum.* horũ capita Romam perlata ſunt. imperauit annos 3.vixit pater 50.filius 20.Herodi.li.7.& 8.Iul.Cap. Aur.Vict.

GORDIANVS ſenior ab exercitu Africano , ipſe Proconſul Africæ, Imperator factus vnà cum filio eiuſdẽ nominis, à Senatu approbatus eſt : ídque in odium Iulij Maximini anno mundi 4200. à Chriſto nato 238. At Capelianus, Mauritaniæ procurator, in gratiã Maximini bellum Gordiano mouet,vincit occumbit Gordiani filius:pater laqueo ſe ſuſpẽdit. imperarunt annum & ſex menſes, quo tempore etiam imperabat Iul. Maximinus. Vide Iulium Capit.





MAX. PVPIENVS, & Clodius Balbinus, siue Albinus, à Senatu Imperatores creati sunt, & Gordianus iunior Cæsar electus est: ídq; aduersus Iulij Maximini innatã crudelitatem. anno mundi 4201. à Christo nato 239. Albinus in vrbe manet ad componendam rempublicam, Pupienus foris Iulium Maximinum vincit. tandem ambo Romæ à militibus occiduntur, cùm parum cõcordi inter se animo rempublicam administrarent: erãt præterea odio militibus, quòd à Senatu Imperatores facti essent. Imperarunt annum vnum ab obitu Maximini. Iulius Capit. Bap. Egn. li. 1.

GORDIANVS 13. annos natus Romæ cum supradictis Imperatoribus, Maximo Pupieno, & Clodio Balbino, siue Albino, imperauit. hic Senatui, populo & militibus charus, tum ob claritatem generis, tum ob peculiares animi dotes, cùm bellum aduersus insolescentes Persas per Misitheum confecisset, Philippi præfecti dolo interficitur. nec tamen fuit inulta optimi principis cædes: quicunque in eum coniurauerant, crudelibus afflicti suppliciis interierunt. huius succesibus cùm posset Persicum nomen deleri, Philippi insidiæ obstiterunt. fuit hic maioris Gordiani ex filia nepos. imperauit annos sex, quinque solus, vnum cum Pupieno & Balbino. dixit aliquando, *miserum esse Imperatorem, nempe apud quem vera ferè reticeantur.* Consulito Iul. Capitol.





M. IVL. Philippus, occiſo Gordiano iuniore, ab exercitu Imperator declaratus, ad Senatum ſcripſit de morte Gordiani (nēpe graui eum morbo periiſſe) & de ſuaipſius electione, poſtulans vt confirmaretur. Senatus, rem non planè intelligens, eum Imperatorem confirmat, anno mundi 4207. à Chriſto nato 245. fuit hic Arabs, humillimo ortus loco, patre nobiliſs. latronum ductore. Miſitheū primùm veneno ſuſtulerat, Gordiani ſocerū, virum modeſtū ac frugi, cuius conſilio Imperium augebatur: deinde Gordianum occîdit. Huius tempore Scythæ deſciuerunt, cōtra quos Marinum miſit, qui à militib. Imperator factus, ab eiſdē occiditur: atq; iterum ab iis Decius Imperator creatur. Aduerſus quē Philippus furēs tendit, atq; à militibus occiditur Veronæ, medio capite ſupra ordines dentiū præciſo: filius annorum 12. Romæ necatur, qui à quinquēnio nunquam riſiſſe dicitur. Imperarunt annis 5. ſunt qui hunc primum Imperatorem Chriſtianum fuiſſe tradant, at perfidi mores obſtant. Bap. Egn. Capi. in Gordiano iuniore.

DECIVS miſſus à Philippo ad cōprimendos motus Mœſiacos, vt primùm prouinciam attigit, Imperator omnium conſenſu dicitur anno mundi 4212. à Chriſto nato 250. Hic ciuiles in Gallia motus ſedauit, prius quàm ad vrbem rediret. Aduerſus Scythas ad liberādas Thracias cum filio profectus, vnà cum filio perit, & loco, & fato aduerſantibus, equo ſedēs ne in manus hoſtium veniret, in paludē inſiliit: nec cadauer vſquam inuentum eſt. imperauit annis duobus. vixit quinquaginta. inter optimos annumeraretur, ſi à cruciatibus Chriſtianorū temperaſſet. Pompo. Letus, Euſe. li. 6. ca. 29.





VIBIVS, ſeu Virius Gallus Hoſtilianus poſt Decium Imperator à militibus creatus eſt, anno mundi 4214. à Chriſto nato 252. hic cum Scythis fœdus pepigit, non ſine Romani nominis ignominia, tributum eis annuum pendens. tunc primùm reſpublica Romana iugũ Scythicæ ſeruitutis accepit. hinc Barbari inſolentiores facti, nec tributo contenti, ingenti exercitu comparato, terra maríque ſæpius irrumpũt: & Dardaniã, Thraciam, Theſſaliam, Macedoniã, & Helladam infeſtant. Scytharum exemplo alij hoſtes inſurgunt: iam viſcera Syriæ penetrãt Parthi, & Armenias fugato rege Tyridate occupãt. Interim pernitioſa peſtis orbem peruaſit, quæ ex Æthiopia orta, per annos 15. terras propè omnes exhauſit. proueniſſe ex infelicibus Galli auſpiciis viſa eſt, vt qui proditione Imperium arripuiſſet, Chriſtiani etiã dogmatis hoſtis erat. Ita Imperium Galli infauſtum, rerum geſtarum monimentis obſcurum, clade generis humani memoriæ traditum eſt. Hic cùm aduerſus Æmilianum in Mœſia Imperatorẽ factum proficiſcitur, prælio victus, à ſuis militibus vnà cum filio Voluſiano occiditur, annos natus 47. imperauit annos 2. Pom. Læ. Bap. Egna. Eutro. li. 9. Oroſi. li. 7. ca. 21.

VOLVSIANVS, Galli filius, à patre Imperij conſors factus, mortis item conſors & ſocius fuit.







ÆMILIANVS Libycus,dux limiti Sarmatico in Mœſia à Decio præpoſitus eſt,nec à Gallo ſubmotus. is itaq; cum Scythæ, ſolertiſſimũ latrocinandi genus,contenti tributo non eſſent, id pro cõcione ſuis militibus pollicitus eſt, ſi hoſtes viciſſent. Præmio accenſi vicerunt.reuerſus in Mœſiam Æmilianus præmia perſoluit. Hoc ſucceſſu adeò gratus victori exercitui fuit,vt ab eo ſit Imperator appellatus. ad hos motus opprimendos Gallus cum filio profectus non profecit. Æmilianus ad Senatum ſcribit ſe Imperatorem lectum,promittit ſe Meſopotamiam,& Armenias recuperaturum, depulſurũ vndique hoſtes. At verò priuſquàm opus aggrederetur,qui in Alpibus erãt milites Valerianum Imperatorem faciunt. tunc qui ſub Æmiliano erant, ne ciuili bello, & cognato ſanguine ſe inficerent, eum ob humilitatem generis trucidant: Valeriano,ob generis nobilitatem,& laudatiſs. mores, ſeſe dedunt. vixit Æmilianus annos 40. imperauit menſes 3.Pom. Læ. Eutro. lib. 9. Bap.Egn. Aur. Vict.

VALERIANVS, maioris ſpei quàm fortunæ, imperauit anno mundi 4216. à Chriſto nato 254. hic duplici nomine calamitoſiſſimus extitit: tum quòd à Sapore Perſarũ Rege victus acie(ſiue dolo ſuorum,ſiue eius imprudẽtia id acciderit) in captiuitate conſenuit:tum quòd Gallienum filium reliquit, qui Caligulæ ac Viteliis ſimillimus, Imperium contaminauit. Vixit Valerianus annos 70. imperauit 4. ante captiuitatem ſuam vnà cum filio. Quandiu captiuus vixit, Rex Sapor incuruato eo,pedem ceruici eius imponens,equum aſcẽdere ſolitus eſt. Aurel. Vict.





GALLIENVS Romæ à Senatu Auguſtus creatus eſt, quando & pater Valerianus ab exercitu in Rhetia. Ab initio Imperium non infeliciter adminiſtrauit : at poſtea in luxum & ſocordiam lapſus, mirum in modum afflixit : externis hoſtibus adeò inſultantibus vt fœminæ Imperium in eius contemptum occuparint, & tyrãni 30. ex ipſo & in ipſum quoq; inſurrexerint Imperiũ. Græcia, Macedonia, Pontus, Aſia vaſtata eſt à Gothis: Pannonia à Sarmatis, Quadíſq; depopulata eſt. Germani vſque ad Hiſpanias penetrarunt, & ciuitatem nobilem Tarraconem expugnauerunt, opulentiſſimam, vt inquit Pomponius Mela. Parthi Meſopotamia occupata, Syriã ſibi cœperunt vendicare. Dacia, quæ à Traiano vltra Danubiũ fuerat adiecta, tum amiſſa eſt: quòd ſi Poſthumus in Occidente, Odenatus in Oriente Imperium non ſuſtẽtaſſent, actum de Rom. Imperio eſſet. Gallienus nouiſſimè aduerſus Aureolũ profectus, à militibus ſuis, commento Aureoli, ad Mediolanum obſeſſi, vnà cum fratre Valeriano occiditur. Annos vixit 50. imperauit 15. tam cum patre quàm ſolus. Eutro. lib. 9. Aurel. Vict. Bap. Egna. li. 1. Pom. Le Trebel. Pol.

SALONINA natione, & Pipa nomine, ſiue Pipara, Marcomannorum Regis filia fuit, quam per pactionẽ conceſſa parte ſuperioris Pannoniæ, matrimonij ſpecie accepit Gallienus: ex hac Salonianum alterum filium ſuſcepit, quẽ in locum defuncti Cornelij filij ſui, qui fuerat Cæſar creatus, ſubrogauit. Conſulito Trebellium Pollionem, & Sextum Aurelium Victo.



EQVVNTVR triginta tyrannorum imagines, subiectis illorum vitis per compendium, ex Trebellio Pollione illis ferè contemporaneo. hi siquidē tyranni Imperium inuaserunt partim vi, partim dolo, temporibus Valeriani & Gallieni Imperatorum: quare & tyranni dicuntur, non quòd tyrannicè, hoc est iniquè, se gesserint, (nam nonnulli etiam inter eos optimi innocentem vitam duxerunt) sed quòd Imperium vsurparint, nonnulli etiam coacti, seque Cæsares & Augustos appellari paßi sint. Porrò, dubium est magisne Ro. Imperium labefactarint, an asseruerint: ne, diffluēte luxu & lasciuia Gallieno, ac patre eius Valeriano, bello Persico occupato, quinetiā à Persis victo & capto, omnino illa ipse misera Ro. resp. pessum iret: dum vndiquaque ab ingruentibus hostibus premeretur. Cæterùm Titus & Censorinus, qui in hac tyrānorum serie vltimi duo habentur, extiterunt, alter Iulio Maximino, alter verò Fl. Claudio imperāte, qui Gallieno succeßit. Fuerunt alij vulgati 30. Athenis Tyranni, Lysandri temporibus, qui paulò post arreptam Tyrannidem à Thrasybulo victi sunt, & popularis status tunc restitutus est: sicuti diximus in priori huius operis parte, pagina 122. Porrò eadem phrasi, imò iisdem pene verbis vsus sum, quibus autor meus Trebellius Pollio: qui si haud ita purè latinè loquatur, ipse viderit: institutum meum fuit eius orationē ac mētem persequi: quemadmodum & aliorum quorum ego in hoc opere cito autoritates.





CYRIADES primus è 30.Tyrannorum numero fuit:eorum inquã qui temporibus Valeriani & Gallieni Imperatorum imperarunt. hic dum luxuria ſua & moribus perditis ſanctum ſenem eiuſdem nominis patrem grauaret,direpta magna parte auri & argenti,Perſas adiit:atq; Sapori regi coniunctus, hortator belli Romanis inferendi fuit. Antiochia capta & Cæſarea, Cæſarianũ nomen accepit: atque inde vocatus Auguſtus,cùm omnem Oriẽtem vel virium audacia,vel terrore quateret, patrem etiã interemit:ipſe quoque per inſidias ſuorũ, cùm Valerianus iam ad bellum Perſicum iret,interemptus eſt. Cõſulito Trebellium Pollionem, in horum 30. Tyrannorum vitis,vt ſemel te candide lector,commonefaciam.

POSTHVMVS vir fuit bello fortiſſimus,atque in pace conſtantiſſimus,in omni quoq; vita grauis, vſqueadeo vt Saloninum filium ſuum eidẽ Gallienus in Gallia poſitum crederet, quaſi cuſtodi vitæ,morum,& actuum Imperialium inſtitutori. Sed vt pleriq;aſſerunt(quod eius non conuenit moribus)poſtea fidẽ fregit, & occiſo Salonino ſumpſit Imperium. Vt autem verius plerique tradiderunt, cùm Galli vehemẽtiſſimè Gallienum odiſſent, puerũ autẽ apud ſe imperare ferre non poſſent, eum qui commiſſam regebat Prouinciam,Imperatorẽ appellarunt,miſsíſque militibus adoleſcentẽ interfecerunt.Sic omnibus Gallis acceptiſſimus,Gallias per annos ſeptem inſtaurauit, ſubmotis omnibus Germanicis gẽtibus.Sed cùm ſe grauiſſimè gereret,Lolliani opera interemptus eſt.





POSTHVMVS iunior, ſupradicti Poſthumi filius, à patre appellatus eſt Cæſar, ac deinceps in eius honorẽ Auguſtus. Hic cum patre dicitur interẽptus, tum cum Lollianus in locum Poſthumi ſubrogatus, delatũ ſibi à Gallis ſumpſiſſet Imperium. fuit ita in declamando diſertus, vt eius controuerſiæ & declamationes inter Quintiliani declamationes dicantur inſertæ.

LOLLIANVS fuit quidem vir fortiſſimus, ſed rebellionis gratia minorem apud Gallos autoritatẽ de ſuis viribus tenuit. attamen nonnihil reip. profuit: nam pleraſq; Galliæ ciuitates, nonnulla etiam caſtra Poſthumus per ſeptem annos in ſolo barbarico ædificauerat, quæ ipſo interfecto Poſthumo, ſubita irruptione Germanorũ, & direpta fuerãt, & incenſa: hæc Lollianus inſtaurauit, deinde à ſuis militibus, quòd in labore nimius eſſet, occiſus eſt: ídque factione Victorini, Victorinæ, ſeu Victoriæ, filij quæ poſtea Mater caſtrorum appellata eſt, & Auguſtæ nomine affecta, cùm ipſa per ſe fugiens tanti ponderis molem, primùm in Marium, deinde in Tetricum atque eius filium contuliſſet imperia. Ita Gallieno perdente rempub. in Gallia primùm Poſthumus, deinde Lollianus, Victorinus deinceps, poſtremò Tetricus affectatores Romani nominis extiterunt. Lolliani autem vita in multis obſcura eſt, vt & ipſius Poſthumi: ſed priuata virtute clari, non nobilitatis autoritate vixerunt. Vide Trebe. Pol.





VICTORINVS militaris induſtriæ vir à Poſthumo ſeniore in partem vocatus eſt imperij, & cum eodem cõtra Gallienum conflixi:cúmq; adhibitis non paucis Germanorum auxiliis, diu bella traxiſſent, victi ſunt. Tunc, interfecto etiã Lolliano, Victorinus in Imperio remanſit: qui & ipſe, quòd matrimoniis militum & militarium corrumpendis operam daret, à quodam actuario, cuius vxorem ſtuprauerat, factione Agrippinæ, percuſſus eſt, Victorino filio Cæſare appellato, ab ipſa, auia Victorina, ſeu Victoria, quæ Mater caſtrorum dicta eſt: hic autem Victorinus filius, adhuc puerulus, ſtatim eſt interemptus, cùm apud Agrippinam pater eius eſſet occiſus. De hoc Victorino Iulius Aterianus ſic ſcriptũ reliquit, *Victorino qui Gallias poſt iuniorem Poſthumum rexit, neminẽ exiſtimo præferendum: Non in virtute Traianũ, non Antoninum in clemẽtia, non in grauitate Neruam, non in gubernando ærario Veſpaſianum, non in cenſura totius vitæ, ac ſeueritate militari Pertinacẽ, vel Seuerum. Sed omnia hæc, libido in mulieres inſana ſic obliterauit, vt nemo audeat virtutes eius literis mãdare, quem conſtat omnium iudicio condignas voluptatis pœnas luiſſe.*

VICTORINVS iunior, Victoriæ nepos, Victorini ſupradicti filius fuit: hic & à patre & ab auia, ſub eadem hora qua ipſe pater Victorinus interemptus eſt, Cæſar eſt nuncupatus, ac ſtatim à militibus occiſus. diceres iram diuinã de paternis flagitiis etiam in hoc puero ſupplicium ac vindictam ſumpſiſſe.





MARIVS, interemptis Victorino, Lolliano & Posthumo, triduo tantum imperauit: vir quidem strenuus, ac militaribus vsq; ad Imperiũ gradibus euectus. Antea opifex fuerat ferrarius, cuius manus vel ad feriendum, vel ad impellendũ robustissimæ fuerunt: nam fortissimos quosq; vno digito sic afflixit, vt quasi ligni vel ferri ictu percussi dolerent. Huius concio prima fuit, *Scio, cõmilitones, posse mihi obiici artem pristinam, cuius omnes testes estis: sed dicat quisque quod vult, vtinam semper ferrum exerceam: Non vino, non floribus, nõ mulierculis, nõ popinis, vt facit Gallienus, indignus patre suo, & sui generis nobilitate, depereã. Ars mihi obiiciatur ferraria, dum me exteræ gentes ferrum attrectasse suis cladibus recognoscant.* Occisus est à quodã milite, quem dedignari ac spernere videbatur, cùm tamen eius quondam miles ille operarius in fabrili officina fuisset, dixisséq; fertur inter occidẽdum, *Hic est gladius quem ipse cudisti.*

INGENVVS, qui Pannonias regebat, à Mœsiacis legionibus Imperator dictus est: neq; in quoquam melius cõsultum reip. à militibus videbatur, quàm quòd instãtibus Sarmatis creatus est Imperator, qui fessis rebus mederi sua virtute posset. Sed Gallienus (vt erat nequam & perditus, ita etiam, vbi necessitas coëgisset, velox, fortis, vehemens & crudelis) Ingenuum bello vicit: eóq; occiso in omnes Mœsiacos tam milites quàm ciues, ita sæuiit, vt in plerisq; ciuitatibus viros à medio tolleret. fertur Ingenuus expugnata à Gallieno ciuitate, ne in tyranni veniret potestatem, domum intrasse, in qua se pugione transfodit.





REGILLIANVS Illyrico Præfectus, militari ioco ad imperiũ vocatus eſt, autoribus Mœſiacis legionibus. Nam cum milites cum eo quidam cœnarẽt, agitata eſt queſtio, vnde Regilliani nomẽ? cui reſponſum eſt, credimus quòd à regno. Tum aliquis cœpit quaſi grãmaticaliter inflectere, rex, regis, regi, Regillianus. Milites itaque (vt eſt hominum genus pronum ad ea quæ cogitant) hoc omine ſumpto, poſtridie ipſum vt Imperatorem ſalutarunt. Fuit vir in re militari ſemper probatus, & Gallieno iam ante ſuſpectus, quòd dignus videretur imperio: nec à Gallieno promotus erat, ſed à patre eius Valeriano, quẽadmodum & Claudius, Macrianus, Ingenuus, Poſthumus & Aureolus, qui omnes in imperio interempti ſunt, cùm mererẽtur imperium. Mirum ſanè fuit in Valeriano, quòd omnes quoſcunq; duces fecit, poſtea militũ teſtimonio ad Imperiũ peruenerunt. ſed fortuna cum Valeriano & bonos principes tulit, & Gallienum diutius quàm oportebat, reip. reſeruauit. Cæterùm Regillianus cùm multa fortiter contra Sarmatas geſsiſſe, autoribus Roxolanis, conſentientibúſque militibus, & timore prouincialium, ne iterum Gallienus grauiora faceret, interemptus eſt.

AVREOLVS quoque Illyricianos exercitus regens, in contemptum Gallieni, vt omnes eo tẽpore, coactus à militibus, ſumpſit Imperium: cúmq; Gallienus fruſtra tẽtaſſet eum expugnare, pacem cum eo, cõtra Poſthumũ pugnaturus, fecit. Hunc Claudius, interfecto iam Gallieno, conflictu habito, apud eum pontẽ interemit qui inde pons Aureoli dictus eſt. Trebel. Pol.





MACRIANVS, Gallieno & Aureolo vsurpāte imperium, factus est Imperator, cum duobus filius suis, Macriano & Quieto: ídque consilio & opera ducis Balistæ, ac omniū militum assensu. Hic cùm statim cōtra Gallienū veniret, ac 45000. militū secum duceret, in Illyrico, vel Thraciarum finibus, congressus cum Aureolo, victus & cum Macriano filio interēptus est: triginta deniq; milia militū in Aureoli potestatē concessere. Domitianus autē eum vicit, dux Aureoli fortissimus, & vehementissimus, qui se originē diceret à Domitiano Imperatore trahere, atq; à Domicilla. De hoc sic scripsit Valerianus ad senatum è Persidis finibus: *Ego P.C. bellum Persicū gerens Macriano totam rempub. credidi, quòd à parte militari ille vobis fidelis, ille mihi deuotus, illū & amat & timet miles: nec noua vel inopinata nobis sunt: pueri eius virtus in Italia, adolescētis in Gallia, iuuenis in Thracia, senescentis denique in Illyrico & Dalmatia comprobata est, cùm in diuersis prælijs ad exemplū fortiter faceret: huc accedit quòd habet iuuenes filios Romano dignos collegio, nostra dignos amicitia.*

MACRIANVS iunior vnà cum patre factus est Imperator, vnà itē cum patre cuius merito imperare cœperat, à Domitiano victus, triginta, vt superius dictum est, milibus militum spoliatus est. De hoc multa dicuntur quæ ad fortitudinē pertinent iuuenilis ætatis. fuit matre nobili, patre tantùm forti & militia claro. Trebel. Pol.





QVIETVS cum patre & fratre, Balistæ iudicio, Imperator est factus. Sed vbi cōperit Odenatus, qui olim iam Orientem tenebat, ab Aureolo Macrianum patrē, Quietū & eius fratrem Macrianum victos, militésque Macriani, in Aureoli potestatem concessisse, quasi Gallieni partes vindicaret, adolescentem Quietū cum Balista, præfecto dudum, interemit. Idē quoque adolescens, Ro. dignus Imperio fuit, vt vera Macriani proles. Porrò Macrianorum familia speciale semper habuit, vt viri in auro & argento, mulieres in reticulis & dextrocheriis, & in anulis, & in omni ornamentorū genere Alexandri magni effigiem gestarent. Trebel. Pollio.

ODENATVS, princeps Palmyrenorum, capto Valeriano, fessis reipub. viribus, nisi sumpsisset Imperium, in Oriēte res perditæ essent. Nam hic collecto exercitu cōtra Persas profectus est, cum vxore Zenobia & filio maiore, cui nomen erat Herodes. Nisibin primùm & Oriētis pleraque cum omni Mesopotamia in potestatē recepit: deinde ipsum Regē, victum fugere coëgit, Saporem & eius liberos bello lacessiuit, captis concubinis, capta etiam magna præda. Macriano interēpto, filium eius Quietū, interfecit. Cōposito itaq; magna ex parte Orientis statu, à consobrino suo Mæonio, qui & ipse Imperium sumpserat, interēptus est, cum filio suo Herode, qui & ipse post reditū è Perside cum patre Imperator est appellatus. fuit Odenatus bellicosus: præterea capiēdis leonibus, pardis & vrsis à prima ætate assuefactus, iniuriarū cœli pertolerantiss. cuius etiam vxor non minus viro fortis extitisse perhibetur: huius vxoris postea meminerimus pagina 75.





HERODES, non Zenobia matre, ſed priore Odenati vxore genitus, cum patre accepit Imperiū, homo omnium delicatiſſimus, ac prorſus Orientalis, & græcæ luxuriæ, cui erant ſigillata tentoria, & aurati papiliones, & omnia Perſica. Denique ingenio eius vſus Odenatus, regias Saporis cōcubinas, & quaſcunq; gemmas ac diuitias cepit, huic filio ſuo Herodi tradidit paterna motus indulgentia. Oderat illum Zenobia nouercali animo, quare cōmendabiliorem eum patri fecerat. Conſulito Trebellium Pollionem.

MÆONIVS Odenati conſobrinus inuidia extimulatus Imperatorem optimum, eundémque conſobrinum ſuum interemit, cùm ei nihil aliud obiiceretur, præter filij Herodis delicias. Dicitur autem primùm cum Zenobia conſpiraſſe, quæ ferre non poterat vt priuignus ſuus Herodes princeps diceretur, atque autoritate præiret eius filios, Herennianum & Timolaum. Hic ſpurciſſimus fuit, quare Imperator appellatus per errorẽ, breui à militibus pro ſuæ luxuriæ meritis interemptus eſt. Videto vt ſupra.







BALISTA vtrum imperarit ambigitur: ſunt qui dicant Quieto per Odenatum occiſo, Baliſtæ veniam datam: attamen eum imperaſſe, quòd nec Gallieno, nec Aureolo, nec Odenato ſe crederet. Alij aſſerunt priuatum in agro ſuo interemptum. Multi & ſumpſiſſe illũ purpuram, & more Romano imperaſſe, ac exercitum duxiſſe. Fuit vir quidem inſignis, valuit conſilio: expeditionibus & prouiſione annonaria ſingularis. Gratias egit Baliſtæ Valerianus per epiſtolã, in qua docet ſibi præcepta gubernandæ reipub. ab hoc data, gaudens quòd eius conſilio nullum adſcriptitium, id eſt vacãtem haberet, & Tribunũ nullum ſtipatorem qui non verè pugnaret. Hic nihilominus in tẽtorio ſuo cubans, à quodã gregario milite Odenati, in Gallieni gratiam dicitur interemptus. Vide Treb. Pol.

VALENS, militaris vir, ſimul etiam ciuilium virtutũ gloria pollens, Proconſulatũ Achaïæ, dato à Gallieno tunc honore adminiſtrabat: quem Macrianus vehementer reformidans, miſſo Piſone interfici præcepit. At valens ſibi diligentiſſimè cauens, nec aliter ſibi poſſe ſubueniri exiſtimãs, ſumpſit Imperiũ, & breui à militibus interemptus eſt. Fuit & alter Valens, huius auunculus, ſed par in ambobus fuit fortuna: nã & ille cùm paucis diebus Illyrico imperaſſet, occiſus eſt. Vide vt ſupra.





PISO ad interficiendum Valentem miſſus, vbi eum prouidum futurorũ imperare cognouit, in Theſſaliam conceſſit, atq; illic paucis ſibi cõſentiẽtibus ſumpſit Imperiũ, Theſſalicúſque appellatus, interemptus eſt, vir frugi, & ſummæ ſanctitatis, dictus ducere originẽ ab illa Piſonũ familia, cui ſe Cicero nobilitandi cauſa ſociauerat. Ipſe quoq; Valens, qui ad eum percuſſores miſiſſe perhibetur, dixiſſe fertur, *Non ſibi apud Deos inferos conſtare rationem, quòd quamuis hoſtem ſuum, Piſonem tamen iuſſiſſet occidi, virum cui ſimilem Romana reſpublica non haberet.*

ÆMILIANVS coactus ſumpſit Imperium, cùm alioquin videret ob ſeditionẽ obortam vndecunque ſibi pereundum. Conſenſerunt ei Ægyptiacus exercitus, maximè in Gallieni odium. Nec ei ad regendam rempublicam animus defuit. Nam Thebaidem, totámque Ægyptum peragrauit: & quatenus potuit, barbarorum gentes armis ac autoritate ſubmouit. Denique Alexander, vel Alexandrinus, virtutum merito vocatus eſt. At cùm contra Indos pararet expeditionem, miſſo Theodoto duce, Gallieno iubente, dedit pœnas: ſiquidem ſtrangulatus in carcere, captiuorũ veterum more, perhibetur. Vide Trebel. Pol.







SATVRNINVS, optimus ducum, à Valeriano dilectus fuit. hic cùm dissolutionē Gallieni pernoctantis in publico, ferre non posset, & milites non Imperatoris exemplo, sed suo regeret, ab exercitibus Imperator designatur: vir sanè prudens, grauis, omnibus gratus, atque adeò victoriarū barbararum insignis. qua die à militibus peplo Imperatorio est amictus, concione adhibita, dixisse fertur: *Commilitones bonum ducem perdidistis, & malum Imperatorem creastis.* Cùm multa strennuè in Imperio gessisset, tādem quòd esset seuerior, & grauior militibus, ab iis ipsis à quibus creatus Imperator fuerat, interemptus est. Vide Trebel. Pollio.

TETRICVS, senior, pop. Rom. Senator, cùm præses in Gallia esset, ad capessendum Imperiū instigatus est à Victoria, siue Victorina. Augustum itaque eum appellari fecit, filiúmque eius Cæsarē nuncupauit, mortuo Victorino eiúsque filio. Tandem cùm multa feliciter gessisset, diúq; imperasset, ab Aureliano victus, militum suorum impudentiam & procacitatem vix ferēs, grauissimo principi, simul ac seuerissimo volens se dedit, Aureliano inquam: cui & statim scripsisse fertur,

Eripe me his inuicte malis.

Sed tamen seuerus ille Aurelianus hunc virum Senatorē, Consularem, Galliarum præsidē, in triumphum duxit, quo tempore & Zenobiam. pudore deinde victus, eum quem triumphauerat toti Italiæ præfecit, nec solùm viuere, sed etiā in summa dignitate esse passus est, sæpe collegam, nonnunquā commilitonem, aliquando etiam Imperatorem eum nuncupans. Vide vt supra.





TETRICVS iunior, ſuperioris Tetrici filius, appellatus eſt Cæſar(vt dixi)à Victoria,cùm illa Mater caſtrorum ab exercitu nuncupata eſſet. hic vnà cum patre in triũpho ductus poſtea omnibus Senatoriis honoribus functus eſt illibato patrimonio, quod quidem ad ſuos poſteros tranſmiſit. Narrabat auus Trebellij Pollionis hunc ſibi familiarem fuiſſe neq; quenquam illi ab Aureliano, aut Poſtea ab aliis principibus eſſe prælatum Vide Trebel. Pollionem.

TREBELLIANVS factus eſt in Iſauria princeps, ipſis Iſauris ſibi ducem quærentibus: quem cùm alij archipiratam vocaſſent, ipſe ſe Imperatorem appellauit: monetã etiam cudi iuſſit: in intima Iſaurorum loca ſe contulit: munitúſque locorum difficultatibus & montibus, aliquandiu apud Cilicas regnauit: ſed per Gallieni ducẽ Cauſiſoleum, natione Ægyptium, fratrem Theodoti, qui Æmilianum ceperat, in campum deductus, victus & occiſus eſt. Neque tamen poſtea Iſauri, timore ne in eos Gallienus ſæuiret, ad obſeruantiam, ac præſtandam fidem quauis principum humanitate allici vnquam potuerunt. Denique poſt Trebellianum pro barbaris habentur. Non ſunt ſtatura decori, non virtute graues, non inſtructi armis, non conſiliis valentes, ſed hoc ſolo ſecuri, quòd in editis poſiti, adiri nequeunt. Vide vt ſupra.





HERENNIANVS, & Timolaüs, Odenato patre nati sunt, quos moriens superstites reliquit pater. horum nomine Zenobia mater vsurpauit Imperium, ac rempub. administrauit diutius quàm fœminã decuit: paruulos Ro. Imperatorio habitu ostendit purpuratos, eosdémque adhibuit concionibus quas illa quasi vir sæpe ad populum habuit, Didonẽ, Semiramidem, & Cleopatram sui generis principẽ inter cætera prædicans. De horum exitu incertũ est: aiunt nonnulli ab Aureliano interemptos, alij morte sua extinctos: nam & Zenobiæ posteri etiam Romæ inter nobiles agebant tempore Trebellij Pollionis, qui horum vitas descripsit.

TIMOLAVS, supradicti Herenniani frater, breui Grammaticam cõsecutus esse dicitur: fratri fuit haud absimilis, eum tamen ingenio longè anteuertit. nam potuisse Timolaüm summum etiam Latini sermonis Rhetorẽ instituere tradunt. Consulito quem supra citaui autorem.







CELSVS peplo deæ cœleſtis ornatus,appellatus eſt Imperator ab Afris,autore Vibio Paſſieno Proconſule Africæ,& Fabio Pōponiano duce limitis Libyci. Hic priuatus ex Tribunis, in Africa poſitus,in agris ſuis degebat:ſed ea iuſtitia & corporis magnitudine, vt dignus videretur Imperio. At verò per quandam mulierem Gallienam nomine,conſobrinā Gallieni,7.Imperij die interēptus,atq; adeò etiā inter obſcuros principes vix relatus eſt. corpus eius à canibus laniatum eſt: nouóq; iniuriæ genere imago eius in crucem ſublata eſt, perſultante populo quaſi patibulo ipſe Celſus videretur affixus.

VICTORIA, ſeu Victorina, vbi filium ac nepotem ex filio Victorinos,inquā, à militibus vidit occiſos, ac Poſthumū, deinde Lollianum,Marium etiam,quem principē milites nuncuparant,interfectos,Tetricū,cuius ſupra memini, ad Imperiū adhortata eſt,vt virile ſemper facinus tētare auderet. inſignita eſt præterea hoc titulo,caſtrorū mater, ſícq; ab exercitu vocitabatur. Cuſi ſunt eius nummi æ rei,aurei,& argentei. Non diu vixit:nam Tetrico imperāte,vt pleriq; aiunt,occiſa,vt alij aſſerunt,fato ſuo extincta eſt. Itaque dum Gallienus popinatur,ac inter lenones & meretrices degit,partes Gallicanæ, orientales item,Ponti, Thraciarū & Illyrici occupātur:mulieres denique imperant,nempe Zenobia & Victoria:de Zenobia meminerimus ſtatim,quam cum Aureliano collocauimus:nam illam vicit,ac triumphauit.





TITVS Tribunus Maurorum, qui à Maximino inter priuatos relictus fuerat, inuitus, atq; à militibus coactus, imperauit: atque intra paucos dies, post vindicatam defectionẽ quam Magnus, vir consularis, Maximino parauerat, à suis militibus interemptus est. imperauit mẽses 6. domi forísque fortunatus, sed Imperio parum felix. huic fuit vxor Calphurnia nomine, sancta & venerabilis fœmina, de genere Censorinorum, id est Pisonum. Hæc vniones Cleopatræ habuisse perhibetur, & lancem 100. librarum argenti, cuius plerique poëtæ meminerunt, in qua maiorum eius expressa visebatur historia.

CENSORINVS, vir planè militaris, atq; antiquæ in curia autoritatis, cùm post omnes honores (nam multis functus fuerat) in agro suo degeret senex (atque vno pede claudicans, eo vulnere quod bello Persico Valeriani temporibus acceperat) factus est Imperator, & scurrarũ ioco Claudius quasi claudicans appellatus est. Hic cùm se grauissimè gereret, neque à militibus ob disciplinam censoriam ferri posset, ab his ipsis à quibus Imperator fuerat designatus, interemptus est. extabat tempore Trebellij eius sepulchrum, in quo grandiusculis literis iuxta Bononiam incisi erant omnes eius honores, vltimo tamen versu adscripto.

Felix ad omnia, infelicißimus Imperator.


Hactenus de iis qui Imperiũ vsurparũt à Gallieno ad Fla. Claudium: de quo mox tractabimus, persequentes ipsorũ Rom. Imperatorum seriem.





FLA. CLAVDIVS poſt Gallienum imperauit anno mundi 4231. à natiuitate Chriſti 269. Hic Sarmatas, Getas, Scythas, & Quados deuicit: Daciã recuperauit: Aureolum vicit, ac Imperio exuit. Alemannorũ tam multa millia cæcîdit, vt vix media pars exercitus eorum ſupereſſet. Imperator optimus remp. bene adminiſtrauit. Senatus auream illi ſtatuã in Capitolio poſuit. A pleriſque Gordiani, cuius ſupra meminimus, filius exiſtimatus eſt. Hic Gallieni morientis ſentẽtia Imperator deſignatus eſt, ad quem etiam regia miſit ornamenta. bienniũ imperauit: & Diuus eſt appellatus: moriens Aurelianum cõmendauit, quaſi ſuffragium ferẽs, vt poſt ſe ille imperaret. Conſulito. Aur. Vict. Pomp. Læ. Bap. Egna. li. 1. atque Eutro. li. 9.

AVRELIVS Quintillus Flauij Claudij frater fuit: hunc Senatus, nunciata Claudij morte, Cæſarem Auguſtum appellauit: at exercitus interea Aurelianum Imperatorem lêgit. Poſtquàm nuntium ad vrbẽ peruênit, illius conatibus ſe imparem cùm videt, venas ſibi ſoluit, & pòſt paulò deceſſit, 17. Imperij die. fuit hic ante Imperium Italici præſidij dux. Videto Pomponium Lætum, in Claudio.







VALE. AVRELIANVS imperauit post Quintillum anno mundi 4233. à Christo nato 271. Hic quanquam patre colono inter Daciam & Macedoniam genitus, haud dissimilis fuit Magno Alexãdro, nam Ro. vrbem triennio ab inuasoribus receptauit, cùm Alexander annis 13. ad Indiam peruenerit. Hic Sueuos & Sarmatas vicit: Marcomannos, qui Mediolanum vastarant, attriuit: Imperiũ ad antiquos fines perduxit: validioribus muris vrbem sepsit. Sæuus ac sanguinarius hic, atiã sororis filium interfecit: ipse itidem fraude serui, inter Constãtinopolim & Heracleam occisus est. imperauit an. 5. menses 6. primus apud Ro. diadema capiti innexuit, gemmísque & aurata veste vsus est. Vide Aure. Vict. Bap. Egna. lib. 1. & Eutro. lib. 9.

ZENOBIA, bellicosa mulier, quæ se de Cleopatrarum Ptolemæorúmq; gente iactabat, nomine filiorum an. 8. imperauit, víxque tandẽ ab Aureliano victa & triumphata, cõcessit in iura Romana. Cùm illam Aurelianus cepisset, interrogauit exprobrãs, *Quid, ò Zenobia, ausa es insultare Romanis Imperatoribus?* at respondit hæc, *Imperatorẽ te esse agnosco, qui vincis.* fuit castiss. vocem habuit claram & virilem, oculo nigros ac vigentes: dentes tam candidos vt pleriq; margaritas putarent: ingeniũ diuinum. venusta fuit, seuera, atq; etiam clemens vbi oportuit: in triumphum ducta, sub gemmarũ pondere anhelãs sæpe restitit, alioqui fortissima: collum, manus, pedes aureis vinculis ac catenis, irretiebatur. huic agrum dedit Aurelianus: vixítque hæc more matronæ Ro. Vide Trebel. Pollio.





AN. TACITVS post Aurelianum imperauit anno à mundo condito 4238. à Christo nato 276. Siquidem Aureliano interempto, 7. menses vacauit Imperium: interim milites ad Senatum, Senatus ad milites Imperatoris eligendi prærogatiuam deferebant. Tandem Senatus hunc Senatorij ordinis Augustum dixit. Quàm verò amplissimi ordinis iudiciũ à militari tumultu distet, Taciti electio ostendit, cùm in curia testatum sit, *neminem aut iustius quàm grauem virum, aut prudẽtius quàm doctũ imperare posse*. Verùm hic tantus vir sexto imperij sui mẽse obiit. Vide Oros. lib. 7. cap. 24. Hic ducentesimo Imperij die, vt inquit Aurelius Victor, apud Tarsum febre periit: at 6. mense postquã imperare cœperat, militari scelere periisse scribit Bap. Egna. lib. 1. Aurel. Vict.

FLORIANVS, Taciti frater, cùm suo iudicio ad tantam velut hæreditatem mortuo fratre properaret, Imperium & inuasit, & arripuit. Itaque cùm vix duobus mensibus præfuisset, quasi per ludum Imperio vsus, & ad ludibriũ fortunæ euectus esset, à militibus occisus est, aut ad Probi imperantis nuntium, solutis sibi venis, expirauit. Consulito autores quos supra.







AVRE. PROBVS, verè probus, mortuo Tacito, ac Floriano fratre, ex alio patre, imperauit anno mundi 4239. à Christo nato 277. patrem habuit agrestem Dalmatici sanguinis: sed nec genus humile, nec qui præcesserat Florianus obstitit quominus omnium consensu Imperator diceretur, vir omnium amantiss. pacis, bellíque artibus clarissimus. Hic Gallias à barbaris occupatas, ingenti præliorum felicitate asseruit: ita se & in toga & in militia gessit, vt res ipsa nomen sequeretur. Saturninum in Oriente, Proculum & Bonosum Agrippinę Imperium vsurpantes oppressit: Sarmatas contudit: tyrannos omnes sustulit: pacem orbi restituit. Pace terra maríque parta, dicere solebat *milites minimè necessarios fore, cùm desunt hostes, quos nusquam virtute sua futuros, mox sibi promittebat:* quæ vox inuidiam sibi apud milites conflauit. In Smirnensi agro, natali suo dum moram trahit, tumultu militari occisus est, anno Imperij 6. Pompo. Læ. Eutro. lib. 9. Egna. li. 1.

CARVS Narbonæ genitus, ab exercitu Imperator dictus est anno mundi 4245. à Christo nato 283. filios suos, Carinum & Numerianum, Cæsares dixit. Hic dum bellum Sarmaticum gerit, nuntiato Persarum tumultu, ad Orientem profectus est cum filio Numeriano Cæsare, doctiss. iuuene: bellum itaq; Persicum, quod Probus parauerat, aggressus, Mesopotamiã cepit, Ctesiphontẽ vsque peruênit. quod si fulmina ictus non fuisset, dum ad Tigrim fluuium castrametaretur, regnum Persicũ subuertisset. Aure. Vict. Oro. lib. 6. cap. 24. imperarunt hic, & duo proximè sequentes, annos duos.





CARINVS, Cæſar à patre dictus, omnibus ſe ſceleribus inquinauit: plurimos innoxios fictis criminibus occidit: matrimonia nobilium corrupit. Ad extremũ trucidatur, eius præcipuè tribuni opera, & dextera, cuius dicebatur coniugẽ polluiſſe. Conſulito Aur.vict.Eutr.li.9.imperauit annos duos.

NVMERIANVS Cæſar Carini frater, Carino tamen longè abſimilis fuit. hic nempe adoleſcens tum probitatis, tum eruditionis eximiæ, maximè verò ad poëticen natus erat, atque etiam ad arma. hic itaque miles, orator, poëta, dum oculis æger in occluſa lectica ferretur, confecto bello Perſico, vnà cũ patre, ab Apro ſocero, Imperiũ inuadere cupiẽte occiditur. Nec eius mors inulta eſt, concionantẽ Aprũ Diocletianus manu propria confodit. Imperarunt hi tres, Carus, Carinus & Numerianus, annis duobus. Pomp. Lætus.







DIOCLETIANVS Dalmata, Amilini Senatoris Libertinus, matre atq; oppido nomine Dioclea, vnde & Diocles dictus, imperauit anno mundi 4247. à nat. Chriſti 285. hic Carinum omnibus odioſum prælio vicit: at 2. Imperij an. cùm tãtam molẽ grauiorẽ animaduerteret quàm vt vnus eſſe vniuerſæ par poſſet, Maximianũ Herculium Auguſtum creat, ac in conſortem Imperij legit. anno 6. Conſtantium Chlorum, & Galerium Maximianũ ſiue Maximum, cognomento Armentariũ, Cæſares creat in Ægypto: Alexandriam 8. menſibus obſeſſam cepit: Achilleum Alexãdriæ imperiũ affectantem feris obiecit. anno Imperij 22. principatu ſe abdicat Nicomediæ, & Herculius Maximianus Mediolani eodem die: cúmque in propriis agris conſeneſcens, ab Herculio atq; Galerio ad recipiẽdum Imperium rogaretur, tanquam peſtem aliquã deteſtans, reſpondit: *Vtinam Salonæ poſſetis viſere olera noſtris manibus inſita, profectò nunquam iſtud tentandum iudicaretis*: ſicque per decẽ annos priuatus, & Imperij mole exoneratus vixit. Attamen adorari aliquãdo voluit: Chriſtianos etiã afflixit. vixit annos 78. imperauit 22. obiit vel alienatione mentis, vel hauſto veneno, dum veretur Licinium ac Conſtantinum. Aure. Vict. Eutr. li. 9. & Bap. Egna. li. 1.

MAXIMIANVS Herculius in conſortẽ Imperij à Diocletiano aſcitus, tãquam filius patri obtemperauit: in Gallia & Africa exortos tumultus, armis repreſſit: Romę cum Diocletiano triũphauit: Dein à Diocletiano perſuaſus, ſe Imperio abdicauit: rem miram, vt ſponte, nec grauãte ſenecta, vel rerũ mole (nam pacatus erat orbis) vterq; in ordinẽ ſe redegerit. At verò Imperium iterũ affectans Maximianus, dum inſidias Conſtantino, genero ſuo ex Fauſta, parat, Maſſiliæ captus, ſtrangulatur. regnauit annos 21. vnà cum Diocletiano. Pom. Eutro. lib. 9.





CONSTANTIVS Chlorus & Galerius Maximinus siue Maximianus, ambo à Diocletiano & Maximiano Herculio, priusquã se imperio abdicarent, Cæsares facti ac adoptati sunt, propter varia bella in diuersis locis pullulantia. Constãtius natus patre Eutropio, qui genus ab Ænea deducebat, & matre Claudia, Claudij Augusti filia, Galliis, Hispaniis, Italiæ & Africæ præfuit: Galerius Illyrico, Græciæ & Oriẽti. At verò hac diuisione Imperij facta, Constantius natura mitis, & diuitiarum spretor, Italiæ & Africæ Imperiũ recusat, quòd putaret ab vno tantũ põdus minimè sustineri posse: in Galliis & Hispaniis tantùm regnat, propensus ad promerendã Gallorum gratiam, nec à vera pietate abhorrẽs. Vxores habuit duas, prior fuit Helena, ex qua Constantinũ magnum suscepit: posterior fuit Theodora, priuigna Maximiani Herculij: quã dimissa Helena, coactus est ducere. obiit Constantius Eboraci, quod est oppidũ in Britannia, anno 2. postquam Imperio se Diocletianus abdicauit: nam longè antea Cæsar factus, & à Diocletiano adoptatus fuerat. duos igitur veri Imperij annos Constãtio tribuo, ab ipsa abdicatione Imperij à Diocletiano, quæ facta est an. mun. 4269. à Christo nato 307. hoc regnante nulli motus in suis ditionibus extitere, hostes popu. Rom. ab armis cessauere. Dictus est Chlorus, à colore, quasi virens. Vide Pom. Læ. Egna. li. 1.

HELENA, prior vxor Constantij, ac magni Constantini mater, annos nata 80. diuinitus monita, Ierusalẽ perrexit: crucem in qua Christus pependit, non sine labore reperit: Romæ diem obiit, superstite filio, Deo hominibúsq; gratissima, anno mundi 4286. à Christo nato 324. Vide Euse. lib. 10. cap. 7. & Supple. Chro.





SEVERVS à Galerio Maximiano, siue Mraximino, adoptatus est, postquam Constantius Italiam & Af icam reliquit: adoptatum Italiæ & Africæ postea præfecit. Romæ autẽ prætoriani Imperatorem fecere Maxentiũ, non abnuente Senatu. Aberat tunc ab vrbe Seuerus, qui citò rediit: sed Maxẽtij vires statim creuerãt: quare impar viribus Seuerus, fugit, cupiẽs adire Maximianum qui in Illyriis erat: at verò interim Rauennæ captus occisúsque est. Vide Pom. Læ. in Constantio.

MAXENTIVS Romæ à Prætorianis Imperator factus, vt tyrãnus imperauit. Porrò Maximianus sororis Galerij filius, relicto in Illyriis Licinio, quem adoptauit, mortuo Seuero, Romam proficiscitur, pugnaturus cõtra Maxentiũ: in itinere certior fit de futura suorum militum defectione, si in prælium descenderet: quare in Illyriã reuertitur. Interea bona pars nobiliũ Romanorum nuntium clam mittunt ad Constantinum, qui apud Gallos imperabat: exorant vti Romam, Imperij caput, tyrannide Maxentij liberet: tandẽ horum precibus cedens, Maxentium vincit: qui vnà cum equo in Tiberim insiluit, submersúsque est, nec vspiam inuẽtus. periit anno mundi 4276. à nato Christo 315. imperauit an. 6. Constãtino imperãte: hic haud fuit absimilis Maximiano Herculio, Domitiano, & Cõmodo: plerosque claros viros occîdit, bona eorũ diripuit, noua vectigalia excogitauit ac exegit: in occidendo & exigendo inexorabilis fuit, libidine item inexplebilis. Vide Pompo. Læ. in Constantio & Galerio.

Fff





LICINIVS in Dacia natus, mortuo Seuero, consors Imperij factus est à Maximiano Galerio, anno mundi 4270. à Christo nato 308 ídque ob virtutem rei militaris. Prius Illyriis, post Oriēti præfuit: parentes habuit agricolas, ipse rusticus & barbarus rusticis & agrariis æquus, at crudelis etiā in Galerij liberos. literarum hostis fuit infensissimus, quas venenum ac pestem appellabat: quippe qui harū rudis ac expers adeò esset, vt ne nomen quidē suum decretis subscribere posset. Christianis aduersabatur, nec destitit, sæpius rogatus ab Constantino: quare Constantinus cōtra illum vires Gallicanas & Italicas iure expertus est. primis cōgressibus in Pannonia victus, concessit in Macedoniam Licinius: vbi vires reparantē, Constantinus iterum adoritur, fugat in Asiam. Tandē naualibus & terrestribus præliis victus, mittitur Thessalonicē, vt priuatus cum vxore degat. Sed cum rebelles adhuc animos homo ille vecors retineret, interfici iubetur. vixit an. 60. imperauit 14. Constantino imperante. laudatur quòd aulicorum insolētiam mirè compescuerit, tineas soricésque palatinos eos appellans. Pomp. Læt.

CONSTANTIA, vxor fuit Licinij, ac soror Constantini, quæ (vt fertur) fratrem adiit, pro Imperio mariti rogauit, deinde pro titulo tātùm, nec impetrauit: tandem pro salute rogans, impetrauit. Vide Pomp. Læt. hæc Licinium iuniorē peperit, quem Constantinus Magnus Cæsarem creauit.





CONSTANTINVS Magnus, Conſtantij & S. Helenæ filius, cæteris fratribus patris etiam teſtamẽto, prælatus eſt. A Galerio Maximiano adhuc adoleſcens miſſus aduerſus Sarmatas, præter opinionẽ hoſtes profligauit: Ducem catenatum ad Galerium duxit. veritus ex ea laude gliſcẽtem Galerij inuidiam, Roma ad patrem in Angliam transfugit, qui paulò pòſt moritur. Tum cunctis qui aderant annitentibus, ſed præcipuè Eroco, Alemannorũ rege, imperat Conſtantinus, anno mundi 4271. à Chriſto nato 309. Regnum Galliarum Hiſpaniarúmque, & Alpium Cottiarũ teſtamento relictum accepit. veteranis militibus agros aſſignatos, vt ad filios ſuos trãſirent, primus inſtituit. Accerſitus in Italiam ab iis qui Maxentij tyrãnidem ferre non poterant, biẽnio totam Italiam vrbémque Romam priſtinæ maieſtati aſſeruit. hæc laurus Italiam ei adiecit & Africam: fuiſsétq; his cõtentus niſi Licinius qui Orientẽ regebat, vltimi belli ciuilis cauſam præbuiſſet, quem vicit. Túncq; cognomen aſſumpſit Magni, quod antea ſoli Alexãder & Põpeius acceperant. ita inſolẽs factus, plurimorum ſe nobiliũ, ſuorúmq; etiam cæde polluit. Attamen Chriſtũ amplexus eſt, bonáq; quamplurima in Eccleſiam contulit: Nicenã ſynodum 322. prælatorum, multis diſſidẽtibus, indixit: literis impensè ſtuduit, eáſq; fouit. Bizãtium inſtaurauit, imperatoriámq; vrbem, & nouã Romam appellauit. vixit annos 66. imperauit 31. Pomp. Læt. obiit Nicomediæ in qua baptizatus fuerat ab Euſe. epiſc. huius mortẽ denuntiauit crinita ſtella. Eutro. li. 10. veneno aiunt periiſſe à domeſticis parato, cùm ille in Perſas bellum pararet.

FAVSTA, Herculij filia, & Conſtantini vxor, peperit ei Conſtantinum, Conſtantem & Conſtantium, Helenámque & Conſtantiam. Fauſtam occidit Conſtantinus vir. Pomp. Læt.





CONSTANTINVS, natu maximus filiorum Constantini Magni, patre mortuo, anno mundi 4301. à Christo nato 338. imperat vnà cum fratribus Constante & Constantio. hi, siue ex testamẽto patris, siue ex propria eorũ voluntate, Imperium ita partiti sunt, vt Constãtinus Gallias, Hispanias, Britanniámque insulam obtineret: Constans Italiam cum Illyrico & Græciam: Constantius Byzantiũ cum Oriente, qui Dalmatium patruelẽ Imperij socium haberet, quẽ postea militari factione oppressit. Nec durat diu fratrum cõcordia: nam Constantinus Gallico exercitu fretus, Constãti bellum infert: quod dum cupidius quàm cautius gerit, exceptus insidiis, vulneribúsq; confossus perit, ad Aquileiam, anno ætatis suæ 25. Imperij 3. Consulito Pomp. Læt. & Bap. Egna. li. 1.

LICINIVS, iunior, Constantini Magni ex sorore Constantia nepos, creatus est Cæsar vnà cum Crispo, eiusdem Constantini ex Mineruina concubina filio, anno mundi 4278. à Christo nato 316. verùm hi factione infaustæ Faustæ interficiuntur. Aur. Vict. Pomponius Læt. hic Crispus à Lactantio fuit eruditus.







CONSTANS, deuicto fratre Constantino, omni conatu superatis Alpibus Galliam intrat,varióq; euẽtu biennio pugnans,patrẽ fratris in potestatem redigit.Primùm agit bonum principẽ,mox siue aduersa valetudinẽ, siue rerum prosperitate mutatus,ingratus omnibus esse cœpit, donec & ipse Magnentij dolo,quem etiam seruauerat,dormiẽs intra tentorium, non longè ab Hispaniis, ad Helenam oppidum, opprimitur,anno ætatis 30.Imperij 13.Consulito Pomp.Læt.& Bap.Egna.li.1.

CONSTANTIVS, cædem fratris Constantis vlturus, magno exercitu aduersus Magnẽtium cõparato,ingenti illum prælio,& memorabili,ad Murtiũ,siue Mursam, vicit, quo Romani vires Imperij penè cõcidêre,53.millibus vtrinque desideratis. Mox cum Magnentius bellũ reparasset,& ad Lugdunum iterum victus esset,gladio sibi latus aperuit. Cæterùm Cõstantius,iterum in Persas cõtendens,dum ægrè fert Iulianum à militibus Augustũ esse dictum,iuxta Tauri mõtis radices æstuantissima febre correptus, moritur, anno ætatis 40. Imperij 24. Hic orbis dominum se vocauit:Iulianum adoptauit.Consulito autores quos supra.







MAGNENTIVS, Comes duorum ordinum Augustæ (vrbs est Germaniæ) cõuiuiũ militibus exhibuit, à mane ad vesperam, more gentis. inde in cubiculũ ingressus, statim egressus est, indutus purpura, ac multis satellitibus cinctus: qui cõscij non erãt, coacti sunt assentiri: donatiuum dedit, posuítq; custodes ne quis rem aperiret. deinde cum lectissimis Gaïsonẽ mittit, qui Constantem in tentorio occidit, anno mundi 4313. à Christo nato 351. Hic Cæsarẽ facit Decentium fratrem, mittítq; cum exercitu vti Gallias tueatur iámq; tota Italia: & Africa Magnentij erant. Constãtius tunc in Oriente aduersam fortunam cõtra Persas experiebatur: ad quẽ legatos misit cum literis, vti Oriẽte & Thraciis cõtentus esset: qui nihil respondet, sed Gallum patruelem Cæsarẽ faciẽs, eum in Oriẽte relinquit: ipse Hesperios adit, vlturus fratris cædẽ. attamen ne sua Roma bello vexaretur ciuili Galliã Magnentio permittit, si arma deponat: Tyrãnus sperans vincere, non paruit. pugnatur ad Mursam, magnis vtrinque viribus: vincitur Magnentius: bellũ reparat: victus iterum, tandem gladio occultè prouiso mortem sibi consciscit. Pom. Læ. in Constãte. Aurel. Victo. Hic Desiderium fratrem per furorem vulnerauit, & quosdam ex amicis occidit, paulò ante quàm seipsum occideret.

DECENTIVS qui Gallias tuebatur, audito fratris sui Magnentij casu, laqueo apud Senonas vitam finiuit, sibi metuens. horum frater Desiderius Constantiũ adiit, à quo humanissimè exceptus est anno mundi 4316. à Christo nato 354. Pomp. Læt. Aurel. Vict.





FL. CL. IVLIANVS natus Constantinopoli, patre Constantio, Constãtini Magni fratre, matre Basilina, forma liberali fuit, ingenio callido, ad literas & ad arma apto. Hũc Constantius patruelis, Magni filius Constantini, adoptauit, Cæsarẽ fecit, ad Gallias tuẽdas misit. hostes hinc profligat, Gallias Alemannorũ incursu vastatas, sub primũ accessum, præter omniũ spem asserit, regémq; Germanorũ capit. Agrippinam (quę nunc Colonia dicitur) recipit. Deinde assensu totius exercitus Parisiis Imperator & Augustus vocatur an.mun.4325.à Christo nato 363. Ad Constantium literas mittit exorans vt qui licet repugnans, Imperator sit à militibus appellatus, in cõsortiũ Imperij admittatur: renuit Constãtius. Ad bellum ciuile parat se Iulianus, item & Constãtius, qui nihilominus febre correptus, cum deficeret successorẽ statuit Iulianum. Adepto itaq; Imperio solus rerum summa potitus Iulianus, Persis bellũ mouet: verùm à transfuga quodã Persa in insidias deductus, cùm eum hinc inde Parthi vrgerẽt, ab vno ex hostibus, & quidẽ fugiente, conto percutitur: & cũ Philosophis de immortalitate animæ tractãs, paulò pòst moritur, anno ætatis 31. Imperij, mensibus 19. à morte Constantini patruelis. Hic aduersus fidem Christianam libros edidit. Egna.lib.1.Pomp.Læ.Aure.Vict.

IVVIANVS, seu Iouianus, è Pannonia, mortuo Iuliano electus est princeps, & statim Antesignani Iuuianum clamauerunt: tunc qui in medio, quíque postremi erant milites, opinati Iulianum reuixisse, ingenti lætitia effusi, choreas ducebãt. Hic cum Parsis fœdus icit, Trãstigritanas prouincias quinq; reddidit: atq; Arsaci Armeniæ regi, Ro.socio, & amico, opẽ ferre vetitus est. At è Perside rediẽs hyeme aspera, ingressus cubiculum noui tectorij, positis etiam ibi prunis, ex cruditate insuper stomachi periit, anno ætatis 33. Imperij mensibus 7. Vide vt supia.





VALENTINIANVS Gratiani filius, è Pannonia ortus, quemadmodum & Iuuianus, apud Niceã, quæ vrbs est Bithyniæ, Imperator à militibus post excessum Iuuiani creatur, anno mundi 4328. à Christo nato 366. huic resistenti Imperium aggeritur: deinde Valentem fratrem consortem imperij facit. Hi Procopium imperium inuadentẽ Constantinopoli oppressere. Inde Gothi, ac barbaræ nationes à Valentiniano Thracia exturbatæ: Septẽtrióq; omnis cum Saxonibus ad officiũ, eiusdem opera redacti sunt. Parthi è Syria per legatos eiecti. Inquieta Germania sub eo pacata est, Theodosij maioris auspiciis. Ipse dum Quadorum legationẽ latrocinia excusantẽ audit, subita accensus ira incidit in morbũ, quo arescẽtibus venis, cum nihil sanguinis emitti posset, obiit anno ætatis 55. Imperij 11. Pomp. Læt. Bap. Egna. alij scribũt eum subita sanguinis eruptione, voce amissa, sensu integro expirasse: ídque ob intemperãtiam ciborum, quibus artus suos diffuderat. Aurel. Victor.

SEVERA, vxor fuit Valentiniani, ex qua suscepit ille filium nomine Gratianum, quem Augustũ creauit pater Valentinianus. vnà cum Seuera, quinetiã ipsa operam dante, in vxorem accepit Iustinam, ex qua suscepit Valentinianũ filium alterum ac filias tres, Iustam, Gratam, & Gallam: lata, priusquàm secundò nuberet, lege, vt qui vellet, duas impunè vxores assumeret: sic populosas fore gentes prædicabat. Eutro. auctus li. 12.





VALENS, Valentiniani frater, qui cum eo, eiuſdémque gratia & benignitate, imperauit in Oriẽte, mortuo fratre cum Gratiano fratris filio imperat, anno mundi 4339. à Chriſto nato 377. hic poſt prædicti fratris obitũ infeliciter cum Hunnis, Tartaris, Scythis & Gothis pugnauit: qui olim à regione trans Tanaim venerant, & ſuperato nuper Iſtro (qui limes regionis erat) vagi Pannonias, Epirúmque & Theſſaliam, direptis & incenſis aliquot vrbibus, depopulabãtur. Valens itaque properè ex Antiochia accitus, tantã peſtẽ auertere non potuit, ſed magna clade victus, terga dedit, & in fuga vulneratus decidit ex equo: deportatúſq; in vile turguriũ, ibidẽ, ab hoſtibus ſeptus, concrematur anno Imperij ferè 14. poſt fratris mortem tertio. ſic miſerè interit, qui paulò ante terror Oriẽtis fuerat: ſed enim Chriſtianos poſt mortem fratris afflixit, Arrianæ factionis fautor: monachos pugnare coëgit, repugnãtes occîdit. Pomp. Læt. Egna. li. 1. Abbas Vrſpergenſis, Paulus Diaconus li. 1.

DOMINICA, Valentis vxor fuit, quæ Conſtantinopolim obſidione liberauit, magna vi pecuniæ data Hũnis, Alaníſque & Gothis, qui victricibus ſignis, ſuperato Valẽtio, eam obſidebant. Pompon. Lætus. in Fla. Val. Valentiniano. Claruerunt hoc tẽpore Baſilius magnus, Cyrillus, Ambroſius, Epiphanius, Gregorius Nazianzenus, Theologi.





GRATIANVS, Valentiniani filius, à patre factus Augustus, cum eo imperauit annos 8. cum patruo Valēte 3. cū Theodosio 6. attamen post patruum Valentē tunc demū ipse imperat annos 6. auspicatúrque anno mundi 4342. à Christo nato 380. Hic pietate in suos egregius. Valentinianū fratrem ex patre, Iustinæ filium, adhuc puerū, Augustū dixit, patre patruóq; extinctis. Mox Theodosium Hispanum in consortem Imperij assumit (ad exemplum Neruæ, qui Traianū ex Hispania asciuerat) eíq; Oriētem cōmittit vt esset velut vallum quoddam aduersus Gothos, & Hunnos, qui Thraciam & Daciam, tanquam naturale solum, occupabāt. Gratianus admodū iuuenis, bellum apud Argentoratū formidolosissimum ingenti felicitate confecit: nam plusquàm 30000. Alemannorum interfecit. At verò dum tandē tantùm spicula & arcus meditatur, & paucos ex Alanis, quos ingēti auro ad se vocarat, veteri ac Rom. militi præfert, Maximus qui apud Britanniam tyrannidem arripuerat, in Galliam traiiciens, ab infensis Gratiano legionibus excipitur. Gratianum Parisiis fundit, & Lugduni ex improuiso adortum, & in Italiam transire properantē, dolo circumuenit, & occidit. Eutro. auctus li. 12. Pom. Læt. Aure. Vict. Egna. li. 1. Oro. li. 7. ca. 33.

VALENTINIANVS Gratiani supradicti frater, à Maximo ex Italia pulsus ad Theodosium, qui Orienti præerat, vnà cum Iustina matre adiit: à quo benignè susceptus, & particeps Imperij factus, cum eo 7. annos imperauit. tandem in occidentis regnum restitutus, dum Viennæ negligentius moratur, fraude Eugenij & Arbogastis, à cubiculariis noctu strangulatur, vt voluntariam sibi mortem consciuisse putaretur. Pom. Læt. Eutro. auctus lib. 13.





THEODOSIVS, patre Honorio & matre Thermantia genitus, genere Hiſpanus, originem à Traiano principe trahens, accitus ex Hiſpania à Gratiano, Imperij conſors lectus, ac Orienti præfectus eſt, eodē certè anno quo ſolus imperat Gratianus. à cuius obitu ipſum merū Theodoſij imperium incepit, anno mundi 4348. à Chriſto nato 386. Hic Hunnos & Gothos diuerſis præliis vicit. cum Perſis quoq; pacem pepigit. Maximum, tyrannum, qui Gratianum interfecerat, & ſibi Gallias vēdicabat, vnà cum Andragatio præfecto, ſubito incurſu vicit, ac proſtrauit. Valētiniano Imperium aſſeruit. Eugenium tyrannum atq; Arbogaſtem, in Valētiniani vltionē ſuſtulit, non ſine manifeſto numinis auxilio, vt exclamat Claudian. his verſibus:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claßica venti.

Aquileiā per inuias alpeis cùm raptim contendiſſet, deletis aduerſariorum multis millibus, inſignem reportauit victoriam. Quantum veterum ſcripta & picturæ docēt, Traiano fuit ſimilis corpore, & moribus: niſi quòd vinolentiam, & triumphandi cupiditatē ita deteſtatus eſt, vt bella non mouerit, ſed inuenerit, prohibuerítque lege, miniſteria laſciua, pſaltriáſq; comeſſationibus adhiberi: & conſobrinarū, tanquam ſororum, nuptias vetuerit: tantum pudori & cōtinentiæ tribuebat. obiit Mediolani, atatis anno 50. Imperij 17. nam 6. cum Gratiano, & 11. poſt Gratianum imperat. fuit pius, ſagax, nec à literis alienus. Aurel. Vict. Pomp. Læt. Bap. Egna. li. 1. Pau. Diac. li. 12.

FLACILLA, Theodoſij vxor, Arcadium & Honorium, qui etiam cum patre imperarunt, peperit. Vide Pomp. Lætum.





ARCADIVS & Honorius, Imperatoris Theodoſij filij, imperarũt cum eo 3. annos: attamen poſt mortem patris ipſiſſimum eorum Imperium incipit, anno mundi 4359. à Chriſto nato 397. Arcadius Conſtantinopoli imperat, Honorius Romæ: ſed cùm per ætatẽ tantæ rerũ moli impares eſſent, tres Imperij tutores teſtamẽto ſanxit pater: Arcadio Rufinũ, Honorio Stiliconem cõmendauit: Africæ verò Gildonẽ præeſſe voluit. Quis autem animorũ receſſus intueri poſſit? ſanctiſſimũ legati ius cupîdo regnãdi violat. Rufinus, clam miſſis muneribus, Alarico Gothorum regi capere arma cõtra Arcadium, perſuadet, vt eo metu imperiũ ipſe ab Arcadio extorqueat. Re intellecta, à militibus Italicis, pernicioſus tutor obtrũcatur. caput cũ dextra ante Conſtãtinopolis portas pendens, ſpectãtibus ludibrio fit. Caianus Rufini ſceleris æmulus, eundẽ vitæ exitum habet. Imperauit Arcadius an. 13. obiit Conſtantinopoli. Pom. Læ. Bap. Egna. lib. 1.

HONORIVS imperat Romæ eodẽ anno quo Arcadius Conſtantinopoli. poſt annos 3. Gildo, Africam ſibi vendicat: Maſcezelis fratris filios enecat, à quo ſuperatus, ſtrangulatur. Maſcezelem inſoleſcentem vicit Honorius. Stilico Honorij ſocer regnum filio ſuo affectans, Sueuos, Vandalos, Alemannos magna prædæ ſpe ſollicitat: illi properant cum 200000. & Rege Radagaſo, qui in Italiam irrumpens capitur, & in carcere ſtrangulatur: in cuius locum hoſtes Alaricum Regem creant, qui Romam capit anno mundi 4373. à Chriſto nato 411. Tandẽ fraude cognita Stilico Vandalus vnà cum filio ſublatus eſt. imperat Honorius annos 31. cum patre 2. cum fratre 3. cum fratris filio 16. obiit Romæ. Pau. Diaco. lib. 4. Pomp. Læt. Bap. Egna. lib. 2.





THEODOSIVS iunior, Arcadij filius, Orientale Imperium poſt patrem tenuit anno mundi 4372. à Chriſto nato 410. hunc puerũ admodum, moriens pater reliquit ſub tutela Iſdigerdis Perſarũ Regis: quod bene ceſſit: nam barbarus Rex tutelam ſumma fide geſſit, & pacẽ cum Romanis quoad vixit habuit. Honorio patruo defuncto Valentinianum Conſtantio & Placidia natum, Cæſarem facit, & peropportunè Romã mittit: nam Ioannem factione Caſtini Imperatorem factum, atque etiam Africam ſibi vendicantẽ, nouus princeps oppreſſit. Genſericus, Vandalorum Rex, poſt inſignẽ victoriam & magnam ſtragem, Carthaginẽ occupat. Ad Aquilonem Bleda & Attila, fratres, Hunnorum Reges, Illyricum & Thraciam Thermopylas vſque deprædantur: tamen omnia Theodoſius magna gloria tutatus eſt. Vide Pom. Læ. & Bap. Egn. li. 1. vixit, imperauítq; annos 48. cum Honorio 21. poſtea 27. obiit morbo apud Conſtantinopolim. Vide Pau. Diac. li. 4. Hoc principe Venetiæ felicibus auſpiciis in aquis habitari cœpere. Neſtorius cum hæreſi nominis ſui, & cum Pelagianis, ſynodo Epheſina damnatur: & Pharamundus apud Francos primus regnat.

EVDOXIA, Leonis Athenienſis Philoſophi filia, Theodoſij vxor fuit, quæ præter egregiam formam, ſingularemq; pudicitiam, etiam literis excelluit: hæc filiam eiuſdẽ nominis peperit, quæ Valentiniano nupſit, quo Romæ occiſo, vt viri mortem vlciſceretur Genſericum ex Africa vocauit: qui Romã venit, ac rediens Eudoxiam viduam abduxit.





GENSERICVS, Alanorum, Vandalorúmque Rex ab Hiſpaniis euocatus à Bonifacio Africæ præfecto, in Libyam intromittitur, vt eidem Bonifacio aduerſus Sigiſuldũ ſiue Suuldum opem ferat, nam Bonifacius ille Africã vſurpare conabatur. Genſericus itaque cum ſuis Alanis & Vandalis totã penè Africam ferro, flamma, rapinis crudeliſſimè deuaſtans, catholicam inſuper fidem Arriana impietate ſubuertit: anno mundi 4390. à Chriſto nato 428. poſt treis annos Hipponen obſedit: menſe 3. obſidionis D. Auguſtinus, in illa ipſa vrbe cuius erat Epiſcopus, obiit annos natus 76. nec vrbis ſuæ ruinam vidit. Pom. Læt. Paul. Diac. li. 14. Ab Vrſper.

ATTILA Hunnorum Rex omniúmq; Septentrionalium penè nationum, fratrẽ ſuum occidit, eiuſq; ſubditos ſibi parere compulit. Hic Imperium Occidentale ambiens, ac Viſigothis inuidẽs, exercitum 500000. hominum comparauit: in Galliam irrupit: cum Ætio, Imperatoris vicẽ gerente, & cum Theodorico Viſigothorũ Rege, in campis Catalaunicis grauiſſimo prælio pugnauit: cæſa ſunt 180000. (alij ſcribunt 200000.) vtrinque hominũ, inter quos Theodoricus: tantúmq; ſanguinis effuſum eſt, vt paruulus qui ibi labebatur riuulus, immodicus ſubito torrens effectus, cadauera ſecum traheret peremptorum. commiſſum eſt id prælium anno mundi 4414. poſt Chriſtum natum 452. nullus pedẽ retulit, nullus retro vulnus accepit: tanta contentione pugnatum eſt. At ſuperatus Attila, tandémq; reſipiẽs, Italiã peruaſit furibundus, actúmq; eſſet de ea, ni Papa ſupplex illum adiẽs, totius Italiæ ſalutem reportaſſet. Vxorem exinde duxit Imperatoris Valentiniani filiam, aliàs minitatus Imperatori: dein alteram duxit: cúmque nuptiarum die nimio ſe vino ingurgitaſſet, expirauit. Pau. Diac. li. 15. Ab. Vrſper.





FARAMVNDVS, primus Francorum Rex incepit apud eos imperare anno mundi 4383. à Christo nato 421. fuit hic Marcomiri Francorũ Ducis filius, ſed vt paulò altius rem repetam, Franci Troia oriundi (qua capta, Duce primùm Francione, ad Mœotim paludẽ ſe contulerant, nec procul ab ea vrbem condiderant, quã ad Valentinianum vſque Valentiani filium ac Gratiani fratrem incoluerant) Duce Marcomiro, Faramundi patre, in eam Germaniæ regionem, quæ nunc Franconia dicitur, conceſſerant tum cum ad vectigal penſitandum reuocati, Imperium, circa paludem Mœotidẽ agentes, detrectaſſent. Sub Faramũdo primùm vſi ſunt legibus Frãci: tunc enim quatuor ex primoribus qui cõtrouerſias dirimerẽt, elegerunt: tunc etiam lex Saliqua cõdita Regnat. Faramundus apud Francos annos 11. Robertus Gaguin. li. 1. Paul. item Æmyl. li. 1.

CLODIO, ſecundus Francorum Rex Faramundo patri ſuccedit, anno mundi 4394. à Christo nato 432. Hic Thuringos ſubegit: Cameracum cepit: Romanos ad Rhenum proſtrauit: traiecto flumine, Tornacum etiam cepit, in Galliam traiecit, finitimos Reges vicit: Burgundiam, Tholoſam, totámque Aquitaniam in poteſtatem redegit: comatos voluit eſſe Francos, libertatis indicium, comatus ipſe dictus. Rexit annos 18. Vide vt ſupra.





MEROVEVS tertius Francorum Rex, ſuccedit Clodioni anno mundi 4412. à Chriſto nato 450. ſiquidem occiſis à Bonifacio in Africa pueris Valentiniani Cæſaris, aduerſus eum à matre Placidia miſſis, ad tantæ cladis famam Franci, velut nouo claſſico exciti, hoc Rege in Galliam regreſſi ſunt. Cogitur Aëtius, exercitus Romani dux, cũ priſtinis hoſtibus Francis, Burgundionibúſq; fœdus ferire: cui etiã opem tulerunt aduerſus Attilã in campis Catalaunicis, vbi proſtrata ſunt vtrinque 200000. armatorum: tũc rediit Attila in ſuam Hungariam. Porrò Aëtius Francos cum eximiis laudibus dimittit. Franci longius ſpe promota, Senonum etiam, Pariſiorúmque ac Aurelianenſium ciuitates occupauere. Quicquid in Gallia Merouęus Rex cum ſuis poſſedit, Frãcia dici cœpit. Expectatione autem magnorum nouorúmque motuum cõſiliorúmque, Merouęus obiit, anno regni 10. Vide Paul. Æmy. li. 1. Gag. li. 1.

CHILDERICVS, Merouei filius, vir bello clariſſimus, pacis artibus minus nobilis, ſucceſſit patri anno mundi 4422. à nat. Chriſti 460. Hic cum pudicitiam illuſtrium fœminarum attentare diceretur, ob cõiurationem procerum, ſibi fuga conſulere coactus, in Thuringiam ad paternos amicos ſe contulit, expectaturus fortunam aliquam redeundi: datis prius occultis mandatis amico Vidomaro, acerrimi ingenij viro: nummúmq; aureum cum in duas partes Childericus diuiſiſſet, alteram ſibi retinuit, alterã illi dedit, vt nulli nuntio fides haberetur, niſi qui partẽ nummi deferret. Sic itaque bello nil opus fuit ad recuperandum regnũ: plus amicitiæ neceſſitudo, quàm vlla arma, valuit. Rexit annos 26. Vide vt ſupra.





VALENTINIANVS tertius, Conſtantio & Placidia genitus, ab Honorio cum matre pulſus, in orientē proficiſcitur, à Theodoſio iuniore ſuſcipitur: ſubinde mortuo ipſo Honorio, Eudoxia Theodoſij filia in vxorē accepta, Romam opportunè miſſus, Ioannem tyrannum obterit: à Theodoſio Auguſtus appellatur, Romæque Imperat, anno mundi 4329. à Chriſto nato 427. cum Genſerico ſtatim fœdus init, parte Africæ, vt videri voluit, cōtento: & aduerſus Attilam Aëtij ductu, feliciter conflixit: quem Aëtium poſtea iuſſit occidi: à cuius militibus, in vltionē, ipſe Imperator paulò pòſt occiditur. Hoc principe Frāci Gallias, Angli & Scoti Britanniam occupant. Vandali Africam populantur. Hunni Europam vexant & Italiam: tunc imperium Romanum funditus eſt collapſum ad Carolum magnū vſque: nihilominus tamen interea Conſtantinopolitani Imperatores, Romanos ſe quoque Imperatores nuncupabant. imperauit annos 30. Pomp. Læ. Egna. Pau. Dic. lib. 5.

MARTIANVS humili loco natus, militia tamen clarus, Pulcheriæ Archadij filiæ opera, Conſtātinopoli, poſt Theodoſium primum admodū ſenex imperauit. Cum Vandalis fœdus percuſſit: arma nunquam niſi prouocatus mouit: dicere ſolitus, *Non decere principē arma ſumere, dum licet ei in pace viuere.* Is Talianum Iuliúmque (ambo fratres erant, qui eum olim ægrum hoſpitio ſuſceperāt, & aquilæ ſuperuolantis eius caput, auſpicium retexerant, viaticóque 200. aureorū inopē & ægrum recrearāt) ſtatim vt princeps eſt dictus, illum Conſtantinopoli, hunc Illyrico præfecit. Imperauit Martianus annis ſeptem, auſpicatus anno mundi 4413. à Chriſto nato 451. Vide vt ſupra.





FL A. Vale.Leo,primus Græcanici ſanguinis, Aſparis Patricij factione,poſt Martianũ Conſtãtinopoli imperat anno mundi 4420. à Chriſto nato 458. Aſpar conuenerat cum Leone, vt factus Imperator, Ardaburiũ eius filiũ adoptaret:quod Leo præſtitit:populus, vbi hæc nouit, Ardaburium cum patre interemit:vel vt alij ſentiunt,inſidiarũ in ſe autores occidit: Anthemium Cæſarẽ fecit Leo, Romámque miſit : deinde Olybrium miſit qui Anthemiũ regno pelleret:at factione Richomeri iam iam fuerat Seuerus Lucanus Rauennæ Imperator electus. Leo Baſiliſcum Patritiũ aduerſus Genſericũ miſit,qui eum propulſauit,cùm iterum in Italiam irrumpere tẽtaret. Cum Oſtrogothis fœdus pepigit,(nam Illyrium vaſtabant)eiſq; Pannoniam, acceptis obſidibus, incolendam conceſſit.Hic Leo paulò ante obitum Leonem, Ariadnæ filiæ ſuæ filium, conſortem imperij fecit.Byzantium magna ex parte conflagrauit:præterquã quòd Italia in perpetuo motu fuit. Imperauit annos 17. Pomp. Lær. Egna.lib.2.Pau.Diac.lib.16.

LEO iunior, puer ab auo relictus, cum annum præfuiſſet, Zenoni patri,aut ſaltẽ vitrico,manibus ſuis diadema impoſuit, patrémque pro ſe deinceps imperare iuſſit.Egna.lib.2.





ZENO Constantinopoli imperat anno mundi 4437. à Christo nato 475. fuit ex Isauris Ciliciæ, obscuri sanguinis, facie deformis, moribus tyrannus, vt Isaurũ agnoscas. Hic Theodoricum Ostrogothorum Regẽ cum vnicè diligeret, Cõsulem fecit, ac in Italiam aduersus Odoacrẽ misit: occurrẽtem Odoacrem Theodoricus prælio vicit, fugauit: fugiẽs Odoacer, intra mœnia vrbis non admissus, citissimè Rauẽnam cõtendit. triennium ibi obsessus, tãdémque à Theodorico in fidem receptus, contra fidem truculẽter excarnificatur. Pellitur regno Zeno à Basilisco factione vxoris Augustæ, cùm in Isauriam cõcessisset maritus Imperator: non multò pòst reuersus Zeno Basiliscũ expulit, quẽ vnà cum filio inedia mori coëgit. Sunt qui viuum adhuc inclusum ab vxore sepulchro tradant. Hoc principe incendium odeò graue fuit, vt præter maximã vrbis partem conflagratam, centum & viginti librorum millia combusta sint: inter quæ & Homeri poëma, intestino draconis 120. pedũ, aureis literis descriptum. Pom. Læt. Pau. Diac. lib. 6. Egna. lib. 2.

ARIADNA, supradicti Zenonis vxor, fratrem Basiliscum Imperatorem fecit, filiúmque eius Cæsarem, absente quidem viro suo, qui rediẽs supplicium de patre & filio sumpsit, vti iam dictum est. Bap. Egna. lib. 2. Romanorum Principum.





FLA. Vale. Anaſtaſius, Conſtantinopoli poſt Zenonem, Ariadnæ opera, imperat, anno mundi 4454. à Chriſto nato 492. Hic à Græcis cognominatus eſt Dicoros, à diſcoloribus oculorum pupillis, quarũ dextra nigricãs, ſiniſtra cœrulea fuit. inter bonos principes referẽdus veniret, quanquam humili loco ad imperiũ ſit euectus, niſi poſtea mutatus Eutychianæ hæreſi adhæſiſſet: vnde illi aduerſus orthodoxos graue diſſidium conflatum. Legatos Indorum cum muneribus veniẽtes, placidiſſimè audiuit. à mari ad Selymbriã longum murum duxit, ne incurſiones Myſorum, Bulgarorũ, & Scytharũ obeſſe poſſent. Athenodorus Tyrãnus in Cilicia pœnas luit: & Longinus tanquam fera dilaniatus eſt. Hunni, non cõtenti Armenorum ſpoliis, Cappadociã vaſtauerunt, & vſque ad Lycaoniam vrbes diripuerunt. Ad Aquilonem Vitalianus rebellauit: vt quieſceret nongẽta pondo auri ab Imperatore accepit. Getæ Macedoniã, Theſſaliam, Epirum diripuerunt: quibus, pro captiuis redimendis aurum cùm miſiſſet Anaſtaſius, nec ſufficeret hoſtiũ votis, Barbari captiuos aut in domibus ſuffocarũt, aut pro mœnibus in cõſpectu multitudinis trucidarunt. obiit octuagenario maior, ſubita morte, vel fulmine tactus, ob hereſim vt aiunt, imperij anno 28. Pom. Læ. Egna. lib. 2.

IVSTINVS Thrax, dolo imperiũ adeptus eſt: nam mortuo Anaſtaſio, accepta ab Amantio eunucho pecunia vt militi pro Theocritiano eligendo diſtribueret, in ſe cautè Thrax ſuffragia vertit. fuit primùm ſuûm cuſtos, deinde boum, pòſt lignarij cuiuſdã miniſter, poſtea miles, deinde princeps ordinis, hinc Comes, dein Imperator: annis 9. optimè præfuit, & feliciter. Vide vt ſupra.





AMALASIVNTHA Theodorici filia Athalaricíque Gothorũ Regis mater fuit, cum qua imperauit ipſe filius octo annos,auſpicatus anno mundi 4488. à Chriſto nato 526. hæc mortuo filio Athalarico Theodatum cognatum in conſortem imperij legit: verùm ingratus hic, ac perfidus, eam paulò pòſt relegauit, tandẽ etiam obtruncari iuſſit:nec ita diu poſtea imperauit:quinetiã ipſum Optaris occidit: quare Gothi Vitigem Regem crearunt:quẽ captũ Beliſarius Rauenna potitus, Conſtantinopolim duxit.Blondus lib.3.Deca.1.Pau.Diac.lib.7.Ab. Vrſper.Pom.Læ.in Iuſtiniano.Pau.Emy.lib.1.de re.Franc.

ATHALARICVS Gothorum Rex, Theodorico auo materno,(qui Gothorum primus in Italia imperauit 34. annis) iuuenis admodũ,nempe octo annorum,ſucceſſit:huius immaturam ætatẽ mater rexit,erudiendámque ciuilibus,priuſquam bellicis artibus curauit:nam pater Eutharicus obierat. hic ætatis anno 16.imperij 8.deceſſit.Vide vt ſupra.







CLODOVEVS hoc nomine primus, Francorum Rex quintus, Francicæ vtique religionis conditor, successit patri Childerico anno mundi 4448. à Christo nato 486. Hic vxorem duxit Christianam Clotildem Burgundionem. Syagrius, Egidij Romani filius (eius qui, expulso Childerico, Francis præfuerat) à Suessionibus expulsus, Tolosam confugit ad Alaricum Visigothorum Regem: à quo proditus, & Clodoueo redditus, securi percutitur. Sic desiere expulsi & cæsi in Galliis imperium habere Romani. Deinde Clodoueus Turingiam debellat: à Rheno ad Sequanam regnum ampliat: ad Ligerim vsque fines suos extendit. In bello quod ad Tolbiacum gessit, periculi magnitudine, idolorúmque diffidentia, repentè vouit se Christianum fore: voto facto Germanos hostes vicit, subegit, tributa imposuit: à D. Remigio Remensi Episcopo cum Francis omnibus baptizatur. Post hæc Gundebaldum Burgũdiæ Regẽ regno & patria cedere coëgit: Alaricum Regem cum suis Visigothis fudit. Mœnia Engolismæ ruinosa in cõspectu Clodouei vrbem aggressuri ruunt: illinc Burdegalã vsq; hostes insecutus, iterum vicit. Omnes tum ferè Gallias, & vniuersam Alemaniã Rex sub ditione tenuit: ab Anastasio Imper. dona recepit, Patritiatus & Consulatus titulum, & insignia, coronã insuper auream, multis vnionibus distinctam, quam postea Romã D. Petro offerendam remisit. rexit an. 30. Hic Lutetiæ sepultus est in æde quã D. Petro & Paulo erexerat: hodie Fanũ D. Genouefes vocatur. Æmy. li. 1.

CHILDEBERTVS patri Clodoueo successit ann. mundi 4478. à Christo nato 516. Hic Almaricum fundit, occidit: Hispanias populatur: sororẽ, quòd ab Arriana hæresi abhorreret, à viro Almarico Alarici filio duriè tractatã, reducit. Tãdem obiit sine liberis anno regni 45. Sepelitur in æde D. Germani ad Parisios ab eo erecta, & dicata D. Vincentio.





IVSTINIANVS, Iuſtini ex ſorore nepos, ab auunculo, paulò ante obitum ſucceſſor inſtituitur, imperátq; anno mundi 4491. à Chriſto nato 529. Hic Romani imperij gloriam Plurimum ampliauit. Primùm Perſes, Beliſarij opera, intra ſuos fines cõtinuit, fudit, fugauit, trans Eufratẽ abire coëgit: iura imperij toto Oriẽti poſuit: Beliſarium cum victoria redeuntem, & aureo curru triumphantem Iuſtinianus magno plauſu excepit. Inde eodem duce Romã à Gothorum ſeruitute aſſeruit: Africa quoque recuperata, Gelimerem, Vandalorum Regem, catenis vinctum Conſtantinopolim miſit Beliſarius: triumphus maior Perſico fuit. Narſete duce, occupato aliunde Beliſario, tandem Gothos deleuit Iuſtinianus. Leges, fuſiſſimè antea diſperſas, opera Triboniani cõtraxit: Inſtitutionũ libros quatuor edidit: Codicem inuulgauit. Maximus ſanè princeps, niſi auariciæ, & delirij Eutychiani reus fuiſſet. Serici vſus è Perſis ad Græcos hoc tempore trãſiit, iampridẽ deſitus. Moritur morbo, & mente captus, anno ætatis 8&.imperij 38. Pom. Læt. Pau. Diaco. lib. 7. & 8. Egna. lib. 2. Eutr. auctus lib. 16. autor eſt, Iuſtinianum morte præuentum cùm edictum vbiq; à pietate alienum tranſmiſiſſet.

THEODORA vxor fuit Iuſtiniani, ex quo matrem Iuſtinæ ſuſcepit Iuſtinianus. Hæc fraudẽ molita eſt in Syluerium Papam, quem Beliſarius falſit teſtibus conuictũ in exilium miſit, vbi etiam mortuus eſt. conſulito Eutropium auctum li. 16.





CLOTARIVS Francorum Rex ſeptimus, atque huius nominis primus, ſuccedit fratri Childeberto, imperátq; Francis anno mundi 4522. à Chriſto nato 560. Hic tertiam redituum eccleſiæ partem ſibi dari iuſsit: cui dationi Turonum Archiepiſcopus liberè & fortiter ſe oppoſuit, vaticinatus regno ſpoliatum iri Regem, ſi pauperum bona imminueret aut eriperet. Cranũ filium bello ſubactum, cum vxore, liberis, & vniuerſa familia exurendum curauit. is enim patri non obſecundans, multa Galliæ dãna intulerat, primùm à Childeberto patruo inſtigatus, deinde ſocero Aquitaniæ duce eius cauſam defendente. Conabus Britãnus eum excepit, ac tutatus eſt. Socerum illum Rex ferè perdiderat. Britannum autem paulò ante filij necem interemerat. Rex Compendij obiit anno regni quinto. Pau. Æmy. lib. 1. Robertus Gaguinus lib. 2.

CHEREBERTVS, qui & Aribertus, patri Clotario ſuccedit anno mundi 4527. à Chriſto nato 565. nam ei, diuiſa inter fratres hæreditate paterna, pariſij ſorte obuenere: Chilperico Sueſsionum regnum, Guntrano Aurelianẽſium, Sigiberto Metẽſium. Fertur Cherebertus paucos annos vixiſſe, muliere quauis corruptior, ſcortationi & luxui addictiſſimus: cõputantur tamen in chronicis anni nouem adminiſtrationis huius Childeberti. Pau. Æmy. lib. 1. Ro. Ga. lib. 2.





IVSTINVS Iunior, filius filiæ Iuſtiniani Imperatoris, poſt auum imperat Conſtantinopoli anno mundi 4529. à Chriſto nato 567. Hic æmulus Iuſtini, atque perinde ac filius à Iuſtiniano in regia ſemper enutritus, facili admodum ingenio fuit, atque ad promerendam, ex liberalitate, hominum gratiam accõmodato. Cum Perſis fœdus pepigit, tributo, quod Romani annuum his penderent, ſublato. Porrò Narſes cùm poſt Gothicam victoriã Italiæ præeſſet, accuſatur apud Iuſtinum, malæ adminiſtrationis: hic per literas ſe purgat. Sophia Iuſtini vxor, ſcripſit ad Narſetem vt ad penſa muliebria rediret, eunuchus enim erat Narſes, quare eum oderat. tunc Lõgobardi, Germanica gens, qui in Pannonia erant, à Narſete indignato vocati, in Italiam irrumpunt, quã ab Alboino Rege ad Deſiderium, per 204. annos in principatus diuiſam tenuere: reſponderat vtique Sophiæ Narſes, ſe talem texturũ telam, quam ipſa diſcutere & diuellere nequiret: obiit graui pedũ dolore Iuſtinus anno imperij 11. Pom. Læ. Egna. lib. 2. Longinus, primus Rauennæ exarcha fuit anno mundi 4533. à Chriſto nato 571.

TIBERIVS Conſtantinus adoptatus à Iuſtino, rem per ſeptennium ſatis feliciter adminiſtrat, Perſas ſæpe profligatos, intra ſuos fines compellit, recepta Meſopotamia. Longobardi rupto fœdere vrbẽ Romam graui obſidione premunt: ſed eos iniuria decidẽtium imbrium depellit: nihil hoc principe fortunatius, ſi res vt in Oriente, ita in Occidente ſucceſſiſſet. vixit ſumma cum pietatis & liberalitatis opinione. Pomp. Læt. Egn. lib. 2. Diac. lib. 8.





MAVRICIVS, Cappadox, Tiberij Conſtantini gener fuit: à Socero ſucceſſor declaratur, imperátque ann. mun. 4547. à Chriſto nato 585. Hic imperium ſub initia Perſis victis, Scythis afflictis, Longobardis repreſſis, ac Hunnis è patrio ſolo in ſolitudines pulſis, feliciter adminiſtrauit. Mox tamen cùm præ auaricia, ſtipendia aut nulla aut rara daret, cõiuratur in eum ab exercitu cui præerat Phocas imminẽs Sarmatiæ. Tandem cùm fruſtra Phocæ inſidias, ſomnio etiã admonitus præcauet, cúmque miles ſtipẽdio fraudatus, ſeditioſius agit, ab eodem Phoca imperio & vita priuatur Mauricius anno ætatis 66. imperij 20. vxor, liberi, omníſq; eius proſapia cum eo ſublata eſt. Turcaicum nomen tunc primùm Aſiæ auditum. Pom. Læ. Egna. lib. 2. Hic Mauricius Childeberto Frãcorum Regi ſummam argenti miſit vt Longobardos Italia exturbaret. Pau. Diac. li. 8. mirũ eſt ſanè in hoc Imperatore opum cumulandarum cupiditatẽ eius oculos ita excæcaſſe, cum præſertim notarius primùm fuiſſet, deinde miles, poſtea præfectus vigilum, deinde Imperatoris gener, poſtea Auguſtus. Diſcant itaque Principes auaritiam non tãtùm illos dedecere, ſed & damno & exitio interim illis eſſe: (exemplo ſint Imperatores Pertinax & Mauricius) contrà verò maximum eſſe Principis ornamentum liberalitatem.

CONSTANTINA, Tiberij Imperatoris filia, Mauricij vxor fuit, ex quo liberos ſuſcepit, qui vnà cum patre & matre cæſi ſunt, vti dictum eſt. Vide autores quos ſupra.





CHILPERICVS, poſt fratrẽ Cherebertum apud Francos imperat anno mundi 4536. à Chriſto nato 574. Initio Chilpericus neque omnia tenebat, neq; fortior erat. Inter fratres de regno lis eſt. Sigiberto in Germania trans Rhenũ occupato, Remorũ oppidũ quod ditionis Sigiberti erat, nonnulláq; in Campania loca Chilpericus adoritur: parátque bellũ quantum poteſt maximũ cum filio Theodeberto. Sigibertus redit: Sueſsionum deditione facta, Theodebertum capit, quẽ ſtatim ad Chilpericum remittit, iureiurãdo tamen prius aſtrictũ, vt ne vnquã bellũ aduerſus eum ſuſciperet. Attamẽ iuſſu patris, violato iureiurando, cõtra patruũ dimicans occiditur Theodebertus. Rebus acciſis Chilpericus Tornacum ſe recipit. Sigibertus magna põpa cum vxore Brunechilde Pariſios ingreditur: atq; poſt paucos dies cùm ſtatuiſſet fratri ne vitam quidẽ ſaluã iri, à duobus percuſſoribus, quos Fredegũda Chilperici vxor immiſerat, trucidatur: Hæc tandẽ etiam cum adultero Landrico, virum, regẽ, noctu à venatione redeuntẽ, cædi curauit: ad Calam Pariſiorũ vicum. huius item imperio nouercæ, puer regius Clodoueus, natu poſtremus, iam ante necatus fuerat. rexit annis 14. Sepultus eſt in æde D. Germani à Pratis, iuxta Lutetiam. Æmy. lib. 1. Gaguin lib. 2.

CLOTARIVS, huius nominis ſecundus, Francorũ Rex 10. Chilperico patri puer admodũ ſucceſſit, anno mundi 4549. à Chriſto nato 587. Tutor à Guntrano patruo ei datur Landricus: apud matrem Fredegundam educatur. Cruẽtam de Saxonibus victoriam reportat Clotarius: rexit annos 44. in æde D. Germani ſepultus eſt. Vide vt ſupra.





PHOCAS in eius Imperatoris,& Domini ſui,locũ ſuccedit, quẽ nuper imperio & vita priuarat:nec tamen ipſe ab auariciæ vicio tẽperauit,cùm cauſam ei auaricia Mauricij præbuiſſet coniurandi in caput illius:quin longè ſtudioſius corradẽdæ pecuniæ incubuit:& omnia ex Perſicæ ſeruitutis inſtituto egit. Hic Romanum Pontificẽ primarium omnium declarauit ſollicitatus à Bonifacio 3. Cætera adeò ſocors & ignauus, & frequentibus adulteriis infamis,vt cùm Ro.imperium vndiq; barbari vaſtarent,ſtarétque ſolùm eius nominis vmbra, conſpiratum ſit in illum ab Heracliona,Heraclio & Priſco,qui captum inertiſſimum hominem prius interfecere quàm ferre ei ſuppetias eius milites potuerint,omnémq; ſtirpem impuriſſimi principis ſuſtulêre. cœpit imperare anno mundi 4567. à Chriſto nato 605. imperátque annis 8.Egna.lib.2.

HERACLIVS, qui in Phocam coniurarat, à militibus primùm Imperator pronunciatur: populus dein & Senatus ingenti acclamatione probant:accepto itaq; diademate à Sergio Conſtantinopolitano patriarcha,Perſicum bellum parat,legatis antea miſſis pro induciis impetrandis. Ludibrio habitus à Perſis,adeò excanduit vt differre non potuerit: reſpondebant enim impij hoſtes non prius ſe Romanis pacem daturos,quàm Chriſtum abnegaſſet Imperator.Perſide igitur omni, in vltionem,igni ferróque vaſtata, lignũ ſalutiferæ crucis recepit..Celebris adhuc eſt nobis dies feſtus,argumentũ victoriæ inſignis: Tigris factus eſt inter vtroſque limes:nouo tandem morbi genere obiit Heraclius,anno imperij 30.Pom.Læ.Egna.li.2. Tunc Mahomethes inſanus emerſit.





MAHOMETVS ex ſtirpe Iſmaëlis oriundus, in Arabia humili loco natus, inops, ac orphanus, captus eſt ac vēditus mercatori cuidā diuiti, qui eum mercimoniis præpoſuit. hero mortuo vxor eius vidua ac vetus nupſit Mahometo robuſto iuueni: qui à Sergio monacho hæretico praua imbutus opinione, diuinitatem quādam inde ſibi adſtruxit, quam leuiſſimo hominum generi facilè perſuaſit: cúmq; epilepſia laboraret, cōſpectum ſe Angeli Gabrielis minime ferre poſſe cōminiſcebatur: ſunt etiā qui prodant aſſuefactā columbam ei ad aurem aduolaſſe, grana in aure captaturā, mētitúmque eum hanc eſſe ſpiritum ſanctū. hic vinū lege prohibuit: plures vxores permiſit: paradiſum etiam voluptarium conſtituit: legem ſuam armis tutari ſanxit. Hic itaque rerum ſucceſſu elatus, Syriā, vaſtat, Damaſcum expugnat: in Perſas mouet: à quibus victus Scenitas Arabes, Romanæ aſſuetos militiæ, ab Heraclio, ob negata ſtipēdia deficiētes, adiungit. Sic ſtabilito paulatim imperio, an. ætatis 40. veneno, vt aiūt, à cognatis ad quos vxoris hæreditas ſpectabat, inter epulas immixto, interiit ſpurciſſimus ille: cuius tādē ſuperſtitio Romanorum principū ignauia, eò creuit, vt iam non Aſiam ſolum, & Africam, ſed bonam Europæ partē infecerit. Vide Egn. lib. 2. Pom. Læt. Blon. lib. 9. Deca. 1. Chro. Antonini. titu. 13. cap. 3. hunc Turci vocant Mehemet, alij autem Muhamet.

CADIGA, ſeu Tadiga Mahometi hera, cū vidua eſſet quinquagenaria, ac diues nupſit ſeruo ſuo Mahometo, à Sergio monacho, vti cenſet Pom. Læ. perſuaſa. hic Mahometus primò Cadigæ camelis ad negotiādū vtebatur: cúmq; veniret in Palæſtinam cum Iudæis & Chriſtianis verſatus, religionémq; eorum edoctus, ex his duabus doctrinis mixtis, vnam quandā tertiā ac nouā cōfinxit circa ann. mun. 4586. à Chriſto nato 624. Vide Ab. Vrſper. in Heraclio Imper. & Volater. lib. Geographiæ 12.





HERACLIVS, qui & Constantinus iunior, & nouus Constantinus dictus est, Heraclij ex Fabia Eudoxia filius fuit: admodū adolescens erat tum cùm à patre imperiali diademate donatus est. Hic veræ pietatis cultor, cùm nondum annum imperasset, Martinæ nouercæ insidiis, quæ Heraclionæ filio imperium astrueret, veneno sublatus est. Vide Baptistam Egna. li. 2. Pom. Læt. Succedit Heraclionas Heraclio anno mundi 4604. à Christo nato 642.

HERACLION, siue Heraclionas, imperauit Constantinopoli cum Martina matre, quæ imperium inuaserat venefica: hæc cùm esset filia fratris Heraclij prioris Imperatoris, fuit item illi Heraclio vxor, suscepítque ex eo hunc Heraclionē siue Heraclionam. Cum imperium male partum vix biēnio tenuissent mater, & filius decennis, in exilium à Senatu in Cappadociam mittuntur: mulieri lingua præciditur, ne oratione, qua plurimū valebat, populos commoueret: puero nasus abscinditur, ne decor aut gratia vultus in miseratione̅ populum flecteret. Senatus tunc sine militibus Imperatorem Constantem fecit, quod rarò contigit, vel ante vel post Tacitum. Pomponius Lætus, in progenie Heraclij.





DAGOBERTVS huius nominis primus, ac Francorum Rex vndecimus ſuccedit patri Clotario, huius nominis ſecundo, anno mundi 4593. à Chriſto nato 631. Hic viuo adhuc patre, pædagogo barbam vulſit, virgíſq; eum cædi iuſſit: pro miraculo habetur, patris iram vitare potuiſſe. Fratri Ariberto Aquitaniæ regnum in partem hæreditariam dedit: Sclauos adhuc idololatras debellauit. Effeminatus Dagobertus, ſcortorũ & pellicum agmen ſecum traxit: & variis in locis formoſarũ collegia inſtituit, quæ vt Reginæ adornarentur: D. Amandus, id flagitij corripiẽs, in exilium mittitur. Rex Iudæos omnes qui Chriſtum amplecti nollent, edicto expulit. Templum D. Dionyſij, ad Pariſios, à fundamẽtis erexit: ex aliis vndequaque corraſit, quò id vnũ ditaret, nec quiſquã ante eum patrimonij reditus annuos templis tam profusè donauit. Vaſcones rebelles in fidem recepit. Tandem profluuio ventris obiit anno regni 14. Pau. Emyl. lib. 1. Gag. lib. 3.

CLODOVEVS, huius nominis ſecundus, Francorum Rex duodecimus, ſuccedit patri Dagoberto anno mun. 4607. à Chriſto nato 645. cùm Sigibertus natu maior Auſtraſia contentus eſſet. Clodoueus & Ludouicus idem nomẽ eſt Germanicè. Sigibertus, nulla prole ſuſcepta, Ildebertũ filiũ Grimoaldi adoptat: verùm mox naſcitur illi filius Dagobertus: quem Grimoaldus valde puerũ, & tonſum, & monachum in Scotiã mittit, patre Sigiberto defuncto: & eundem Ildebertum Auſtraſiæ Regem creat. Clodoueus hanc perfidiã minimè fert. Ildeberto in bello occiſo, Grimoaldus captus, Pariſiis in carcere vitã miſerè finiit. Fames maxima Galliã inuadit: cui vt ſuccurrat Clodoueus, theſauros & opes, quibus ædem D. Dionyſij Dagobertus pater ornarat, aufert, obiítque anno regni 17.





CONSTANS, qui & Conſtantinus, Heraclij Conſtantini ſupradicti ex Gregoria, filia Nicetæ Patricij, filius, imperio potitur adnitente Senatu, vti dictũ à me eſt, qui Martinæ ſcelus execrabatur. Hic dicitur etiam Conſtantinus tertius, qui valde dilectus ab auo Heraclio, Phocæ ſucceſſore, magníſque honoribus functus, auitæ tandem impietatis hæres, Martinum Ro. Pontificem ſibi aduerſantem comprehendi iubet, in exilióque mori cogit. A Saracenis victus aufugit. Biennij ab eiſdem induciis impetratis, Italiam petit, vt eam à Longobardis liberet: à quibus etiam victus, in ſuos conuertit iram, laminas argenteas, quibus Pantheon tegebatur, & alia quædam pretioſa, reliquias hoſtilium prædarum atque incendiorum aufert: plúſque ornamentorum intra quintũ diem vrbi detrahit, quàm barbari per tot annos: quicquid Romæ antiqui operis, ſignorúmue fuit, in Siciliam ſecum aſportat: vbi cum ſextũ annum agit, & auarè ac crudeliter tributũ exigit, in balneis, à miniſtris, autore Mazeſe, interficitur, anno imperij 27. cœpit anno mundi 4605. à Chriſto nato, 643. Pom. Læt. Diaco. lib. 8. Egna. lib. 2.

CONSTANTINVS, natu maximus Conſtantis prædicti, poſt patrem imperat. Hic in Siciliam venit, vltúſque Mizizium, ſiue Mazeſen, tyrannum, & cædis paternæ conſcios, bellum in Saracenos annos ſeptem terra maríque feliciter geſſit: vnico congreſſu 30000. cæcîdit: tributarios fecit. Ignis ſub aqua ardet, Callinici inuentum: quo valde terrentur hoſtes Arabes. Bulgari trans Danubium derepẽte bellum oſtentant: inhoneſta pace, Myſia ad inhabitãdum datur, cum annuo tributo. imperat annis 17. Pogonatus dictus, id eſt barbatus, quòd barbatus è Sicilia rediiſſet. Egn. lib. 2. Dia. lib. 8. hic è palatio præcipitatus interiit.





CLOTARIVS, huius nominis tertius, Francorum Rex decimus tertius, ſuccedit patri Clodoueo ſecundo, tanquā maximus natu filius, anno mundi 4624. à Chriſto nato 662. Hic egregij nihil pręſtitit. Theodoricus huius frater Childerico minor, poſt hunc, Ebroini Magiſtri equitum opera regnat: ſed ob incontinentiam & ſcelera regno pellitur: & cum ſuo Ebroino in cœnobium truditur Theodoricus. Childericus frater, qui in Auſtraſia imperabat accerſitus, Rex creatur. Tunc inertes Reges toti ſe Magiſtris equitū permittebāt, in deliciis clam volutabantur: tātùm in publicū prodibant Calēdis Maij, cùm pompa & regio apparatu. Ferè Pariſij & Neuſtriæ regnum erāt vniuerſæ eorū ditiones: reliquum Galliæ in cōtrouerſia erat, quàm plurimis ab eorū imperio deficientibus, dum penes Magiſtros equitum ſumma rerū eſſet, apud quos ſtetit ad Pipinū vſque, id eſt annis ferè cētum: vixit, ex quo patri in regno ſucceſſit Clotarius ann. 4. regio magis ornatus nomine, quàm Regem agēs, ſicuti nec qui ad Pipinum vſque ferè ſunt. Æmy. lib. 1. Gag. lib. 3. obiit nullis relictis liberis.

CHILDERICVS, huius nominis ſecundus accerſitus ex Auſtraſia, vti dictum eſt, creatur Rex, in locum Theodorici prædicti anno mundi 4629. à Chriſto nato 667. Crudelis hic in ſuos, inſignem virum Bodillum, palo alligatum flagris cædi iubet. Bodillus in vindictam inter venādum Regem adortus eum occidit 12. regnantē annum, atque vnà cum eo Reginam Blitildem, vterum ferētem. Sepultus eſt ad fanum D. Germani à pratis. Conſulito autores quos ſupra.





THEODORICVS, huius nominis primus, ac Francorum Rex decimusquintus, qui iam post Clotariũ tertium, ferè annum regnarat, & ob scelera in monasterium detrusus fuerat, perempto Childerico, è monastica vita reuocatus, à Francis in solium reponitur, anno mundi 4641. à Christo nato 679. Lendesius, Ercembaldi filius, Magister equitum creatur. Ebroinus, tandẽ relicto monachatu, ingenti sceleratorum manu collecta, inopinãtes hostes magna celeritate opprimit. Gaza capta, Rex ægrè effugit initiò: móxq; se Ebroino cõmittit, Magistro equitum ab se dicto, & periculorũ socio: medio in colloquio trucidatur Lendesius ab Ebroino. Ita sublato aduersario, Ebroinus vnus rebus, Regíque præest: sæuítq; in eos quos sibi in calamitate insultasse sentit, nec dignitati, nec sanctitati cuiusquã parcit. Pipini dein, & Martini, fratrũ, Austrasianorũ Ducum acies fundit Ebroinus, contráq; fidem datam Martinum occidit. tandémque occiditur ipse, ab Ermẽfredo in Martini vltionẽ. Moritur Rex anno regni 14. qui à Pipino victus, fugatúsque fuerat ante paucos annos: tum Pipinus Palatij curã suscipiẽs, multum res Francorum auxit. Vide Gag. lib. 3. Æmy. lib. 1. Rex Atrebatibus sepelitur in D. Vedasti æde.

CLODOVEVS, huius nominis tertius, Francorum Rex 16. succedit patri Theodorico anno mundi 4655. à Christo nato 693. Hic breuis æui, moriens post annos quatuor, fratrem suum Childebertum regni successorẽ habuit. Claret venerabilis Beda. Frisij, Rabodo eorum Duce superato, in Christianismum à Pipino inducũtur: apud quos Vullibrotus, quem nonnulli Clementem Papam vocant, frequẽtes de Christi verbo conciones habuit, eósque instituit. Vide Chro. Reg. Fran.





IVSTINIANVS huius nominis ſecundus, qui etiã Iuſtinus quartus dicitur, Heraclianæ ſtirpis vltimus, imperat poſt patrem anno mundi 4648. à Chriſto nato 686. hunc pater Conſtantinus 4. imperij hæredẽ reliquerat, & fratribus minoribus, ne ad imperium aſpirarent, nares abſciderat. Praui hic ingenij, ſynodum aduerſus ſextam à patre celebratã indixit: aduerſantem Papam cõprehendi iuſſit, quòd hanc ſynodũ minimè probaret. Bellum in Arabas & Bulgaros cõtra fœdus mouit, vtrunque infeliciter geſſit. Ammirathus Saracenorũ Rex cum eo fœdus icit, Africámque reſtituit. Tum crudelitate in ſuos inuiſior factus, imperio deturbatur anno imperij 10. & relegatur Cherſonã, nare prius abſciſſa: opera Bulgarorum poſt annos ſex reſtitutus in hoſtes ſæuit: Tiberiũ qui Leoncio ſucceſſerat, fugat: Callinicum exoculat: ac quoties truncas nares mungit, vnũ aliquem ex iis qui Leontio fauerãt trucidat. Poſt annos ſex reſtitutionis, Cherſonã euertere ſtudens, à Philippico, quem exilio dãnauerat cum Tiberio filio, bello ſuperatur, & occiditur. Egn. lib. 2. Pau. Diac. lib. 8. Ab. Vrſper.

LEONTIVS, qui & Leo ſecundus, adnitente Callinico Patriarcha Conſtãtinopolitano, Iuſtinianum imperium deturbat, imperiúmque inuadit, anno mundi 4658. à Chriſto nato 696. itaque ab Heraclio, qui Phocã occidit, in vna gente imperatum eſt annis plus 80. quod vix vlli priorum contigit: fuit Iuſtinianus ſextus continua ſerie ab Heraclio Imperator, traditúmque eſt imperium velut per manus Heraclianæ ſtirpi, quæ defecit in hoc Iuſtiniano. Porrò Leontius itidem cum infecta re ab expeditione Africana rediret imperio pellitur à Tiberio Abſimaro, poſt annos tres, nasóque mutilatur, & in carcerem truditur. Egna. lib. 2. Diac. lib. 8.





ABSIMARVS, qui & Tiberius tertius, ab exercitu Imperator eligitur, cum Leontius ingẽti classe parata aduersus Arabas Africam occupantes, infecta re rediret, anno mundi 4661. à Christo nato 699. Hic Arabas, opera fratris, repressit. Philippicum nobilitatis præcipuæ Chersonã relegauit, quòd aquila caput obumbrasse videbatur Philippico dormiẽti. Cæterùm septimo post anno, reuerso tandem Iustiniano, qui pulsus fuerat, ab eóq; captus, vnà cum Leontio interimitur: calcato prius eorum collo, à Iustiniano in solio sedente, vniuersáque plebe clamante: *Super aspidem & basiliscum ambulasti, & leonem, draconémque conculcasti.* id etiã fecit Papa Friderico primo, vt infra dicetur. Vide Ab. Vrsper. Egna. lib. 2. Diac. lib. 8.

PHILIPPICVS, cognomento Bardanes, quem acriter insectatus fuerat Iustinianus, quémque relegarat Absimarus, vita & imperio Iustinianum, secundò imperantem priuat, prius à se victum: ab exercitu etiã Iustiniani Imperator dicitur, anno mundi 4674. à Christo nato 712. Hic sextæ synodi decreta, altera synodo infirmare cõtendit, gratificaturus monacho, qui imperaturũ illum prædixerat, id prædictionis præmium petenti. Huic cum sermonis multũ, sapientiæ parum inesset, opésque imperij iampridem congestas dissiparet, passus etiam Bulgaros Thraciã deprædari, post annos ferè duos, ab Anastasio in ordinem redigitur, oculísq; pridie Pentecostes priuatur, & sequenti die Arthemius Imperator designatur. Vide Pau. Diaco. lib. 8. Egna. lib. 2.





CHILDEBERTVS huius nominis ſecundus Francorum Rex 17. fratri Clodoueo tertio ſuccedit anno mundi 4659. à Chriſto nato 697. De huius geſtis, quaſi nil commendatione vel memoria dignum geſſiſſet, nil ſcriptum reperi. Pipinus regnum adminiſtrans, D. Lambertum Traiectētium Epiſcopum, ab Ebroino, virtutum hoſte, ſede pulſum, in priſtinum locum reſtituit: qui cùm non dubitat Pipinum adulterij arguere, à Dodone pellicis fratre interficitur. percuſſor & conſcij intra annum pereunt. Obiit Pipinus craſſus 27. Magiſterij anno, cum iam inſtituiſſet Auſtraſianorum ducem Carolum, à viribus Martiis cognomento Martellum, ex Alpaide concubina natum: quem Plectrudis Pipini vidua in carcerem coniicit, ſperans cum Theobaldo nepote ſumma rerum potiri. Anni regni huius Childeberti numerantur 18. Sepultus eſt apud D. Stephanum in oppido Canciaco. Vide Guag. lib. 3.

DAGOBERTVS, huius nominis ſecundus, qui & Clodoueus à Sigiberto dicitur, ſuccedit patri Childeberto anno mundi 4677. à Chriſto nato 715 In Francia tunc maxima fuit rerum perturbatio, quouſque genus hoc regum extingueretur, & regni adminiſtratio ad Martelli familiam deuolueretur. Theobaldus Magiſter equitum Dagoberti, & Ramanfredus Magiſter equitum Chilperici præliantur acerrimè ad ſyluam Cociam. Theobaldus multis ſuorum millibus proſtratis effugit. Interea obiit Dagobertus anno regni ſui quarto: quo mortuo, à victoribus Rex ſalutatur Chilpericus, quem Auſtraſiani dicebant Danielem vocatum monachum, in cœnobio adoleſcentiam egiſſe. Pau. Æmy. lib. 1.





ARTEMIVS, qui & Anaſtaſius ſecundus, ab exercitu Imperator creatus, in Philippicum, vti dictum eſt, inſurrexit, regno oculíſque eum priuauit, nec tamen occidit. Hic imperium adeptus eſt anno mundi 4676. à Chriſto nato 714. Cùm optimè quæ ad pietatem attinent inſtituiſſet, claſſem ingentẽ aduerſus Arabes in Alexandriam miſit. Verùm claſſiarij quidam contumacius agentes, qui illum oderant, domũ reuerſi, Theodoſium ignobilem alioqui virum Imperatorem creant: captáque Conſtantinopoli, monaſterio Anaſtaſium includunt, annos tres Imperantem. Vide Pau. Diac. lib. 8. Egna. lib. 2. Ab. Vrſp.

THEODOSIVS Attamitenus coactus à militibus ſumpſit imperium, anno mundi 4679. à Chriſto nato 717. Hic ad Niceam graui prælio Artemium vicit: obſcuro licet loco natus, non pœnitẽdum Imperatorẽ egiſſet, ſi diutius illi per Leonem & Cononem, Oriẽtis præfectos, imperare licuiſſet. Verùm cùm Leonem exercitus Imperatorem dixiſſet, pertæſus belli ciuilis Theodoſius ceſſit imperio, monaſticam vitam amplexatus. Vide Diac. lib. 8. Egna. lib. 2. Ab Vrſper. hic annum imperat.

LEO Iſaurus ſceleratus, imperat poſt Theodoſiũ. huius temporibus Saraceni triẽnali obſidione terra maríq; Conſtantinopolim obſident: verùm peſte faméque cõfecti, à Bulgaris etiam ſæpe victi, claſſe magna ex parte igne ſub aquis ardẽte cõſumpta, numinis iram ſenſere: nec minori interim clade in vrbe ſæuitum, trecenta & amplius ciuium millia peſte faméque conſumpta ſunt. Hic, in gratiã duorum Iudæorum, imagines ſanctorum deiecit atque incendit. imperauit annis 24. Vide Diac. lib. 8. Egna. lib. 2.





CLOTARIVS, huius nominis quartus, Francorum Rex 19. extitit. Nam cum Carolus Martellus è custodia nouercæ Plectrudis elapsus esset, Chilpericum Danielē, Regem à morte Dagoberti statim creatum, persequitur, & magna tādem clade castigat ad Vinciacum Samarobrinēsium: iterúmque eundem cum Eudone Aquitaniæ duce, quem in auxilium aduocarat Chilpericus, fugat: & Ramanfredum Andegaui assequitur. Tunc Martellus Regem salutat Clotarium quendam (nonnulli scribunt fuisse Dagoberti secundi fratrem, alij autem auunculum aut patruum) qui annos duos regnat: sepultus Cāciaci cum Childeberto & Dagoberto.

CHILPERICVS huius nominis secundus, Francorum Rex vicesimus, qui antea & Daniel vocatus & monachus fuisse dicitur, siue vera Clodouei magni soboles, siue falsa, mortuo Clotario, ex Vasconia à Martello reuocatur: quē reddidit Eudo cum parte gazæ. Vt venit Chilpericus, Regem sibi facit eum Martellus anno mundi 4683. à Christo nato 721. regnat Chilpericus hic, qui & Daniel, annos quinque, deinde moritur, & sepelitur Nouioduni. Vide Chro. Regum Fancorum.







CAROLVS Martellus, gloriæ ſuæ augendæ, opibúſque Francorum tutandis incumbens, Saxones, arma parãtes finitimóſque ſolicitantes, antequã maius exoriretur bellum, ad officium redire cogit, Bauaros debellat. Alemanis vi armorũ perterritis recipit, reducítq; Plectrudem vnà cum Sonichilde eius nepte, quæ profugerãt illuc, ſibi à Martello metuentes. Interea Eudo Aquitaniæ Dux multa hoſtilia in Frãcos auſus eſt. Celerius omniũ opinione reuerſus Martellus, primùm omniũ conuentũ vniuerſæ Frãciæ habuit: ab eoq; iam non Magiſter equitum, ſed altiore faſtigio princeps Francorum ſalutatus eſt, anno mundi 4686. à Chriſto nato 724. Tum noua nominis nobilitate inclytus, Aquitanicum bellum ſuſcipit, aduerſus Eudonem qui Saracenos ex Africa exciuerat: quo in bello ad 370000. barbarorum cecidere: ex Frãcis 1500. tãtùm. exteri rerũ ſcriptores de nobis hoc literis prodiderũt, cum magna læticiæ ſignificatione quòd gens legis ac religionis tam impiæ, penè occidione occiderit. Obiit Martellus Cariſiaci ad Iſaram: conditus in Mauſoleo Dionyſiaco in ordine Regum. Clotarium quartum vt dixi, Martellus Regem creauit, deinde Danielẽ Chilpericum vocatum, poſtea Theodoricum ſecundum. Vide Æmy.li.2. Gag.li.3.

THEODORICVS ſecundus, Dagoberti item ſecundi filius, poſt Chilpericum qui & Daniel dictus eſt, apud Francos imperat anno mundi 4688. à Chriſto nato 726. Huic fuit cognomentum Cala, qui in cœnobio, educatus fuit: imperauit Martelli opera, nec præter nomen, regium quicquam habuit, cum ſumma rerum, penes vnicum principem Martellum eſſet: qui, hoc rege, Abdiramam, atque Athinum, Saracenorum Reges, variis præliis ſtrenuè debellauit. Obiit Theodoricus hic, anno regni 15. (eodem anno etiam obiit Martellus.) atque in æde D. Dionyſij ſepultus eſt. Vide vt ſupra.





CHILDERICVS, huius nominis tertius, dictus stupidus, ob ignauiã, fratri suo Theodorico secũdo supradicto, succedit in regno Franciæ anno mundi 4703. à Christo nato 741. hoc principe, Gripho hæreditate Martelli patris priuatus, Laudunum arcẽ belli occupauerat, mox fratribus in fidẽ se permittere cogitur. Carolomanus eius frater Roma rediens, abiectis omnibus fortunis, in cœnobium secessit: deinde in montẽ Cassinum migrauit, tonsu, habitúq; monachi. Childericus anno regni nono, cum regio nomine indignus ac solij dehonestamentum videretur, opera Pipini consilióque Zachariæ, Pontificis, regno pellitur: conuentu præterea habito, mira procerum consensione Pipinus ipse salutatur Rex: Childericus fit monachus. Vide Æmy. lib. 2. Chroni. Reg. Franc. Gag. lib. 3. defecit primùm in hoc Childerico masculea Regum Francorum progenies.

PIPINVS Breuis, Francorum Rex dicitur anno mundi 4712. à Christo nato 750. Pipini præsidium contra Aistulfum Longobardorum Regem Papa implorat: cõscripto exercitu Pipinus Italiã intrat: Aistulfum Papiæ obsidet, atque ad deditionem cogit. Papæ exarchatum Rauennatem dono dat, monitis etiã Constantini Copronymi Imperatoris neglectis. Vide Blon. lib. 1. Dec. 2. Æmy. li. 2. Aistulfus Longobardorum Rex inter venandum obiit. Rex Pipinus Parlamentũ in Frãcia instituit: Parisiis obiit anno regni 18. relictis filiis Regibus, Carolo Magno & Carolomano: succedit ei in Franciæ regno Carolus Magnus anno mundi 4730. à Christo nato 768. qui imperat Romæ anno mundi 4763. de quo, vt Imperatore, suo loco meminerimus: à Pharamundo ad Pipinum sunt anni 331. à Meroueo 302. à Clodoueo Christiano 252.





CONSTANTINVS huius nominis quintus Leonis Isauri filius, impio patri scelestissima proles succedit, imperátq; Constantinopoli anno mundi 4704. à Christo nato 742. Hic dictus est Copronymus, quòd infans dum baptizatur, ventrem purgat. Sanctorum imagines non tantùm, sed & reliquias aut contemnit, aut comburit: nobilissimum quenq; è medio tollit. Constantinopolitanos antistites duos grauiter excruciatos capite plectit. Bulgaricũ, variante fortuna, bellum, terra maríque gerit. Artabasdum Imperatorem creatum oculorum vsu cum liberis priuat. Grauissimam hyemem, vti Pontus, Bosphorúsq; Thracius perglaciauerit expertus, post infinita flagitia exquisitissimo cruciatu, nempe lepra consumptus, obiit anno imperij 35. Consulito Egna. lib. 2.

LEO quartus, succedit patri Constantino Copronymo anno mundi 4739. à Christo nato 777. Hic paterni sceleris atque imperij hæres extitit, ídque minimè assentiente matre, pia quidem ac proba muliere. Coronam à Mauricio principe Deo dicatam, nefario capiti imponẽs, captus gemmarũ & auri splendore, breui pœnas luit. In Saracenos, Syriam inhabitãtes, impetum fecit. Imperauit annos quinque, relinquens ex Irene coniuge, proba, & speciosa, filium Constantinum, qui post patrem imperat. Vide Egna. lib. 2.







CONSTANTINVS, huius nominis ſextus, ſuccedit patri, Leoni quarto, imperátq; cum matre apud Conſtantinopolim, anno mundi 4744. à Chriſto nato 782. Hic & mater eius, perſuaſi conſilio Theraſij Patriarchæ Conſtãtinopolitani, ſeptimam ſynodum in Nicea vrbe 350. Epiſcoporum celebrarunt, in qua ſanctorũ imagines templis reſtitutę ſunt. Nec multò pòſt tamen, Conſtantinus iam adultus, matrẽ haud amplius paſſus imperare, imperio deiicit, eiectámque in ordinẽ redigit. Nicephorum, in quẽ ſuffragia multorũ tacitè inclinabant, oculorum & linguæ vſu priuat. Et ne quid ſceleris deeſſet, Maria vxore monaſterio obtruſa, quæ filia erat Caroli magni, Theodoram concubinam ſuperinducit: ídque etiam matris cõſilio, vt filium inuiſum omnibus faceret: vnde mox rerũ ſola potita, filium in poteſtatem redactum excæcat. Conſulito Blondum & Baptiſtam Egna. lib. 2.

IRENE, Attici ſanguinis mulier, Leonis quarti vxor, atque huius Conſtãtini mater imperauit cum filio puero admodum, annis nouem: deinde à filio deiicitur. Verùm exacto circiter anno deiectionis ſeptimo, iterum, ſed ſola quatuor annos imperat. Poſtea à Nicephoro pulſa, in Lesbum inſulam relegatur. Hac principe, Carolus Magnus à Leone tertio huius nominis Romano Põtifice, Imperij Romani corona donatur, virtutis ac pietatis gratia. Vide Egna. lib. 2.





NICEPHORVS Patricius, relegata Irene, Constantinopolitanum imperiũ inuadit anno mundi 4764. à Christo nato 802. Hic fœdus cum Carolo magno icit. Nemo maiore opinione hominum ad imperium venit, dum singulos aut muliebris impotentiæ, aut flagitiosi principis tædet: nemo tamen auarius aut crudelius administrauit: quorũ scelerum mox pœnas meritas luit. A Bulgaris enim paulò ante à se victis, improuiso noctis assultu oppressus, ipse cum toto exercitu ad internecionem cæditur. Stauracius filius saucius euadit, qui cum patre imperarat, & post patrem Imperator ab amicis salutatus, non multò pòst à Michaële Curoplate, qui sororem eius in vxorem duxerat, imperio deturbatur, & monasterio includitur. Vide Blon. lib. 2. Egn. lib. 2. Stauracius in hac Imperatorum serie minimè à nobis inseritur, quòd paucis diebus post Nicephorum patrem imperitarit.

MICHAEL Curoplates, Rangabe cognomento, imperat, qua dixi via, Constantinopoli anno mundi 4773. à Christo nato 811. hic melior pacis artibus & pietate, quàm bellicis rebus administrandis, ad vnam aduersam cum Bulgaris pugnam, ita deiecit animũ, vt accepto nuntio de Leonis imperio, qui post eum Constantinopoli imperat, monasterio sese abdiderit: habenas imperij facilè relinquens post annum alterum imperij. Hic quemadmodum Nicephorus, legatis ad Carolum magnum missis pacem fecit, hac conditione vt Veneti suis legibus ac iure viuerent: immunitate his seruata, quam ad eam diem retinuerant. Egn. lib. 2.





LEO Armenius,huius nominis Cõstantinopolis Imperator quintus,ac poſt Carolum magnũ Romanorum Imperatorẽ, quartus à Nicephoro,dum in oriente Michaëlis ſupradicti Imperatoris Ducẽ agit,ad imperium aſpiran s ſeditionẽ in exercitu excitat,factúſque eſt à militibus Imperator ann .mun. 4775. à Chriſto nato 8 1 3. hic vbi regiã ingreſſus eſt,Michaëlis filium abſciſſis genitalibus in exiliũ miſit. victoriam de Bulgaris retulit,Thraciã recuperauit,quàm plurimos hoſtes cepit,repreſsítque eorũ audaces conatus,qui iam Adrianopoli potiti,in Conſtantinopolim arma meditabãtur. Diuorum imagines quas ſuſtulerat ipſe,cum nollet reſtituere , noctu per inſidias dũ ſacris operatur, in ipſo templo ab imaginũ cultoribus capite truncatur,ac multis confoditur vulneribus,anno imperij octauo:vxor in monaſterium truditur , filij in exilium pelluntur. Vide Egn. lib.2.ac Coſmographiam Munſteri lib.4.& Blond.

MICHAEL Balbus prauiſſimis moribus imbutus,quíque Leonẽ prædictùm confoderat, imperat Conſtantinopoli anno mundi 4 7 8 3. à Chriſto nato 8 2 1. Hic humili ac ſordido loco natus,Thomam virum quidem obſcurum,qui tyrannidẽ inuaſerat,vario primùm rerum euentu aggreſſus,tandem oppreſſit: cùm prius eò deſperationis deductus eſſet,vt ex arce Conſtantini ad Peram,oppidulum,ferream catenã produxiſſet. Itaque traditum ſibi Thomã,qui Adrianopolim ſe receperat,manibus pedibúſq; truncauit,multíſque cruciatibus affectum,tandẽ iugulauit. Saraceni hoc principe Cretam occupant, totámq; ferè in ditionẽ redigunt,Græcos duplici vincunt prælio. Obiit Michaël vẽtris profluuio anno imperij nono. Vetus oraculum innotuit,*tum rem Romanam ruiturã,cùm & Balbus & auariſsimus princeps imperaret.* Vide vt ſupra.





CAROLVS-MAGNVS, Francorum Rex, vicesimus quartus, scito Romani populi, clerique rogatu, Romanorũ Imperator dicitur, ob egregia in Christianum nomen, & Romanã sedem merita: inunctúsque cum Pipino filio à Papa Leone tertio Augustus consecratur, anno mundi 4762. à Christo nato 800. acclamatúmque est ter à populo Romano: *Carolo Augusto à Deo coronato, Magno, & pacifico, vita & victoria.* Hic Pipini filius fuit (eius qui huius nominis primus Francorũ Rex primus item Christianissimus vocatus est) filiúmq; Pipinum alterum suscepit ex Hildegrãde. Carolus & Nicephorus diuiserũt imperium: hic Oriẽtis, ille Occidẽtis Imperator est dictus: sub regni initia bello defunctus Aquitanico, Longobardorum regnum, capto eorum Rege, Francico nomini subegit. Saxones sæpe rebellantes, tricẽnali tandem bello vicit: & vera pietate imbuit, Saracenos, Hispaniam ferè omnem vastantes, intra Beticæ angulum cõpulit. Sclauos, Danos, & Boiarios tumultuantes, in ditionem suam redegit. Hunnicum bellum octauo pòst anno feliciter cõfecit. Moritur anno ætatis 71. regni 46. imperij 13. obiit febre, atque Aquisgrani sepultus est: vocatus est Magnus à magnanimitate, sicut & ante eum Pompeius & Alexander hoc nomine, magni, donati sunt. Parisiense gymnasium & Papiense viris vndique doctis accersitis, instituit: templa diuis erexit: iniurias illatas ciuili animo tulit: in hostes raro acerbè sæuiit. His meritis ad hæc vsque tempora à multis vt cœlitum vnus colitur. Æmy. li. 2. Egn. lib. 3. Ab. Vrsper. lib. 4. Hic synodos quinque pro statu ecclesiastico celebrauit.

HILDEGRANDIS Sueuæ nobilitatis princeps, Caroli-Magni vxor secunda fuit, ex qua Carolum, Pipinum, & Lodoicum sustulit.





LVDOVICVS Pius, patri Carolo Magno ſuccedit, imperátque Romæ & Franciæ anno mundi 4776. à Chriſto nato 814. à pietate, cognominatus eſt Pius. Dacicum bellum conficit: nec multò poſt Bernardũ Pipini fratris filium, in Italia res nouas molientẽ, capite plectit. Coniurarunt in eum filij eius, & optimates, maximè verò prælati, in quos non alia animaduerſione vſus eſt, quàm quòd in monaſteria eos intruſit. Synodum habuit in qua vanitates veſtium, luxúmq; gemmarũ, & auri & argẽti nimia pompa eccleſiaſticis ſunt interdicta. A filiis tribus imperio præter ſpẽ deturbatur, & in cœnobiũ truditur, imperiúmque eiurare cogitur, tãquam in Carolum natu minimum propenſior eſſet, ſed tumultuãte optimo quoque, eodem anno reſtituitur. Lotarius filius in Italiam pedẽ refert: data fide ad patrem redit, reconciliatur: eíq; pater imperij dignitatẽ, regníque tribuit coronam. Obiit Ludouicus Maguntiæ anno ætatis 64. imperij 26. in Mediomatricibus ſepultus eſt. Vide Gaguin. li. 4. Egna. lib. 3.

IVDITH Comitis Altorf filia, & Ludouici Pij vxor, ſuſcepit ex eo Carolũ Caluum: hanc Ludouicus Pius maritus repudiauit, ac poſtea recepit: inde concitati prioris vxoris filij, odiũ in patrem aluerunt: eúmque in monaſterium intruſerunt. Vide Chronica Regum Francicorum.





THEOPHILVS Michaëlis Balbi filius, poſt patrem imperat Conſtantinopoli anno mundi 4792. à Chriſto nato 830. Hic erga ſubditos iuſtum ac æquum ſe præſtitit, diuorũ autem imagines execratus eſt, eorúmque cultores acriter puniuit, patrem imitatus. Cum Saracenis Aſiæ prouincias vaſtantibus, bis congreſſus, bis victus eſt, caſtríſque exutus. Amorium, vnde illi genus, ab iis obſeſſum, ac proditione captum, direptũ eſt. inde ob animi mœrorẽ ab omni cibo ille abſtinẽs, ſolámque aquam frigidam potans, in dyſenteriam incidit, qua periit poſt annum imperij decimumquintum. Vide vt ſupra, in huius Imperatoris patre.

MICHAEL Theophili filius, ſucceſſit patri adhuc infans, & ſub tutela matris Theodoræ, quæ pro filio imperiũ adminiſtrauit Conſtantinopolitanum anno mundi 4807. à Chriſto nato 845. Michaël autem adoleſcentiam vbi attigit, regni negocia tractare cœpit, ceſsítq; ei mater. Hic auo quàm patri ſimilior, per ignauiam ac prodigalitatẽ rem afflixit: irruẽtibus ſubinde multis bellis, à curſu equorũ in quem omne ſtudium collocarat, auocari non potuit. Circẽſibus itaque ludis dum plus nimio indulget, Baſilium Macedonẽ Barda interfecto conſortem imperij aſciuit: à quo mox occiſus eſt, cùm imperaſſet annis tredecim. Vide Blondum lib. 2. Deca. 2. Baptiſt. Egna. lib. Ro. principum 2. & Coſmog. Mun. lib. 4.





LOTARIVS post patrem Ludouicum Pium Romæ imperat anno mundi 4802. à Christo nato 840. hic paterna diuisione inter filios minimè contentus, omnia sibi, tanquam natu maximo, & Imperatori à patre declarato, vendicabat. Bellum inter fratres vtrinque atrox & cruentum die paschæ, dum vterque alteri insidias parat, committitur ad Fontoniacum in Altissiodorensibus: tot hominum millia vtrinque cecidere, vt conuulsæ prope sint imperij vires: victus tamen est Lotarius à Carolo Caluo: qui cùm bellum iterum repararent, iterum fusi, pacem petiere: quadraginta vtrinque dictis arbitris, fœdus ineunt: imperij titulo, Lotario Italia, cum Prouincia, & Lotaringia, ab se sic dicta, cessit: Ludouico Germania, Carolo Francia, quæ Britannicum Oceanum & Mosam terminos haberet. Huic Carolo Francici nominis primo, separatim contigit quod veræ Franciæ regnum nunc dicitur: nam Carolus Magnus, & qui præcesserant, Germanicum quiddam referebant. Lotarius Ludouicum filium in consortem imperij assumpsit: & post aliquot annos imperio se abdicans, monasticam vitam vixit, tædio (vt opinantur) rerum aduersarum. Imperat Lotarius annos 15. Vide Blond. Aemy. lib. 3. Egna. lib. 3.

LVDOVICVS Lotarij filius, post patrem Romæ imperat: inter eum, & Carolum Caluum patruum, minimè conueniebat, propter Austrasiam quæ Lotarij fuerat, quam tamen sibi Caluus vendicabat: sed compositis rebus, cum imperasset annos 21. moritur, superstite filio Ludouico. Vide Egn. lib. 3.





BASILIVS Macedo, qui Michaëlem occiderat, eiusdem imperium occupauit Constantinopolitanum, anno mundi 4831. à Christo nato 869. Hic in pueritia captiuus inter venales Constantinopolim adductus fuerat: præfuit tamen, & eo rerum successu, vt ad eius nepotes imperij maiestas transierit. Adepto imperio, Michaëlis largitiones ita reuocauit, vt dimidium eorum quæ quisque acceperat, ærario inferret. Treis libe ros imperij hæredes instituit: deinde plurima cum Saracenis gessit bella, victoria plerunque potitus: multos Iudæos ac Scythas ad Christum perduxit. Anno imperij 17. à ceruo in venatione cornu ictus, mox periit, vir frugi, & quem principem non contemnas. Vide Liut. li. 1. Egna. lib. 2. Cosmog. Mun. lib. 4.

LEO Basilij filius, huius nominis Imperator sextus, Constantinopoli imperat anno mundi 4848. à Christo nato 886. Bulgaros desciscentes, Turcarum auxilio primò vicit: postea ab his per inanes inducias delusus, magna ipse clade affectus est: inde in Saracenos classe comparata, Nicetæ ductu insignem adeptus est victoriam. Philosophus fuit, literarum omnium, Astrologiæ in primis studiosus, qua etiam filium Constantinum imperaturum prędixit, ac diuinauit: in rep. moderan da, ac vrbe custodienda sollicitum ac solertem se præstitit. Huius prouidentiam ac vigilantiam pro Reipub. salute, describit Liuthprãdus, qui à Basilio Imperatore ad Nicephorũ Phocam, historiam rerum per Europam conscripsit. Hic Leo vt vigilum siue custodiarum vrbis fidem experiretur, noctu solus è regia mutato habitu sese proripuit: à primis custodibus numerata se liberat pecunia, ab aliis verò, pugnis, flagrísque cæsus, in carcerem truditur: hos postea muneribus donat, illos autem bonis exutos expellit. Vide vt supra.





CAROLVS Caluus Ludouici Pij filius, Francorum Rex vigeſimus ſextus, mortuo Ludouico ſecundo huius nominis, Imperatore, Lotarij filio, Italiam petit: à Ioanne Pontifice huius nominis octauo, corona imperij donatur, anno mundi 4838. à Chriſto nato 876. Hic antea cum Britonibus & Normanis varia fortuna dimicauerat: nam Normani Danis finitimi, qui à Carolo magno debellati fuerant, ditionem Caroli Calui infeſtarunt, & piraticam exercentes, Nannetes vſque peruolarunt moleſtis incurſionibus: contra quos Carolus annis ferè decem pugnauit. tandem fortiter apud Andegauum, quod ceperant, obſeſſi, pecunia ſe redimunt. Carolus in Seracenos mouens, facile conatus eorum repreſsit: inde in Galliam reuerſus, breui Italiam repetit: aduerſus quem dum Ludouici Imperatoris filij bellum parant, ipſe curis confectus, & Mantuæ morbo correptus, veneno à Sedechia, medico Iudaici ſanguinis, dato, moritur anno regni ſui Francici triceſimo octauo, imperij verò, ſecundo. Nec tradunt autores quo ſolicitatore, corruptoréque id ſceleris perpetrarit Hebræus ille: neque an ſæuitum in eum ſit, vt domeſticis magis inſidiis quàm externis petitus videatur Caluus: qui impotentiæ, ſuperbiæque à ſuis inſimulabatur: & quòd contemptis patriis moribus, cultu in externos ritus degeneraſſet: ita dum oculis hominum auguſtiorem ſe facit, pectoribus inuiſus fuit. Paul. Æmyl. de rebus Francorum lib. 3. Bap. Egna. Rom. prin. lib. 3.





LVDOVICVS Balbus Caroli Calui filius, à Papa Ioanne huius nominis octauo, qui in Galliam se contulerat, coronam imperij accipit anno mundi 4840. à Christo nato 878. Hic Papa præter Italiæ multorum principum voluntatem solus titulum imperij Balbo asseruit: nam è custodia fugiens, cui Romani illum incluserant, & in Galliam contendens, ratum Balbo imperium suo assensu fecit: quod tamen valetudinarius princeps biennio vix obtinuit. Hic paruam expeditionem in Cenomanos fecit, ac Gotthofredi Cenomanensium comitis filios præfractos quidem, ac patri, ipsi denique Imperatori minus obsecundantes ad obseruantiam compulit: interminatus nisi ad officium redirent, vltima passuros. Obiit Compendij, quo die Christus passus est: vxorem reliquit grauidam, quæ Simplicem peperit: cui Odo Roberti Andium Ducis filius, in spem ventris, fuit à patre tutor designatus. Æmy. lib. 3. Egna. lib. 3. Chron. Reg. Franc.

LVDOVICVS Carolomanúsque fratres, Balbi ex pellice filij, Franciæ regnum obtinent anno mundi 4842. à Christo nato 880. Hi duo nothi initio feliciter rem gerunt aduersus Normanos & Danos, qui numeroso exercitu, igni ferróque Galliam per quinquennium vastabant. Carolomanus in equo ludibundus dum refugientem domum puellam insequitur, impetu equi intra humile ostium illatus, corporis compagem soluit, Lugdouicus aprum venabulo premens, intorto aliundè telo transfigitur: hic anno regni quarto, ille quinto: Porrò Carolomanus, quòd natu maior esset, Rex præ altero censetur. Consulito Æmyl. lib. 3.





LVDOVICVS nihili, mortuo patre Carolomano coronam regni Franciæ ſuſcipit, anno mundi 4846. à Chriſto nato 884. hunc non annumerat Paulus Æmylius in ſerie regũ Franciæ, vel quòd eundem hunc putet cum Carolo Simplice, Balbi poſthumo cuius ſimplicitas hic, ſub nomine Ludouici nihili, interpoſita ſit: (nam etiam hic attentioribus turbata & confuſa videtur hiſtoria) vel quòd huius Ludouici loco (ſi quidem alter ſit ab illo Simplice) ob ignauiam quaſi reiecti, cenſeatur potius Carolus Craſſus, qui Romæ tunc imperabat, Franciæ quoque Rex: nam & is Carolus regnum etiam optimè dicitur adminiſtraſſe, ab Italia euocatus, vt ſtatim dicetur. Fertur Ludouicus hic pulſus fuiſſe regno, anno quinto: cuius regni annos quinque in Carolum Craſſum, ob eam quam diximus cauſam, transferimus. Gag. li. 5.

CAROLVS, cognomento groſſus, ſiue craſſus, Ludouici 2. Germaniæ regis filius, Romæ imperat poſt Balbũ, anno mundi 4842. à Chriſto nato 880. hic cùm ſubſidio opus eſſet Italis contra Saracenos, à Papa Ioanne octauo, neceſſitate compulſo, è Germania accerſitus, profligatis Saracenis, imperialem coronam accipit. Accerſitus à Francis aduerſus Normanos, Franciæ Rex appellatur. Neuſtrij publicè detrectabant imperiũ: pacem cum eis compoſuit: ídque Neuſtriæ, quod nunc Normania eſt, nomine à nouis incolis indito, incolendum eis dedit. Exin qui iuuenis mira indole fuerat, adeo degenerauit ab illa Caroli Magni ſtirpe, vt quòd rebus ſuis, publicíſque团 ſupereſſe non poſſet, curator ei daretur, nouo exemplo fratris filius patruo: is eſt Arnulphus. Aemy. Egna. lib. 3. imperat annis 10.





ODO, Roberti Andium Ducis filius, alienus à Genere Caroli Magni, tutórque Caroli Simplicis, iussus regnat apud Francos post Carolum Crassum, anno mundi 4852. à Christo nato 890. nec obstitit Arnulphus Crasſi curator, & Augustus Imperator salutatus, qui regnũ occupare satagebat. Is Odo aduersus Normanos prçclarè se gessit. Franci biennio postquã Odonem Regem salutarũt, in Aquitania omnino eum regnare iubent, assumpto Rege, ante tempus, Simplice adolescẽtulo: id æmulatione factũ putarim: multi enim pro vno tutores exorti sunt, atque armis in Odonem actum ac decertatum est: aduersus quem Arnulphus Augustus accersitus est: virtute tamen, opibus, fortunáque superior Odo euasit. Odo in Galliam attulit nobile illud signum innumeris sparsum liliis, quod ad Caroli sexti tempora durauit. numerantur anni regni huius nouem. Vide Aemy.lib.3.& Gag. Chro.lib.5. moriens Odo pupillo Simplici regnum restitui iusſit.

CAROLVS Simplex, Balbi filius, post Odonẽ tunc demum dicitur regnasse apud Francos, nempe anno mundi 4861. à Christo nato 899. huic pupillo coram proceribus regnũ iubet restitui Odo animam agens. hoc Rege finitum est bellum Normanicum: Rhollo primus Normaniç Dux factus est. Tot rerum fluctus in Gallia extitere à Balbo ad Simplicem, vt vix certò sciri posſit quis potisſimum regnarit. Robertus Odonis frater, regni æmulus, aduersus Simplicẽ pugnans occiditur. Herbertus, cuius sororem in vxorem duxerat Robertus, Simplicem ad se in speciem rei componendæ accersit, & in carcerem Peronæ coniicit: vbi post annos tres moritur, ac Peronæ sepelitur. Aemyl. lib.3. regnat annis 27. fuítque iuxta nostram supputationem 32. Francorum Rex.





ARNVLPHVS, Carlomani filius, patruo Carolo crasso, cui curator datus fuerat (nempe nouo ac inusitato modo nepos patruo) succedit in imperio Romano anno mundi 4852. à Christo nato 890. eodem nempe anno quo Odo apud Francos regnat. Hic Normanos strenuè superat: mox in rapinas conuersus, iusta numinũ ira plectitur: nam pediculari morbo confectus obiit, anno imperij 12. Vltimus hic è Caroli Magni prosapia imperat Romæ: in eóque imperij maiestas deficit ad Germanos, quæ per centum annos apud Francos steterat: sub quorum principatu Francorum, adeò floruit, vt vetera tẽpora non desideres. imperat annis duodecim. Vide Baptistam Egn. libro Romanorum principum sexto.

LVDOVICVS à Gallis & Germanis successor Arnulpho patri creatur, anno mundi 4864. à Christo nato 902. imperat annis decem in Germania & Galliis, puta Lotaringiæ. aduersus Berengarium bellum mouit, quem primò vicit: deinde Veronæ victus, luminibus priuatur. Imperat annis decem. Hic grauiter prostrauit Hungaros Germaniam vastantes. Sed ab illis postea vicissim victus est, coronam accepisse nusquam legitur. Vide Chron. Imperatorum, & Carionem lib. 3.







BERENGARIVS hoc nomine primus, Foroiulij Princeps, ex genere Longobardorum, Arnulpho successor in imperio ab Italis creatur, eodem anno quo Ludouicus, de quo proximè, à Gallis & Germanis. Itali siquidem assiduis barbarorũ incursionibus vexati, ius antiquum, & veterẽ imperij gloriã amittere nolentes, hunc sibi præfecerũt: fuit ingenio & re bellica potens. Guidonem Spoletinum Ducem interfecit. imperat annos ferè quinque. Videto Chro. Impe. Scribit Ioannes Carion lib. 3. hunc Berengarium collectis ingentibus copiis aduersus Hungaros quanquàm infeliciter pugnasset, attamen ex ea expeditione tantã nominis existimationem consecutũ esse, vt postea Cæsarem se voluerit nominari. Chronica Phry. referunt hunc Berengarium ad Arnolphi Imperatoris Romani tẽpora. Cæterum imperij Romani maiestas in Arnulpho defecit, quæ tanta indole à Carolo magno quæsita fuerat, & ad Germanos translata est. terra certè Itala sub Gallorum principatu adeò floruit, vt vetera Romanorum principum tempora minimè desiderares: sed & anni sexaginta vsque ad Othonem primum Saxonũ Regem, quibus nullũ non calamitatis genus sensit Rom. imperium, ac terra Itala, effecere vt Gallicum nomen desiderabilius foret. Vide Egn. li. 3.

BERENGARIVS secundus priori succedit anno mundi 4868. à Christo nato 906. Hic post tertium aut quartum annum à Rudolpho Burgundo Rege pellitur. Vide vt supra.





ALEXANDER Leonis supradicti Imperatoris frater, eidē in imperio Constātinopolitano succesit, anno mun. 4866. à Christo nato 904. Hic & Basilio patri, & Leoni fratri dissimilis, luxu & delitiis perditus, annum & mēsem imperauit: turpissimum quēque rebus præfecit: erumpēte tandē è naribus & pudendis toto die sanguine, ob crapulam ac ludum pilæ intempestiuū, obiit. Vide vt supra, vbi de patre ac fratre huius memini.

CONSTANTINVS Leonis supradicti filius, septennis à patre sub matris tutela relictus est, imperauit Constātinopoli post patruum Alexandrum prædictum anno mundi 4867. à Christo nato 905. Huic Romanus quidā Lecapenus insidias tetendit, vtque eū omnino imperio deturbaret, nullū non lapidē mouit: frustratus tamen spe sua, à propriis filiis captus, ac in monasterium trusus est, qui antea matrē Constantini Zoen, in monasterium truserat. Cùm autē hi Romani Lecapeni filij idē Constantino facere tentarēt, capti ipsimet, & tonsi in monasteriū detrusi sunt. Constantinus itaque qui à Romano vitrico multis annis oppressus fuerat, monarchiam sic recuperat, solúsque prudenter satis administrat, tyrannis quibusdam oppressis, Turcarúmq; principibus aliquot, Christianam amplectentibus pietatem. Hic literas penè extinctas ab interitu vindicauit. Librum filio Romano, qui alter est à Romano Lecapeno, reliquit: in quo totius imperij summam, sociorum fœdera, hostium vires rationes, & consilia aperuit, quem Veneti in bibliotheca vt thesaurum adseruant: nam & multa de Venetorum rebus differit liber ille. Vide vt supra. Imperauit Constātinus hic, tam solus, quàm cum Romano Lecapeno annos 55.





CVNRADVS Ludouici, Arnulphi filij, ex fratre nepos, vltimus ex nobilissima posteritate Caroli Magni, Germaniæ Rex, Cæsar designatur anno mundi 4873. à Christo nato 911. nec tamen à Pontifice coronatur. Hic Hũgaros, quos instigarat Berengarius (qui Imperatoris sibi nomen in Italia vsurpabat) vt iterum Germaniam depopularentur, superauit, Othonis Saxonũ ducis præsidio: cuius filius Henricus à Cunrado morituro Imperator declaratur. Consulito Chron.

HENRICVS Saxonum Dux, supradicti Othonis filius, in Germanorum imperio succedit, defuncto Cunrado anno mundi 4881. à Christo nato 919. tũc imperium à Caroli magni posteris ad Saxones translatum est. Hic Hungaros vicit, Sclauos subegit; Dalmatas tributarios fecit: Boemos imperij legibus subiecit, quadragintamillia Hungarorum apud Meresburgum prostrauit: Brãdeburgum cepit: Vandalos subegit ad mare vsque (hi Christianã religionem tunc amplexi sunt) toti Germaniæ summam tranquillitatẽ peperit: hic cognomẽto auceps, iam morti proximus successorem imperij instituit Othonem filium suum, cũ ipse imperasset annos octodecim. Vide Liuthp. lib. 2. ca. 9. Vuitich. lib. 1.







BERENGARIVS tertius, in Italiam accersitus anno mundi 4872. à Christo nato 910. vnà cum filio Adalberto Italiæ regnum administrauit. Sed cùm tyrannũ verius quàm principem ageret, accersitur à Romanis Otho, cuius tunc nomẽ ac pietas celebris erat, qui Berengarium cum filio Italia expulit. Vide Bapt. Egna. lib.3. & Carionem lib. item tertio.

OTHO Henrici supradicti Saxonum Ducis filius, in Italiã accersitus, cum quinquaginta millibus armatorum venit: Berengarium, eiúsque filium ad obsequium retrahit: quos, data venia, magna Galliæ Cisalpinæ parte donat. Romam inde profectus, à populo Imperator & Augustus salutatur, à Pontifice coronatur anno mundi 4923. à Christo nato 961. iámque annos 25. Rex Germaniæ extiterat, succedens Henrico patri. Hic Otho conscripto excercitu Franciam intrauit, cuius Regem Ludouicum à Normanis proditum, & in carcerem coniectum, libertati regnóque restituit. Berengarium cum filio res nouas iterum molientes, facilè vicit: captósque alterum Bizantij, alterum in Austriam relegauit. Huic, cum administrasset annos 36. sucesſit eiusdem nominis filius, quem etiam pater Romam vocatum, Imperatorem designarat. Vide Egn. lib.3. Aemy. lib.3. Vuit. lib.2. Luithpr. lib.6. ca.6.







ROMANVS Lecapenus obscuro genere natus, insidias Constantino parauit, imperiíque Constantinopolitani socius ac particeps ab eodem necessariò adscitus est eodem quo regnare cœpit Constantinus anno, vti supra videre est: Helenámque Constantini filiam, pulsa matre Zoë vxorem habuit. Nec tamen iusiurandum sanctissimum quod præstiterat Lecapenus nec gener Constantinus obstitit, quo minus imperium & sibi & Christophoro filio idem Lecapenus assereret. Cum autem aduersus Bulgaros, Simeonémque eorum ducem, infeliciter congressus esset, à Stephano & Constantino, filiis suis captus, imperio exuitur, & in vicinam insulam in monasterium ad Philosophandum relegatur. At cum iidem ipsi aduersus Constantinum Leonis filium idem molirentur, in laqueum quem tetenderant incidunt, nam & ipsimet, Lecapeni inquam filij, monasterio mancipantur. Imperauit Romanus Lecapenus annos 39. Vide Liuthprandum lib. 5. ca. 9. 10. & 11. Egna. lib. 2. Cosmog. Munst. lib. 4.

ROMANVS Constantini, Leonis filij, filius iunior, post patrem imperium suscepit Constantinopolitanum, quod tamen alieno rexit arbitrio, nempe Nicephori Phocæ, de quo statim meminerimus, vbi & annorum supputationem inferam, non hîc ne bis id faciam. Fuit Romanus hic foris aduersus Saracenos Cretam occupantes, & Turcas Asiam vastantes, Nicephori ductu felix: domi in matrem ac sorores impius, vt regia eiectæ, ob mœrorem quòd regio essent exutæ vestitu, quæstum fecerint meretricium: ipse ludis ac crapulæ deditus, anno imperij decimo, veneno potionatur. Vide vt supra.





RODVLPHVS post Carolum Simplicem Franciæ trigesimus tertius Rex imperat, anno mundi 4888. à Christo nato 926. Nam dum anceps fertur Carolus Simplex in potestatem Herberti Veromandui, Peronam profectus, præsidio custodibúsque circunfusis, adducitur, & velut cogitur vt regni iure cedere se in procerum concilio profiteatur, illúdque dono dare huic Rodulpho Burgundiæ Regi, Richardi filio, post Ludouicum in Italia captum, luminibúsque orbatum. Hic imperij veluti vagi ac in medio positi spem affectans, in Italiam transcendit, Berengarióque victo, rerum illarum magna ex parte triennium potitur. At verò mortuo in custodia Simplice, cùm Italos iam eius pœniteret, in Galliam rediit. Continuo Hugo Arelatensium Rex, in Italiam tanquam vacuam possessionem, spe imperij se contulit: quòd Prouinciæ Regibus Italiam deberi diceret, Gallis, Germanísque ac Italis de imperio decertantibus. Regnat in Francia Rudolphus Burgundio, annos duos: alij dicunt 12. Ad fanum D. Columbæ apud Senonas sepultus est. Vide Chro.Reg.Franc.

LVDOVICVS, huius nominis quartus, Simplicis filius, ex Anglia, quo se ad auunculum Regem cum Ogenia seu Oginia matre post comprehensum ab Herberto patrem, cõtulerat, reuocatur: inde huic Transmarino cognomen est: regnátque apud Francos anno mundi 4890. à Christo nato 928. De regno fuit inter ipsum & Rodulphum controuersia: Rodulphus moritur anno regni huius nono. Rex aduersus Othonem Cæsarem, in Lotaringiam bellum mouet: Gerberga Gisleberti vidua Othonis soror nubit Regi. Hugo Roberti filius, Regi facessit negocium: cuius opera quidam aiunt Regem à Normanis captum, & Laudunum in carcerem ductum, vnde eum liberat Otho. Regnat Ludouicus annis 27. Apud Remos sepultus est. Vide vt supra





LOTARIVS, Ludouici transmarini filius, post patrem apud Francos regnat anno mundi 4917. à Christo nato 955. Hic Imperatorem Othonem huius nominis secundum, bello adortus, penè opprimit: is vicissim ab octobri ad decembrem Regem persecutus, præter templa, résque sacras nihil non funditus euertit Lutetiam vsque: sed pedem cum suis referre coactus, eruptione ciuium ac præsidij, fortissimos suorum, & nobilissimos amisit. Mox ad colloquium cõgressis Rege & Cæsare, in possessione Lotaringiæ Carolus Regis frater perseuerauit, sed angustioribus finibus descripta quàm ante fuisset. Mortuo Othone secundo, imperij anno decimo, successit Otho tertius. Tunc Francus repetito Lotaringico bello, Viriduum, eiúsque oppidi Comitem Gothofredum capit: sed supremis suis diebus Cæsari Comitem, Comiti opes restituit. Regnat Lotarius hic annos 31. Obiit, sepultúsque est Remis. Vide Æmy. lib. 3. & chro. Reg. Francicorum.

LVDOVICVS huius nominis quintus, supradicti Lotarij filius, mortuo patre, apud Françços regnat anno mun. 4948. à Christo nato 986. vltimus hic ex agnatione Caroli magni regnat: nam cum is annum omnino regnasset, veneno periit, Compendiique sepultus est, cui Capetus subrogatur. Ita tertium stemma in solio locatur, haudquaquam Francis pœnitendum: nempe Pipini, Martelli, & Capeti. Vide Æmy. lib. 3. huius Capeti agnatio ad hæc vsque nostra tempora feliciter perdurat. Cæterum à Faramundo ad vsque Hugonem Capetum anni sunt 568. à Clodoueo Christiano 487. à Pipino 237. Vide vt supra.





NICEPHORVS Phocas Constantinopoli imperat anno mundi 4922. à Christo nato 960. Cum Saracenis sæpe ac feliciter congressus est, qui Calabriam, Siciliam, Candiam, Ciliciã & Cyprum occuparant: in Sicilia res haud ita bene per duces acta est: ipse Ciliciam, & bonam Asiæ partem lætis recepit auspiciis: mox Antiochiam noctu aggressus, pulsis Saracenis imperio eam adiecit. Inuisus omnibus fuit, quòd bellorum prætextu nouis tributis & exactionibus populum expilaret, numismata adulteraret, ac pondus imminueret: quare odiosus ciuibus, facile à Ioanne Zimisce, noctu dormiens in cubili occiditur: intromittente etiam sicarios, Theophania Nicephori vxore. imperat annos decem. Vide Egnat. Ro. prin. lib. 2. & Cosmograp. Mun. de Græcia lib. 4.

IOANNES Zimisces occiso, vt dixi, Nicephoro, post eũ imperat Constantinopoli, an. mun. 4932. à Christo nato 970. Hic clarus antea militari laude, in Roxolanos feliciter mouet, Bulgariámque totam, quam sibi Roxolani vendicabant, imperio subiicit, Sphendoslauo eorum Rege ad deditionem coacto. Basilium & Constantinum fratres, Romani secundi supradicti filios, Cæsares facit, ac imperij consortes creat: Nicephoro deditos è medio tollit: & damnatos exilio ab eodem, reducit. At mox parta de Roxolanis victoria, cum triũphantis specie Constantinopolim ingressus esset, veneno potatur, post annum imperij sextum. Vide vt supra.





OTHO iunior,siue Otho huius nominis secundus, superioris Othonis filius, patri Romanorum Imperatori succedit anno mundi 4935.à Christo nato 973.attamen à patre iam ante sex annos fuerat Imperator creatus: cuius etiam opera Saracenos,Græcósque Calabria expulerat. Hic mortuo patre Henricum Bauariæ Ducem nouis rebus studentem, debellauit: atque aduersus Lotarium Francorum Regem, qui sibi Lotaringiam asserebat, Galliam ingressus, fœdis populationibus eam vastauit. At dum reuertitur, in Axonæ fluuij transitu graui incommodo à Frãcis afficitur, quibusdam ex suis militibus vorticibus absorptis, pluribus ab insequente hoste interfectis. Dum in Italiam festinat ad famam Græcorum principum, qui Saraceno etiam milite instructi Italiam sibi vendicabant, vincitur: ac scapha conscensa,à piratis captus, in Siciliam ducitur: liberatus, omnem in Beneuentanos iram, quòd signa deseruissent, effundit: ciuitatem capit, spoliat, incendit. Tandem fato concessit, cum imperasset solus post patrem annos decem. Consulito Blond.lib.3.Deca.2.Egna.lib.3.Ab.Vrsper.

THEOPHANIA vxor huius Othonis secundi filia fuit Nicephori Græcorum Imperatoris, quem regno pulsum, restituit,& confirmauit Otho. Vide Sup.Chro.lib.12.







BASILIVS & Conſtantinus fratres, Romani iunioris filij, poſt Ioannē Zimiſcen Conſtātinopoli imperant anno mundi 4938. à Chriſto nato 976. nulliq́ue diuturnius imperarunt, nam annos 53. præfuerunt: ille 50. hic treis etiam ſolus, poſt fratrem: & ne ſine ciuili bello rem tranſigerent Baldæ Scleri ambitio effecit, quem imperium inuadentem, victum ad Perſas fugarunt: poſtea Phocam, ægrè ferentem ſe contemni poſt rem in Sclerum ſe duce egregiè nauatam, in acie cæſum, ac tyrannidem vſurpantem ſuperarunt. Inde Bulgari victi ſunt prælijs aliquot: horum 15. milibus captis oculos eruit Baſilius, vno tantùm incolumi, qui ad Samuelem eorũ Ducem præiret: idq; ad compeſcendam eorum perfidiam, qui Thraciam, Macedoniam & Græciam flammis & ferro vaſtarāt. Tunc demum Bulgaria tota ſubditur imperio Conſtantinopolitano, quæ in illũ vſque diē ſemper rebellarat: mœrore ob id confectus Samuel, nō ita diu vixit. Obiit autem ſeptuagenario maior Baſilius, cui per treis annos ſucceſsit Conſtātinus frater, qui cum eo dignitatis potius quàm potentiæ particeps fuerat: hic totus deliciis diffluens, gulæ, veneri ac ludis operam dedit. Vide Egna. lib. 2. Coſmog. Munſt. lib. 4.

ROMANVS Argyropylus Conſtantini, de quo hîc memini, gener, eidem vitrico ſucceſsit in imperio, anno mundi 4991. à Chriſto nato 1029. hic ſub initia, liberalis fuit: verùm cũ parum ex ſententia illi ceſsiſſet in Saracenos expeditio, ſtatim ignauiæ ac pecuniæ corradendæ ſe totum tradidit. Zoæ vxoris ſalaciſsimæ ac ſterilis inſidiis, & Michaelis Paphlagonis adulteri, dolo intra balneas immerſus obiit, anno imperij ſexto. Vide vt ſupra.





OTHO tertius, ſecundi Othonis ſupradicti filius, poſt patrem imperat anno mundi 4945. à Chriſto nato 983. ætate puer erat vixdum annum duodecimum egreſſus, cum moreretur pater: quare Henricus Bauariæ Dux, cognatus eius, ſeruandum eum Romæ curauit, & iterum cœpit imperij dignitatem ſibi vſurpare. Itali plerique Creſcentium declarandũ Cæſarem cenſebant, vt ad Italos imperij maieſtas rediret: ſed fideles erga dominũ ſuum Germani, hunc Othonem Cæſarem creant: hic iam natus annos 28. eo fuit ingenio præditus, vt mirabilia mundi vocaretur. hic Brunonem Saxonem cognatum ſuum, Gregorium quintum appellatum, Pontificem creat, qui à populo Romano minis & maledictis ex vrbe pellitur. Creſcentius Numentanus Conſulem ſe Romanum titulo præferens, vrbis dominium ante cœperat: Romam itaque ingentibus copiis accintus aduolat Otho. Papa Ioannes 18. quem Romani deſignarant, cũ Creſcentio fugit. Creſcentius captus interficitur, prius naſo & auribus truncis retrorſum aſino impoſitus. Ioannes Papa exoculatur: ſedi Gregorius priſtinæ reſtituitur: qui ſtatim ſanctionem eam tulit, quæ in hunc vſque diem durat, in hæc verba: *Imperatorum nullus hæreditariam dignitatem vendicato. Principes ſex, ſacri ordinis tres, profani totidem eum deligunto: hi ſi diſcordes fuerint, Bohemiæ Regem coaptanto.* Egna. lib 3. Blon. lib. 3. decade 2. Imperauit hic Otho tertius, annos 19. vixit 30. miſſóque per inſidias à Creſcentij vxore veneno, necatus eſt, ac Auguſtæ ſepultus.

MARIA, Regis Arragonum filia, vxor fuit huius Othonis tertij, intemperans quidem mulier, vti autorũ ſcripta teſtantur.





HVGO Capetus Parisiorum Comes, mortuo sine liberis Ludouico huius nominis quinto Francorum Rege, Lotaringię Ducem ac Lotarij Regis fratrem, Franciæ regno inhiantem, repressit, atque ex insidiis cepit: deinde vi & militum fauore, Hugo primùm Nouioduni Rex salutatur, mox Remis consecratur, anno mundi 4949. à Christo nato 987. Hic cùm annum solus regnasset, Robertum filium, liberalioribus literis institutum, Aureliani coronandum curauit. Nam ipse Hugo neque diademate, neque regiis insignibus vnquam, sed tantum vi & armis vsus est. Regnat, tam solus quàm cum filio Roberto, annis nouem. Vide Æmy. lib. 3. Chron. Reg. Franc. Sabaudiæ domus apud Allobrogas, hoc Rege in Comitatum primùm erigitur. Gag. lib. 5.

ROBERTVS, Hugonis Capeti filius, succedit patri, & solus apud Francos regnat anno mundi 4958. à Christo nato 996. Henricus Dux Burgundiæ, quòd liberos nullos suscepisset, Ducatum suum Regi testamento legat: quem confestim Rex Hugonis filio eiusdem nominis Roberti, tradit: eúmque mittit aduersus Landricum Niuernensem Comitem Burgundionibus acceptissimum. Senonum vrbs ob Comitis Reginaldi scelus, Regis patrimonio adiicitur. Rex cum Ricardo Normanię Duce Valentianas proficiscitur, opem laturus Balduino Flandriæ Comiti, quas is contra Henricum Imperatorem occupauerat. Aduentu Francorum Cęsar soluere obsidionem cogitur: sequitur exinde incredibilis fames & pestis. Pace terris, veniáque à numine reddita, Henricus Cæsar, Robertúsq; Rex, ad Charum fluuium conueniunt, ac pacem firmant. Regnat annis 34. Vide Æmy. lib. 3.





HENRICVS huius nominis ſecundus, Bauarus, dictus Claudus Othonis primi vel filius, vel ex filio nepos (nã id ambigitur) deſignatus eſt Imperator Romanus, anno à mundo condito 4964. à Chriſto nato 1002. Romæ poſt aliquot annos coronatur. Principio Bohemos & Vandalos bello fatigatos tributarios ac ſubditos fecit: Metas & Gandauũ obſedit: Lotaringiam ac Flandriã debellauit: poſt hæc accepta Romæ imperiali corona, in Capuam mouit: Saracenos ex Italia expulit. Conſtantinopolitani Imperatoris Ducem Bubaganum, Saracenis fauentem, bello inſecutus eſt acerrimo. Troiam in Apuliæ finibus, vbi olim Annibalis caſtra fuere, à Græcis ædificatam obſedit, & per deditionem accepit. Hic Epiſcopatus Bambergenſis fundator, Bambergæ ſepultus eſt. Hungaros debellatos ad fidem Chriſtianam pertraxit, data ſorore Hungarorum Regi in matrimonium. Cunradum Francum, hoc nomine ſecundum, Cæſarem creauit, addito legitimo Electorum ſuffragio. Hunc cum vxore Cunegunda virginitatem perpetuam obſeruaſſe ſunt qui ſcribant, ac poſt mortem miraculis claruiſſe. Primus Electorum principum ſuffragiis Cæſar, iuxta Gregorij formulam deſignatur: imperátque annis 22. Vide Blon. lib. 3. deca. 2. Egna. lib. 3.

CVNEGVNDA Henrici ſecundi ſupradicti Imperatoris vxor fuit: quam caſtiſsimam fuiſſe, quinimo virginitatem perpetuam vnà cum viro obſeruaſſe, memoriæ proditum eſt. Vide autores quos ſupra.





CONRADVS Francus, huius nominis ſecundus, ſucceſſit Henrico proximè ſupradicto, Imperatórque deſignatus eſt, anno mundi 4986. à Chriſto nato 1024. Hic ſub initium imperij, cum videret turbari paſſim omnia, effecit vt in conſortium imperij filius ſuus eligeretur. Catulos Sueuos, cum Erneſto Sueuiæ Duce, compeſcuit: ad domandos Hungaros, Hungariam cum exercitu intrauit: res compoſuit. Burgundi ad eum defecerunt: vnde Burgundia diuiſa, altera quæ Campaniam attingit Francis, altera quæ Biſantinos ſpectat, Imperatori fuit ſubiecta. Lugdunum, & regnum Arelatenſe cepit, & ſubiectum ſuo imperio adminiſtrauit. Mediolanum obſedit, cúmque exitium vrbi minaretur, deterritus oraculo receſſit. Inde Romam veniens, à Pontifice coronam accepit: inſurgunt Romani, quos reprimit. Erneſtus Sueuiæ Dux, nouos iterum motus concitans, à Conrado, in regreſſu, fugatur, & confoditur: Ducatum donat Hermanno, Erneſti fratri. Imperauit Conradus annos quindecim: dicitur fuiſſe Othonis ex filia nepos, eius inquam qui Henrico Imperatori ſucceſſit. Gag. lib. 5. ſub finem. Æmyl. lib. 3. Hic magnis ſumptibus extruxit Baſilicam Spirenſem, in qua cum vxore ſua Giſela, ſeu Giſla ſepultus eſt. Vide Carionis Chron. lib. 3.

GISLA, ſiue Giſela, Regina fuit Burgundica, ex poſteritate Caroli, de qua magnæ laudes ferũtur, maritum primò hæc habuit Erneſtum Sueuiæ Ducem, ex quo duos ſuſcepit filios, Erneſtum, qui pulſus eſt, & Hermannum: poſtea in matrimonium accepit Conradum. Vide autores quos ſupra.





HENRICVS huius nominis primus, Roberti Francorum Regis filius, succedit patri, regnátque apud Francos anno mundi 4992. à Christo nato 1030. Contendit Henricus hic (minor natu, vt aiunt, sed à patre hæres nuncupatus) cum Roberto fratre, cuius partes Odo Campaniæ, & Balduinus Flandriæ Comites sequuntur: Henrici verò partes Robertus Normaniæ Dux sequitur: priores ab Henrico vincuntur: frater Robertus Ducatu Burgundiæ cõtentatur. Rodulphus TransIurensis Burgundiæ Rex, regnum Imperatori Conrado dat: Odo Campanus suum iure censet, armísque inuadit: tunc in Comitatum qui ad imperij ditionem, & in Ducatum, qui ad regiam pertineret ditionem, diuiditur Burgundia. Henricus Philippum filium Regem creandum, coronandúmque Remis curat: moriens Balduinum Flandrię Comitem filiis suis tutorem dat. Vide Aemi.lib.3.Gag.lib.5.Regnat Henricus annos triginta, & sepelitur in æde Diui Dionysij ad Parisios.

PHILIPPVS Henrici supradicti filius adulescens, succedit patri in regno Franciæ anno mundi 5022. à Christo nato 1060. Balduinus Regis tutor, simulat in Saracenos bellum, quo audaces nobilium animos reprimat. Hoc Rege è Galliis duæ illustres prodiere familiæ, quæ apud exteros duo potentissima regna erexerunt. Gulielmus nothus, Normanorum Dux, Angliam Rege cæso occupat: Gothofredus Bulionius terram sanctam, & Ierusalem postea obtinet 39. obsidionis die, anno mundi 5060. à Christo nato 1098. Obiit Philippus Meleduni, anno regni sui 49. Ad ædem Benedicti prope Ligerim sepelitur. Vide Gaguin. lib. 6.





MELLVSINA, quæ olim apud Mellam & Luſignanum dominabatur (vnde fortè Melluſinæ nomen accepit) Comitis cuiuſdam Pictauienſis ſoror, aut (vt alij volunt) filia fuit: hæc Raimondo, Comitis cuiuſdam filio, ſeu nepoti, nupſit, ex quo Gotfridum Magni dentis ſuſcepit, atque alios fortiſſimos milites: ídque circiter annum à mundo condito 5040. à Chriſto nato 1078. regnante apud Francos Philippo huius nominis primo, Roberti, Capeti filij, aut (vt alij cenſent) Henrici, Roberti filij, filio: non autem regnante Philippo illo ſecundo, qui Ludouici filius, fuit: vt malè quidem, Aquitaniæ Annales ferunt. Quod autem fingitur fuiſſe Melluſina ſemiſerpens, id fortaſſe non abſurdũ fuerit ſortilegio tribuere, cuius peritiſsima eſſet, ſicuti etiam tunc temporis ars magica erat vulgatiſsima: vel quòd pro inſigni tale etiam monſtrum ipſa geſtaret. Vide Annales Aquitaniæ.

GOTFRIDVS Magni dentis, Melluſinæ ſupradictæ filius, vnà cum fratre, Gotfridum Bolionium, ſiue Bilionenſem, in expeditione Ieroſolimitana ſecutus eſt, vbi ſtrenuum ſe militem præſtitit. Ab hoc Gotfrido Magni dentis originem traxere Cypri inſulæ Reges complures, cognominis Luſignani. Videto Annalium Aquitaniæ, partem tertiam: nam in partes quatuor digeſtus eſt liber 15.







MICHAEL Paphlago, Zoës adulter, quíque eius virum Romanũ Argyropylum intra balneas immerſerat, ab eadem Imperatrice Zoë Imperator inſtituitur Conſtantinopoli, anno mundi 4996. à Chriſto nato 1034. Fuit hic mancipium barbarum, nulla re niſi forma commendatum, mente etiam commotum, labénſque ad ſingula momenta, ſpuma inſuper oris fœda. Quis non effrenem in quinquagenaria muliere Zoë libidinẽ, amorémque fœdiſſimum execretur, aut fortunæ aleam in hoc principe non admiretur? aſciuit primùm illa omnem ſibi poteſtatem, Michaële velut miniſtro vſa, ſed non diu durauit hæc obſeruantia: nam Michaël imperij habenas retinuit, nec malè rexit. Tricẽnales inducias cum Ægyptio Rege percuſſit: Edeſſam obſidione liberauit: domi in ſuos facilis, vni Zoë, propter expertam libidinem, parum æquus fuit. Intercutis morbo laborans, Michaëlem Calaphaten hæredẽ imperij dixit. imperauit annos ferè ſeptem. Vide Egna.lib.2. Coſmo.Mun.lib.4.

MICHAEL Calaphates à Zoë adoptatus, eius pedibus aduolutus iurat ſe titulo tenus imperaturum, poteſtatem penes eam manſuram: his blandiciis ad imperium euehitur Conſtantinopolitanum, anno mundi 5004. à Chriſto nato 1042. paulò pòſt in Zoën machinatur, fingẽs ab ea ſibi ſtructas vitæ inſidias, ac venenum poſitum, à quibus innocens erat: relegat itaq; eam in inſulam, detondet, ac monacham facit: interim genio ipſe indulget. Id inique ferens plebs, Theodorã Zoës ſororẽ, Imperatricem creant: Zoën reuocant: Michaëlem fugientẽ, capiunt, exoculant, vnà cum fratre: quæ familiaris Græcis pœna eſt. Sic præter ſordes parentũ, qui naues apud Paphlagonas pice oblinerent, vnde Calaphates etiam dictus, auarè, perfidè, ac crudeliter imperat Michaël hic, menſes quatuor. Vide vt ſupra.





HENRICVS, huius nominis tertius, dictus Niger, post Conradum 2. Romæ imperat anno mundi 5001. à Christo nato 1039. Hic Conradi Franci filius siue gener, primùm Bohemos bello inuasit, sed ab his Hungarorum præsidio adiutis, vincitur: sequente anno adeò illos bello fatigat, vt Regem eorum tributarium fecerit. Lotaringiæ Ducem parêre imperio compulit: apud Capuam Saracenos vicit. Cæterum pertæsus eorum quæ Romæ circa Pontifices per summũ scelus agerẽtur, Romã contendens, abdicatis adulterinis Pontificibus aliquot, Clementem secundum Pontificiæ sedi præfecit: & vt caueret in posterum Pontificum securitati, iureiurando Romanos adegit, neminem creationi eorum interfuturum sine eius permissu. Petrum Regem ab Hungaris eiectum, regno restituit: Capuam aduersus Saracenos nouo præsidio firmauit. Henricum filium annos quinque natum, Cæsarem eligi, & Aquisgrani coronari curauit: qui sub matris Agnetis tutela aliquandiu fuit. Imperat Henricus Niger ann. 17. Egna. lib. 3.

AGNES Gulielmi Aquitaniæ principis filia, nata in Pictonum Comitatu in Gallia, vxor fuit huius Henrici tertij, quæ suscepit ex eo Henricum quartum huius nominis Imperatorem: hæc non sine laude imperio præfuit annos quinque, dum adolesceret filius: sed Coloniensis Episcopus Otho, clam abducto puero, imperio eam deturbat. Vide Chron.

Kkk 5







ZOE, ab exilio & monasterio assentiente vniuersa plebe (vti dictum à me est) reuocata, & Michaële Calaphate exoculato, imperij faces suscipit Constantinopolitani, vnà cum sorore Theodora. anno mundi eodem quo Michaël Calaphates quatuor menses imperauit: itaque flagitia Imperatorum effecere vt muliebre æquius videretur imperium. At verò, cùm sit *varium, ac mutabile semper Fœmina*, vt inquit poëta, Zoë sexagenaria, ardens tamen adhuc libidine, Constantinum Monomachum ab exilio reuocat, sibíque eum maritũ adiungit: curátque vt sceptrũ imperij illi tradatur, cùm fœminarum vix treis mẽses durasset imperiũ. Vide Egna. lib. 2. Cosmog. Munst. lib. 4.

CONSTANTINVS Monomachus, imperatorij quidem & ipse stemmatis, quem sibi in virum asciuit Zoë, Constantinopoli imperat anno mundi 5005. à Christo nato 1043. Hic ignauus, & luxu totus diffluens, concubinam, egregia alioqui forma, iustæ vxoris loco habuit, quam efflictim deperiit. Sustinuit tamen duo grauissima bella ciuilia, alterum à Maniace Georgio, alterum à Leone Tornicio, illata: & multa externa. Turcarum arma tunc primũ per Asiam latius sunt euagata: victi tamen Roxolani, & Patzinacæ, Scythicum genus hominum. Zoë vxore septuagenaria fato mox functa, & ipse tandem podagricus, & pleuritide correptus obiit, anno imperij ferè 13. Vide vt supra.





THEODORA Zoës ſoror, quæ iam etiam cum ea menſes circiter treis imperium tenuerat Conſtantinopolitanũ (vti in Zoë dixi) nunc denuo, ſed ſola, poſt Conſtantinum Monomachum imperat, anno mundi 5017. à Chriſto nato 1055. Nec verò eſt quòd pudeat hanc in ordine ac ſerie Imperatorum inſerere, cùm non muliebriter ſe geſſerit: quinimo tanta domi, foríſque hac imperante quies & ocium fuit, tanta rerum omnium vbertas, vt fœminei imperij neminem pœniteret. Verùm ingraueſcente cum ætate morbo, illecebris Eunuchorum adducta, Michaëlem iam ſenem imperij ac curæ participem fecit: nec ita diu ſuperuixit: annos propè duos imperauit. Vide Egna.lib.2.Rom.prin.& Coſmo. Munſt. vbi de Græcia tractat, libro quarto.

MICHAEL ſenior, poſt Theodoram ſupradictam, qua dixi via, Conſtantinopoli imperat, anno mundi 5019.à Chriſti natiuitate 1057. Fuit quidem hic Michaël genere & opibus clarus: cætera minus ad imperij faſces ac adminiſtrationem ſuſcipiendam, aut exequendam, idoneus, vel propter ætatem decrepitam & prægrauantem. Quare cùm vix etiam annum imperitaſſet, Iſaacij Comneni factio eum imperio deturbauit, & in ordinem redegit: priuatus itaque factus, paulò pòſt fatis ac naturæ conceſſit. Videto vt ſupra.







HENRICVS quartus (tertium facit Egnatius) Henrici Nigri filius, Romanus Imperator patri Romanorum Imperatori succedit anno mundi 5018. à Christo nato 1056. Hic dicitur M. Marcellum & Iulium Cæsarem supergressus, bis & sexagies pugnasse. In hoc huius generis Imperatorum virtus defecit: & totius Germaniæ imperium adeò corruere cœpit, vt postea in veterem statum redigi nunquam potuerit. Tragœdię huius autor Papa Hildebrandus fuit: qui statuit Pontificatus confirmationem à Cæsare non esse petendam, contra sanctionem Henrici Nigri, quam patris constitutionem ratam haberi voluit: quamobrem non tantum à Papa excommunicatur, sed & principibus potentioribus mandat Papa, vt Imperatorem alterum creent: Rudolfus creatur, aduersus quem mouet Henricus, & multis præliis tandem vincit. Deinde Romam venit, & vrbe per vim capta, Papam cepit. Obiit Henricus Leodij, carcere detentus à filio, ab Episcopis solicitato, quem etiam Imperatorem delegerat pater: imperat Henricus quartus annos 50. Rodulfo misit Hildebrandus coronam cum hac inscriptione,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulfo.

HENRICVS quintus, Henrici quarti filius, qui patrem bello & carcere est insectatus, post eum imperat anno mundi 5068. à Christo nato 1106. Recusat eum coronare Papa, nisi prius statuat Pontificem & Episcopos sine Cæsaris consensu creandos: Romam & Papam capit, coronam extorquet, & inuestituram. Tertiò Italiam intrans Gelasium Papam vrbe pepulit. Obiit nullis relictis liberis anno imperij 20. Vide Chron. Egnat. lib.3.





ISAACIVS Comnenus poſt Michaëlem ſeniorem imperat Conſtantinopoli, anno mundi 5020. à Chriſto nato 1058. Hic Michaëlem Seniorem in ordinem redegit: fuit tamen vir alioqui ſtrenuus, pace ac bello clarus, ac infractus, moribuſque arrogantioribus. Cooperante Patriarcha Imperium ſumpſit, in quem tamen poſtea ingratus, ac velut collati beneficij immemor, ipſum cum ſuis in exilium miſit. Comnena hic gente nobili ortus, in negociis obeundis expeditus fuit. Cæterum lateris morbo inter venandum ſubitò correptus, cum de ſalute deſperat, cucullam induit, atque imperio ſe abdicat. Conſtantinus Ducas de Senatus populíque conſenſu ei ſucceſſor declaratur. Tanta continentia fuiſſe perhibetur Iſaacius, vti nec vxorem cognoſcere vellet poſt prolem ſemel ex ea ſuſceptam, cùm tamen ad morbi ſubleuationẽ medici in primis conſulerent vt coitu vteretur frequentiore. Imperauit annos 4. Vide Egna. lib. 2.

CONSTANTINVS Ducas Conſtantinopoli imperat poſt Iſaacium, anno mundi 5024. à Chriſto nato 1062. hunc conſpiratio ſub initia grauis excepit, quam non ſine diſcrimine compreſsit: pietatem coluit, æquitatem obſeruauit: ſed auariciæ ſupra modum operam dedit, hinc ſuis odioſus, hoſtibus etiam ludibrio, res imperij vndique vexantibus, fuit. Ad externa mala familiaris Conſtantinopoli clades acceſsit, nempe grauis terræ motus, quo templa, ædéſq; multæ peſſum ïere. Obiit ſexagenarius, anno imperij ſexto, Eudociæ vxori & liberis tribus imperium tradens. Vide vt ſupra, & Chron. Phry.





EVDOCIA cum filiis imperat Constantinopoli post Constantinum Ducam,anno mundi 5031. à Christo nato 1069. Poterat muliebri fortasse prudentia hęc,si foris cessassent bella, imperiũ domi administrare: sed lacessentibus vndique imperium barbaris,vicit eorum sententia,qui rebus præficiendũ virum appositum ac idoneum contendebãt. Quare iurisiurandi oblita,quo marito Ducæ,moriẽti, se obstrinxerat, non superinducturam se virum, etiam si coacta esset, Romanũ cognomine Diogenem,post menses imperij septem,in virum Eudocia assumit, qui rẽpubl. prudentia ac fortitudine tueretur: at pœnituit statim Eudociam,quòd vir hic insolens rem ad se totam traheret. Vide Egna. lib.2.Cosmog. Mun.lib.4.

ROMANVS Diogenes Eudociæ vir,imperat Constantinopoli, anno mundi 5032. à Christo nato 1070. duas hic suscepit expeditiones vario rerum successu: prior quidẽ optimè cesſit,posterior autem pesſimè:nam vel fugatis vel cæsis militibus suis ipse Imperator Constantinopolitanus capitur:quod ad eam diem nunquã contigerat. Ferunt tamen Turcam nomine Azan,ad primũ huius euentus nuncium, vix credentem constitisse:mox ad se adductum Ro.Diogenem, & cognitũ, in precio habuisse: ac amplis donatum muneribus, pace inita, dimisisse. Sed ad primum aduersæ cladis nuncium, vt ferè fit, omnia Cõstantinopoli iam mutata erãt:Eudocia nempe relegata est: Romano abdicatum est imperium: Michaël Imperator creatus, Romanum Diogenẽ victum, deditúmque, contra iusiurandũ exoculat, ac in insulam deportat, vbi ab vxore Eudocia sepelitur, post annos imperij ferè quotuor. Vide vt supra.





MICHAEL Conſtantini Ducæ filius, Parapinaceus à fame, quæ ſub eo inualuit, dictus, imperauit Conſtantinopoli anno mundi 5036. à Chriſto nato 1074. poſt Romanum Diogenem vitricum ſuum. Hic ad imperium adminiſtrandũ ineptus, ſtudiis tantùm literarum intentus, ac ſub Pſello præceptore verſus factitans, à Turcis interim vndecunque premebatur, maximè ab Orientalibus regionibus: quare præfecti etiam, velut coacti, alterum ſibi delegerunt Imperatorem: putà Nicephorum, ſanè nobiliſsimum, quem, in principis ignaui inuidiam, facilè ciues admiſere: Michaële prius, cum vxore & filio, in monaſteriũ detruſo, ac monacho facto. Imperauit Michaël annos ſex. Vide Egna.lib.2. & Goſmogra.Mun.lib.4.

NICEPHORVS Botaniates, à Phoca imperatore originem trahens, tanquam omniũ nobiliſsimus, facilè Michaële deturbato, imperium obtinuit Conſtantinopolitanum, anno mundi 5042. à Chriſto nato 1080. Hic Conſtantinum Conſtantini Ducæ filium, imperium ſibi aſſerere contendentem, cepit: totondit, ac in ſacerdotem inunxit. Paulò pòſt Nicephorus qui Comnenorum fratrum forti, fideliſque opera vſus fuerat (nam hi Bryennium & Baſilatium imperij inuaſores ſuſtulerant) ab illis deiicitur, anno imperij tertio, in cœnobiúmque cõiicitur, vbi aliquamdiu vixit. Poſt hunc Alexius Comnenus, natu minor, militibus acceptior, imperat: qui die ipſo Paſchæ Bizantium clam ingreſſus, hoſtilem in modum vrbem diripit. Vide vt ſupra.





GOTFRIDVS Bolionius, ſeu Bilionenſis, Lotaringiæ Dux, Bulionis Ducatum Sperto Eburonum Epiſcopo magna vi auri vendidit: primúſque Dux huius expeditionis in Iudæam aduerſus Saracenos extitit: quem illuſtriſſimi ac præſtantiſſimi è Gallia principes comitati ſunt, diuenditis vel oppigneratis bonis ſuis. Habuerat ſiquidem orationem Pontifex Vrbanus ſecundus, ſuper hac re in cõcilio Claromontano, qua huiuſmodi primores ad ſuſcipiendã hãc expeditionẽ extimularat: idipſum ſuaſerat Petrus heremita, qui apud Iudęam peregrinatus Chriſtianos à Saracenis valde opprimi renunciarat. Itaque tercentum hominum milibus cruce ſignatis comitatus Bolionius, Ieruſalẽ ipſam trigeſimonono obſidionis die cepit, idibus Iulij, nempe ann. mun. 5060. à Chriſto nato 1098. Corbana Perſa victo, cæſa ſunt infidelium centum milia: ipſe Gotfridus Rex Ieroſolimitanus deſignatus eſt: attamẽ auream recuſauit coronam, quòd eò loci, corona ſpinis contexta capiti Chriſti impoſita fuiſſet. Contigit id poſt annos ferè quingentos quàm Perſæ Ieruſalem etiam cœperant, atque ad centum Chriſtianorum milia occiderant: quam vrbem exactis decem annis Heraclius receperat, Saraceni quoque poſt annos 16. expugnarant. At verò dux Bolionius, anno poſt quàm rex creatus fuerat, febre correptus obiit, ſepultúſq; eſt ad nobile illud Chriſti ſepulchrũ. Regnatũ eſt Ieroſolymis à Chriſtianis Regibus ſeptem, ſpacio annorũ 88. Vide Blondum lib. 4. decade 2. & Chro. Chronicorũ.

BALDVINVS Gotfrido Bolionio fratri in regno Ieroſolimitano ſuccedit die natalitio Chriſti, anno mundi 5061. à Chriſto nato 1099. atque poſt ſuſcepta, ac confecta multa bella, in hoſtes nominis Chriſtiani, mortuus eſt anno regni 18. Vide vt ſupra.





ALEXIVS Comnenus Iſaacij Imperatoris filius, Conſtantinopoli poſt Nicephorum Botaniatem imperat, anno mũdi 5045. à Chriſto nato 1083. Hic Roberto Guiſcardo cum Venetis occurrens, victus, fugatúſque eſt. præterea memorabilem illam Gallorum in terra ſancta recuperanda expeditionẽ turbare conatus eſt: ſed Bohemundus Apuliæ Dux, exercitum aduerſus eum duxit, ac Dyrachium obſedit. Alexius, eius potentiam reformidans, cum eo fœdus init, comeatúque, & aliis rebus adiuturum ſe Gallos pollicetur. Inde ad pacis artes conuerſus orphanotropheion, & Muſæum erigit: in altero pueros, puellâſque parentibus orbos, alendos, in altero inſtituendos curat, ſumptus ex regio vectigali ſuppeditat. ad ſupplicia minimè præceps, moribuſque moderatus fuit. Longo tandem preſſus morbo, obiit anno ætatis 70 imperij 33. Vide Aemy.li.5. Egna.lib.2.Coſ.Mun.lib.4.& Platinam.fauit omnibus qui egregias artes, virtutémque amplexarentur, quos & euexit.

CALOIOANNES Alexij filius, poſt patrem imperat anno mũdi 5078. à Chriſto nato 1116. Variis hic expeditionibus in Aſiam vſus, Turcas, Perſaſque aliquot præliis vicit, vrbeſq; illis non paucas ademit. Gallis & Venetis infeſtus fuit, qui ſocia arma iunxerant. Dux tamen Venetus Rhodum, Samum, Lesbum, Andrúmque cepit. Perit Caloioannes manum ſaucius, telo à ſeipſo intoxicato, quod in aprum tendebat, anno imperij 25. Hic initio imperij ſui dignitatibus ſuos omnes conſanguineos ornauit: Manuelem fratrem natu minorẽ imperij hæredẽ dixit, cùm alterũ minus aptum ſentiret. Vide vt ſupra.





LVDOVICVS Craſſus mortuo Philippo patre, continuò Aureliani inungitur à Gilberto Senonum Archiepiſcopo, cauſante Remenſia ſacra expectari, nimis longum: nempe anno à mundo condito 5071. à Chriſto nato 1109. Nobiles & Principes ab Anglo Rege adiuti in Regem ſeditionem mouent, quem diu multúmque vexarunt: tandem tamen ſuperior euadit Rex. Tunc cœpit initium belli Anglici, quod ſexcentis fœderibus compoſitum ſemper renouatur. Gelaſius Papa in Galliam venit, opem implorans aduerſus Cæſarem. Henricus Cæſar ab Anglo ſocero impulſus Galliam inuadit: timore perculſus, Regis potentia cognita, domum reuertitur: paulò pòſt in amicitiam cum Rege rediit, re cum Papa compoſita. Ludouicus iunior Remis preſente patre, à Papa Innocentio vngitur in Regem. poſt ſex annos Pariſiis obit pater Craſſus, anno regni 28.

LVDOVICVS iunior, proximè ſupradicti filius, ſuccedit patri in regno Franciæ anno mundi 5099. à Chriſto nato 1137. Hic D. Bernardi conſilio, Conradum Imperatorem ſecutus, exercitum in Saracenos duxit, atque vnà cum vxore per Germaniam & Hungariam, Conſtantinopolim ſe contulit: deinde Ieroſolymam. ipſe & Conradus, cladem cum vterque accepiſſet, Regem Balduinum adeunt. tunc coniunctis viribus Damaſcum oppugnant, ſed diſſidio ac dolo obſidionem relinquere coguntur. Redit ad ſuos Conradus. Galli in Syria multa mala patiuntur: Rex in reditu penè captus, Georgij Siculi Regis Prætoris ope euadit. multæ ingentes pugnæ à noſtris in Aſia & Ieruſalem ante reditum commiſſæ. Aemyl. lib. 5. Regnat an. 43.





LOTARIVS, huius nominis secundus, Saxoniæ Dux, ab Electoribus Cæsar creatus est anno mundi 5088. à Christo nato 1126. fuit huic cum Conrado tertio de imperio controuersia, qui cùm esset nepos ex sorore, Henrici quinti, vt Lotarium anteuerteret, Italiam ingressus, Longobardiam occupauit, vbi & ferrea corona insignitus est. Interea à Lotario obsessæ sunt & captæ vrbes Spira, Vlma, & Norimberga: exinde persequitur Conradum in Italiam: at vbi resciuit Conradus vrbes Germanicas amissas, nilque sibi præsidij expectandum è Germania, pacis conditiones Diui Bernardi opera, cum Lotario pactus est, atque vltro imperio cessit: post Lotarium tamen etiam imperauit. bis in Italiam profectus est Lotarius, primùm ad compescendos motus contra Innocentium, alio Pontifice electo, Romæ coortos: deinde contra Rogerium, qui Campaniam & Apuliam inuaserat. Imperat Lotarius hic annos vndecim.

CONRADVS tertius Lotario succedit, imperátque Romæ anno mundi 5099. à Christo nato 1137. hic mouit in Saracenos, vti iam dictum est in Carolo iuniore. postea in bello cum Catulis gesto, vrbem quandam cùm cepisset, mulieribus abire permittit cum tanta bonorum sarcina, quantam ferre possent. hæ verò relictis rebus, nobiles pueros omnes asportare malunt: quos cùm quidam captiuos retinere vellent (bonorum non puerorum asportandorum copiam causati) adeò delectatus est Cæsar nobilium fœminarum virtute, vt eis non solùm puerorum, sed & omnium opum copiam fecerit.





MANVEL, siue Emanuel, Caloioannis, vt quidã putant, filius, vt alij volunt, frater, post eum Constantinopoli imperat, anno mũdi 5103. à Christo nato 1141. Ab hoc Conradus Germanus Ro. Imperator, sollicitatus est vt opem ei ferret, siue aduersus Rogerium, vtriusque inuasorem imperij, siue vt in Turcas Conradus ipse moueret: sed mutatus Manuel, fame laborantibus Conradi militibus, gypsum contusum farinæ immiscet: nec sat illi fuit semel id sceleris perpetrasse: simili fraude Ludouicum Francorum Regem, impius ille, decipit: sic breui magna militum nostrorum vis consumpta est: inde Manuelis nomen Francis odiosum. Rogertus Siciliæ Rex, omnẽ Græciæ oram vastauit: Byzantium etiam per suos duces adeò oppressit, vt sagittas argenteas, aureásque hortis regiis immiserit. Contra ius gentium Manuel legatum violat Venetûm: negotiatores, quos simulata pace euocarat, vno die comprehendit: quare armis pressus Venetis, æquis pensionibus pacem impetrat. Prælium cum Turcis gessit funestissimũ, in quo penè captus est. Imperauit annos 38. quibus exactis, monasticam secutus vitam, morbo periit. Vide Blon. lib. 5. Deca. 2. Egna. lib. 2. Cos. Mun. lib. 4.

ALEXIVS, Manuelis filius, puer adhuc, patri successit: Andronico Comneno à patre commissus fuit, qui primò tutorem egit, dein imperij consortem, demum Alexium cognatum quindecim annos natum, cum treis à patris morte annos rerum esset potitus, clam miserè necat, capitéque truncato, reliquum cadauer sacco inclusum in mare proiicit. Vide vt supra.





FRIDERICVS, huius nominis primus, natione Sueuus, cognomento Aenobarbus, à colore barbæ ruffæ, nepos Conradi ex fratre, post eundem Conradum tertium Romæ imperat anno mundi 5114. à Christo nato 1152. Hic Dertonam (nunc Tortonam vocant) portas sibi claudere ausam, obsessam capit: inde Romam contendens ab Adriano coronatur. Euersa Dertona quæ in partibus Alexandri stabat, in cuius locum Octauianum Pontificem crearat, Mediolanum inde solo æquat: Galliámque omnem Cisalpinam eadem sentientem vastat: tertiò & quartò Italiam intrans Alexandrum fugat. Tandem Friderici filio, nauali prælio victo, vtitur Fridericus summa humilitate: nam pro templi foribus humi prostratus ante Pontificem, pedibus eius se opprimi permittit. Pontifex clamari præcipit, *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*, ac tum eum absoluit. Fridericus eam à se exhiberi humilitatem Petro, non Alexandro, dixit: respondit Alexander, *& mihi & Petro*. Hic deinde Saracenos ac Turcas prostrauit, Sultanum in Aegyptum fugauit. verùm capta iam Armenia, cùm in equo rapidum amnem ingreditur, strenuissimus heros perit, anno imperij 37. Egna. lib. 3.

HENRICVS Friderici filius post patrem imperat anno mundi 5151. à Christo nato 1189. huic Papa Clemens tertius Constantiam virginem sacram, Rogerij Normani filiam, vxorem dedit. Siciliam obtinuit, Tancredo spurio expugnato. Philippum fratrem, qui postea imperat, cum exercitu in Syriam misit: ducibus etiam Archiepiscopo Maguntino, & Saxoniæ Duce existentibus. Aemy. lib. 6. Blond. lib. 6. Egna. lib. 3. imperat ann. 10.





PHILIPPVS à Deo datus hoc nomine secũdus, Ludouici iunioris filius, apud Francos regnat anno mundi 5142. à Christo nato 1180. Hic Ædiles, quos Scabinos appellant, Parisiis creandos curat: bonam vrbis partem muro cingit, forum venale, Hallas vocãt, reædificat. Saltum Vicenarum mœnibus cingit. cũ Ricardo Angliæ Regis filio ad recuperandã Ierusalem, quæ victori Saladino reddita fuerat, expeditionẽ suscipit: Ptolemaida expugnat. Deinde grassante per exercitum peste, in Galliam reuertitur. Totam Normaniam & Aquitaniam iure belli recipit 260. an. postquã Rolloni data fuerat Normania. Galli Græcorum imperium, Byzantio recepto, tenẽt, à Venetis, & quibusdam aliis adiuti, quibus impensas refundunt. Otho quintus, Saxonum Dux, qui post Philippum Henrici sexti fratrem imperat, à rege victus in pugna Bouinensi, fugatur: Ferdinandus, siue Ferrandus, Lusitanus, Flandriæ Comes, in arcem Luparam recens ædificatam, captiuus ducitur. Ioannes Brennus Rex Ierusalem, Philippum inuisit, moribundum, à quo 60000. librarum ex testamento accipit. regnat an. 43. quartana febre Medunte interiit: ad fanum D. Dionysij sepultus est. Æmyl. lib. 6.

LVDOVICVS Octauus, Philippi filius, post patrem apud Francos regnat anno mundi 5185. à Christo nato 1223. Hic cum Anglo Rege fortiter cõflixit, quo tempore pater cum Othone. Cum Friderico Imperatore colloquitur: fœdere inito, fraternum nomen inter Francos & Germanos redintegratur. Albigensium errorem extirpauit Rex, Auenione capta, & muris deiectis. Regnat an. 3. obiit Montisperij: sepultus est in æde D. Dionysi. Gagui. lib. 7. Æmyl. lib. 7. huic succedit D. Ludouicus.





LIBVSSA, Craci, ſecundi Bohemiæ Regis filia, aliquot annos principatum tenuit: tandem cum litem aliquam, quanquam iure ac rectè definiiſſet, attamen qui cauſa ceciderat, humi procumbens, clamauit, indignè viros à fœmina gubernari: accurrens multitudo Regem poſtulat. Quare hæc Primiſlao agricolæ, neſcio quo modo (vel quòd ſic collibuerit, vel ſorte quadam) nupſit, qui Bohemos rexit, & Pragam primus aggere & muro cinxit circiter annum mundi 5165. à Chriſto nato 1123. Videto Chronographiam Ioannis Naucleri, generatione trigeſimanona.

VALASCA, vna quidem ex puellis Libuſſæ, ingentis animi & generoſi, Amazonicæ gentis virgo, mortua Libuſſa, accerſiuit mulieres ac virgines, quas his verbis compellauit: *Heram perdidimus, quæ non paſſa eſt nos viris ſubiici: adeſte mihi, & ego vobis imperium polliceor:* coniurant in viros ſingulæ, quos obuios habent ex improuiſo trucidant: armatæ poſtea, bella multa feliciter conficiunt, virorum ſemper victrices: & more Amazonum viuere ſtatuũt. Tandem verò Primiſlai dolo & inſidiis captæ, omnes ad internecionẽ vſque mactantur. Vide vt ſupra.







ANDRONICVS Cōnenus, Iſacio, Caloioannis fratre natu maiore, natus, poſt Alexium cognatum, quem crudeliter necarat, Conſtantinopoli imperat anno mundi 5144. à Chriſto nato 1182. huic Gulielmus Siciliæ rex, bellum intulit, Alexij mortem vindicaturus, à quo cùm vndique premeretur, tandem ab Iſacio Angelo præter ſuam, omniúmque opinionem, prælio victus, imperio deiicitur, capitur, ignominiosè occiditur. Nam altero effoſſo oculo, aſinæ præpoſterè imponitur: caput alliorum reſte, diadematis loco præcingitur: cauda manibus ſceptri vice alligatur: per vrbem ſic ornatus circumuehitur: vulgi turbæque tumultu lacer, perit fœdiſſimè: quippe in cuius faciem pueri, puellæ, viri, fœminæ, præter probra, lutum, ſtercus, & fœdiſſima quæque coniiciunt ac cōgerunt: deinde laqueo ſuſpenſus, vncis à mulieribus fruſtillatim diſcerpitur, anno imperij altero. Vide Eg. lib. 2. Coſ. Mun. lib. 4.

ISACIVS Angelus poſt Andronicum, Comnenorum ſtirpe ſublata è medio, Conſtantinopoli imperat anno mundi 5146. à Chriſto nato 1184. Hic varias multorum tyrannides oppreſſit: Fridericum Aenobarbum Ro. Imperatorem in Syriam properantem magnificè excepit. Alexium fratrem natu minorem, à Turcis captum, magno redemit: à quo poſtea, ingratiſſimo homine, per ſummum ſcelus imperio oculíſque priuatus, in carcerem truditur: donec filius Iſacij, Alexius alter, & longè ab illo diſpar, à Francis ac Venetis opem implorans, patrem lachrymis obtinuit. Sed carcere poſt longam captiuitatem eductus, morbo ex aëre contracto, non diu ſuperuixit. Imperauit annos 16. Vide vt ſupra.





PHILIPPVS Henrici ſexti (Friderici primi filij) frater, mortuo ipſo eodẽ fratre Romanis imperat anno mundi 5161. à Chriſto nato 1199. huic fuit de imperio contentio cũ Othone, cui Innocentius, tertius huius nominis Papa, præterea Angliæ Rex fauebat: Sed Galliæ Rex eiuſdem nominis, Philippi, Philippo opem tulit, qui fugato ſæpius Othone, rer m tandem potitur. Hic cùm annos nouem imperaſſet, ab Oth ne Comite Palatino (cuius genus celebre & clarum fecerat Fridericus primus) occiditur, die quodam cùm eſſet ei à medico vena inciſa, & nihil iam ab aduerſariis ſuſpicaretur optimus princeps. Credo Othonorum nomen illi fatale fuiſſe. Imperauit annis nouem. Vide Aemyl.5.Egna.lib.3.& Carionem lib.3. Philippus Bambergæ occiſus, Bambergæ ſepelitur: cuius corpus humatum poſtea Spiram, iubente Friderico ſecundo, tranſlatum eſt.

OTHO Saxonum Dux (Comitem Palatinum vocat Aemylius) quem Imperatorem elegerat Innocentius aduerſatus Philippo, eidem Philippo mactato ſurrogatur, & à Papa, omnium conſenſu, ad tollendam diſcordiam coronatur anno mundi 5170. à Chriſto nato 1208. Sed cum hic Pontificiæ ditionis oppida quædam caperet, & Friderici iunioris inuadere cuperet regnum, diris Pontificiis petitus, imperio priuatur anno imperij 3. Fridericúſque Henrici ſexti filius, adnitente etiam Innocentio, Imperator creatur: qui cum Philippo Francorum Rege in Othonem arma ſumpſit: nec ſine manifeſta vi numinis, & Gallorũ virtute, clade memorabili affectus Otho, etiam ab Anglo adiutus, in patriam inglorius ſe recipit. neque verò ſuo tandem ſupplicio caruit, nam & ipſe non multo poſt trucidatus periit. Vide Aem.lib.5.Egn.lib.3.Carionem lib.3.





ALEXIVS Angelus fratricida, post Isacium Angelum fratrem, Constantinopoli imperat, anno mundi 5162. à Christo nato 1200. Hic planè impius, maiori fratri imperium per scelus ademit: & Alexium Isacij filium, nepotem suum, voluit perdere: qui fugiens, in Dalmatiámq; delatus, Francorum proceres, Balduinum & Venetos in patruum mouit, paciscendo 30000. marcarum auri, & cõmeatum, si eorum ope, vel solus, vel cum patre, qui in carcere agebat, imperio restitueretur. Quare hi proceres classe parata, Byzantium versus nauigant, expugnant, fracta prius catena, que ab vrbe ad Peram tensa erat. Fratricida fuga saluti suæ consulit: Isacius carcere liberatur: & Alexius iunior, post subitam patris liberati mortem, imperat. Vide Egna. lib. 2. Cosmo. Munst. lib. 4.

ALEXIVS iunior, Isacij filius, qua dixi ope, imperio restituitur Constantinopolitano; anno eodem quo supra imperasse dicitur Alexius Angelus. In fœdere sanciendo inter hunc, & Gallos, ac Venetos, cautum est vt Patriarcha Constantinopolitanus Romano subesset Pontifici, & damna Francis, Venetísq; à Manuele illata compensaret: at mense post restitutionem vix exacto, cùm rerũ quas promiserat satageret, à Murziphlo quodam ignobili, quem tamen ad summũ dignitatis gradũ euexerat, iuuenis admodum necatur. Murziphlus frustra se hostibus opponens, vrbe Byzantio amissa, noctu cum vxore, pellicibus ac thesauro fugit: paulò post in Peloponneso captus, ac Byzantium retractus, miserè perit. Vrbs Frãcis, Venetísq; dedita cum omni milite, ab eis est possessa: & res imperij deinde ad Frãcos translata: è quibus primus fuit Græcorum Imperator Balduinus. Vide vt supra.





BALDVINVS, Flandriæ Comes, ab omni milite, & exercitu, Flandrensi scilicet, Montis-ferratensi, Allobrogum & Venetorum, Imperator Constantinopolitanus creatur post Alexium iuniorem anno mundi 5162. à Christo nato 1200. hac conditione vt si ex Francis designaretur Imperator, Veneti Patriarcham darent: quod & euenit. Balduinus cuncta præter Adrianopolim recepit: in qua imperauit Theodorus, Alexij Imperatoris pessimi gener, quam & nomine dotis accepit. Cum Franci eam obsiderent ac propè expugnarent, captus & mortuus est Balduinus, qui annum imperio vix præfuerat. Vide Egna. lib. 2. Ro. prin. & Cosm. Mun. lib. 4.

HENRICVS Balduini frater, Imperator post eius mortem creatur, anno mundi 5163. à Christo nato 1201. Hic expugnationem Adrianopolitanam persequitur, ac repetit: sed irruentibus Saracenis, obsidionem soluit: Constantinopolim rediit, quam & munit. Fœdere cum Valachis firmato, & filia Ducis eorum in vxorem ducta, domi, forísque cum prudenter se Henricus gereret, Gulielmum Bonifacij filium, Regem Thessaliæ designat. mox moriens, Iolantem filiam, Petro Altisiodorensi nuptam, hæredem relinquit, anno imperij 13. Vide vt supra.







FRIDERICVS, ſecundus huius nominis, deturbato Othone quarto, imperat anno mundi 5173. à Chriſto nato 1211. Viguere in hoc principe corporis animíque dotes, auo ſimillimus Aenobarbo, militaris laudis appetentiſſ. fuit: Græcam, Latinam, Germanicam & Saracenicam linguam calluit: bonarum artium diſciplinas promouit: Sed has virtutes animi calliditas ac perfidia, & in Guelphum nomen ſæuitia, neque non in Pontifices odium obſcurarunt. Guelphos ac Gibellinos, pernicioſſima Italiæ nomina, primus inuexit: hi Imperatori, illi Papæ fauebant. Mediolanenſes, qui ſtabant à Pontifice, vicit. A Papa Innocentio quarto, imperio priuatur, ac excommunicatur. Henricus Thuringiæ, dictus Lanthgrauius, Imperator dicitur: bona Italiæ pars in Fridericum armatur: Parma ei adimitur: Victoria quoque, vrbs quam condiderat, & multis ornamentis decorarat, diripitur. Hic Ieroſolymam profectus, ita negotium confecit, vt à Sultano non ſolùm Ieroſolyma, ſed & multæ aliæ vrbes ei ſint redditæ, coronatúſque eſt Ieroſolymæ, quam muniuit, & Ioppen item aduerſus hoſtium vim. Panormum profectus, Manfredi filij nothi dolo necatur: ſunt qui veneno extinctum ſcribunt, conſcio Pontifice. imperauit an. 35. Vide Egn. lib. 3. & Carionem lib. 3. & Chr. Phry.

IOLE Ioannis Ieroſolymorum Regis filia, nupſit huic Friderico ſecundo, cui pater in dotem omne ius in Ieroſolymæ regnum dedit. inde etiam hodie Siciliæ Reges, Ieroſolymitanos ſe Reges vocitant: Nam erat Fridericus Siciliæ Rex, & Sueuiæ Dux. Ex hac vxore filium nomine Conradum ſuſtulit Fridericus, quem regnorum hæredem reliquit: & Manfredum nothum Tarentinum principem inſtituit. Aemy. lib. 7. Blon. lib. 7. deca. 2.





PETRVS, Altiſiodorenſis Comes, vxorio innixus iure, Henrico vitrico (quando maſcula ſupererat nulla proles) ſuccedit, imperióque Conſtantinopolitano præeſt, anno mundi 5176. à Chriſto nato 1214. Hic Roma rediens, vbi imperij inſignia ſumpſerat, Dyrachium in Venetorum gratiam cùm fruſtra tentaſſet, à Theodore Laſcare, qui ſe Adrionopolitanum, ac Græcorum Imperatorem dicebat, ac pro tali ſe gerebat, per aſsimulationem pacis, præter iuriſiurãdi religionem & fidem, medio conuiuio obtruncatur. Scribunt alij Laſcarem in nemoroſis Theſſaliæ locis (Tempe ea vocant) inſidias collocaſſe, captúmque Petrum abduxiſſe: tandémque eum in vincula coniectum, occidiſſe. Vide Egna. lib. 2. Coſmo. Mun. lib. 4. Imperauit Petrus Altiſiodorenſis annos quinque.

ROBERTVS, Petri ſupradicti filius, ex Galliis accerſitus, ad paternæ calamitatis nuntium, Byzantium aduolans, Imperator dicitur, anno mundi 5181. à Chriſto nato 1219. Puellam hic nobili cuidam Burgundo pactam, matrimonio ſibi copulauit: quare Burgundus animi impotens, in regiam irrupit, nares puellæ abſcidit: matrem, quæ noui erat connubij conciliatrix, proximum in mare proiecit. Nec eſt auſus ad iniuriam hanc vel mutire quidem Imperator, Romam adiens pro diademate impetrando: at inde rediens iniuriã vlturus, in Achaia morbo deceſſit, anno imperij 7. Vide vt ſupra.





BALDVINVS ſecundus, Roberti Conſtantinopolitani Imperatoris prædicti, filius, poſt patrē Imperator creatur anno mundi 5188. à Chriſto nato 1226. ſed cùm per ætatem haud eſſet idoneus, Ioannes Brennius Ieroſolymitanus quidem nomine ſolum Rex, Italia euocatus, adiutor ei datur: cuius filiam in vxorem duxit, ſpreta quæ illi offerebatur Regis Pontici filia: vnde bellum atrox obortū. Balduinus multis bellis exhauſtus, ac preſſus filium, & crucis dominicæ partem Venetis oppignerat, templorum omnium donaria aufert, exercitum ingentem ad Boſphori fauces obiicit: interim Byzantium proditione amittit: profugus cū patriarcha, naui in Euboëam delatus eſt: ita dum externam vim timet, à domeſtica opprimitur, anno imperij 33. tunc Græci imperium recipiunt Cōſtantinopolitanum, quod Franci annos 58. tenuerant. Vide Blon. lib. 7. deca. 2. Egna. lib. 2. Volater. lib. 23. Aem. lib. 7. Coſm. Mun. lib. 4.

MICHAEL Palæologus pulſo Balduino, Byzantium capit, imperátquo anno mundi 5221. à Chriſto nato 1259. Hic Ioanni Laſcari tutor datus à patre Theodoro moriēte, puerum interemit: imperium ſibi ac ſuis deſtinans, primum Achaiæ regno Guillelmum ſpoliat, Genuenſium claſſe fretus: deinde Balduini opes frangit, vrbem (vt dixi) capit. Bellum cum Venetis diu geſſit, quem facile imperio deturbaſſent, niſi Genuenſes obſtitiſſent. induciis factis Lugdunum ad concilium quod Gregorius decimus indixerat, venit: faciléque illi cum Pontifice conuenit: vnde tantam ſuæ gentis inuidiam contraxit, vt mortuo ſepulturā negarint. manſit tamen imperium in familia eius annis 193. donec in Turcarū manus deuenit, Mahomete, vi capto Byzantio, Conſtantinum obtruncante, anno mundi 5414. à Chriſto nato 1452. Vide vt ſupra. regnat an. 34.





D. LVDOVICVS poſt patrem Ludouicum octauum, Philippi ſecundi filium, apud Frãcos regnat anno mũdi 5188. à Chriſto nato 1226. huius mater Blancha rectrix teſtamento relicta, moderata & ſapiens, partim obſcuras, partim apertas inimicitias, initio regni exortas ſedat, tum vi, tum beneuolẽtia cõcilians ſibi principes, alióſque qui ſeceſſerant, facta in filium cõiuratione. Innocẽtius quartus Fridericum metuens cùm in Galliã fugiſſet, Lugduni cõcilium habuit, in quo ruber pileus & purpura primũ Cardinal. data ſunt. Spinea corona, & ſacroſancta Chriſti monimẽta, q̃ Balduinus Venetis oppignerauerat, D. Ludouicus redemit: hæc apud ſacrũ palatij ſacellũ quod Lutetiæ erigebat, aſſeruãda cõmiſit. Ad iuuandas res Chriſtianas cũ ingẽti exercitu in Aſiam nauigauit: Aegyptũ ingreſſus, Damiatã expugnauit. Chriſtianos barbarorũ ſeruos gregatim vndique cogẽs, redemit. Paſtores, ingẽs manus perditorũ hominum, cũ Regẽ captum eſſe audiſſent, arma capiũt, ſed à Biturigibus, Aurelianenſibúſque delentur. Robertus Regis frater, Lutetiæ Sorbonã inſtituit. Rex hiſtriones & paraſitos ab Aula exegit: Magiſtratuum ambitũ coercuit: honorũ dignitates non erãt tũc venales, nec auſi fuiſſent toto iuriſdictionis tractu aut fundos emere, aut ſacerdotia liberis accipere: blaſphemis in frõte cauteriũ inuſſit. Rex in Africã traiecit, Carthaginẽ expugnauit, Tunetũ obſedit: peſtilentia graſſante obiit ex profluuio anno regni 44. ſepultus eſt in æde D. Diony. Gag. & Aem. lib. 7.

PHILIPPVS D. Ludouici filius, mortuo patre Rex in caſtris ſalutatur, poſtea Remis inungitur anno mundi 5232. à Chriſto nato 1270. Hoc Rege geſta ſunt bella Fluſſatium, Hiſpanicum Caſtulonenſe, & Tarraconẽſe. Siculi, die Paſchæ, ingenti Gallorum cæde facta, à Carolo Regis patruo deficiunt. Obiit Rex Perpeniani, ſepultus eſt in templo D. Dionyſij.





RVDOLPHVS, Comes Habsgurgensis seu Habispurgius, Imperator eligitur anno mundi 5234. à Christo nato 1272. Interregnum imperij à deturbato Friderico per 26. annos durauit. Hic Othocarum Bohemiæ Regem acie victũ occidit: Pseudofridericum qui se in Sueuis erexerat, combussit. In Italiam non est profectus Rudolphus, solitus Æsopi fabulã recitare de Vulpe, & Leone in spelunca ægrotante, apud se reputans maiores suos ingressos quidem sæpe magnis copiis Italiam, sed male acceptos demum plerunque rediisse. Hic redacta sub ditionem Austria, constituit in ea Ducem filium suum Albertum, à quo originem trahunt Austriaci principes, ad Carolum quintum vsque, & Ferdinandum eius fratrem. Vuenceslao Othocari filio, Bohemiæ regnũ, humanitate summa vsus Rudolphus, reliquit, dedítque ei in vxorẽ filiã suam. Imperat annis 19.

ADOLPHVS post Rudolphum imperat anno mundi 5253. à Christo nato 1291. Hic Comes de Nassau cùm esset, Imperator eligitur. Sed ab electoribus pertæsis eius sordes ac ambitionem, imperio destituitur, in cuius locum subrogatur Albertus Austriæ Dux, ac Rudolphi frater: cum quo dum congreditur Adolphus, occumbit anno imperij 7. Consulito Aem. lib. 8. Egna. lib. 3.







PHILIPPVS Pulcher, poſt patrem Philippũ apud Francos regnat anno mundi 5247. à Chriſto nato 1285. Hic Palatium in inſula quam Sequana Lutetiæ facit, extruxit magnificum: vbi forum eſt quod Parlamentum vocant. Vniuerſam Flandriam Rex, opera Caroli Valeſij ſubigit: Vido Comes cum liberis Lutetiam captiuus adducitur. Rex à Flandris magnificè excipitur. Comes cum filio Hilermo Regi data fide, in patriam ad tumultus ſedandos proficiſcitur: qui vbi nil promouet, ad Regem redit, obítque Compendij. tribus deinde præliis plus 20000. Flandrorum cæſa ſunt. Certis tandem conditionibus Roberto Vidonis filio maximo, Comitatus Flandriæ redditur. Hoc Rege, Clemens quintus Lugduni in Papam coronatur: ſedes Papalis Roma Auenionem transfertur, vbi 70. conſtitit annos, tribus Cardinalibus miſſis cum poteſtate Senatoria, quorum auſpiciis Roma & Italia regeretur. Turcis expulſis, D. Ioannis Hoſpitalarij Rhodum capiunt: qui ob id ipſum poſtea vocari cœperunt Equites Rhodij. Templariorum nomen Papa abolet, quorum reditus D. Ioannis Hoſpitalariis conceduntur. Obiit Philippus Pulcher ad fontem Blaudi locum natiuitatis, anno regni 28. in æde D. Dionyſij ſepultus. Gagui.lib.7. Æmy.lib.8.

LVDOVICVS Hutinus Puchri filius, patri ſuccedit, atque apud Francos regnat anno mundi 5275. à Chriſto nato 1313. Hic iam ante matri Ioanæ in regno Nauarræ ſucceſſerat. Engerranus Marinius ſuſpenditur, eius ſtatua è ſummis palatij gradibus deiicitur. Regnat Hutinus annos ferè duos: ad Vicenarum ſaltum moritur, ad fanum Dionyſij ſepultus. Vide vt ſupra.

Mmm





ANDRONICVS, ex tribus maribus, filiis Michaëlis Paleologi, natu maximus, patri in imperio Constantinopolitano succedit, anno mundi 5255. à Christo nato 1293. Andronicus Michaëlem quendam, matre natum Hungarica, generum ac imperij cõsortem assumpsit: quo mox defuncto, Andronicũ Constantinum Despotem iuniorem, ad imperij successionem inuitat: id Michaëlis prædicti filius Andronicus, molestè ferẽs, in auum insurgit, Genuẽsium ope fretus, ius omne ad se trahit. At Veneti seniorem cum restituissent Andronicum, tandem prægrauantibus Bulgaris & Genuensibus, Venetos destituit, partésque Ligusticas, à nepote coactus, amplectitur: & septuagenario maior tandem moritur, anno postquam imperare cœperat decimo octauo. Vide Egna. lib. 2. Cosmo. Munst. lib. 4.

ANDRONICVS iunior, Michaëlis filius ex superioris Andronici filia, sex & amplius annis cum Andronico auo prædicto, varium ac anceps bellum gessit, sæpe tamen reconciliatis animis, amicorum opera, & gratia malè sarta non coëunte. Byzantium tandem clam ingressus, in auum nil molitur: quin illum quoad vixit, secum imperare permisit: quo mortuo, cùm aduersus hostes fortem se præstitisset, quinquagenarius obiit, febre capitísque dolore intra quatriduum confectus, anno imperij circiter 16. cœpit imperare anno mundi 5273. à Christo nato 1311. Vide vt supra, & Chron. Phry. De hoc Andronico, sequentibúsque Imperatoribus ad Constantinum vsque, qui à Mahomete, capto Byzantio, est obtruncatus, quot annis imperarint, ac quo anno definito singuli cœperint, nil certi statuunt autores: ordine tamen vniuscuiusque imago, ac vita, descriptæ sequuntur.





ALBERTVS Rudolphi filius,& Austrię Dux,vti dictum est, deuicto, ac occiso Adolpho, imperat anno mundi 5260. à Christo nato 1298. Noluit primò Bonifacius Papa ratum habere imperium Alberti: postea tamen vltro confirmauit in odium Philippi Pulchri Gallorum Regis: quinetiam donatum Albertũ titulo regni Gallici, extimulauit eum aduersus eũdem Franciæ Regem. At Philippus data filia in vxorem filio Alberti, placauit Albertum. Porrò Albertus filium suum Bohemiæ Regem cõstituit: Bauaros & Maguntinos hostilia fœdera ineũtes, ita domuit vt parêrent imperio. Tandem à Ioanne fratris filio prope Renum interficitur, anno imperij 10. Consulito Aemyl. lib.8. Egna. li. 3.

HENRICVS Lucelburgensis, mortuo Alberto Imperator creatur anno mundi 5270. à Christo nato 1308. Hic Comitem Vuirtembergensem, quòd Imperatori parêre nollet, iugúmq; detrectaret, fortunis omnibus exuit. Deinde in Italiam penetrans, Longobardiam capit, & Mediolani ferrea insignitur corona. inde Romam profectus, post diadema acceptum, ab Vrsinis expellitur. Tandem graui obsidione Florentiam premens, veneno in Eucharistia dato, opera Dominici cuiusdam, è medio tollitur, anno imperij 5. Hic Ioãni filio suo Regis Bohemici filiam vxorem dedit: éstque ac occasione princeps Lucelbulgensis Caroli quarti pater, Rex Bohemiæ factus. Vide Aemy. lib.8. Egna. lib.3.





OTHOMANNVS regnat apud Turcas anno mundi 5261. à Christo nato 1299. Hic primus in ea gente hoc nomen tulit, à castello Galatiæ à se capto: primúsque veterem gentis gloriam asserere ausus est: nam gens ea Ierosolymam ceperat anno mundi 4970. à Christo nato 1008. Sed à Christianis Gothofredo Bolione duce victi, ac pugna non incruenta, fusi, fugatíque ad Niceam Turcæ, nullum dehinc Ducem cuius extet memoria præcipuum habuere, ad hunc vsque Othomannum, qui primus neglecta paucorum potentia, Monarchiam inuasit, primúmque in Turcica historia inter Imperatores locum tenet. Hic cùm esset obscuriore loco natus, attamen ingenio felix, cautus, diligens, ambitiosus regna semper meditabatur: cui etiam impense fauit fortuna: nam magnam Bithyniæ partem, plurimáque loca munita Ponto adiacentia subegit: sed egregias suas victorias maximè nobilitauit, expugnata Siua, quæ olim Sebastia dicebatur. Regnat annos 28. obiit affecta ætate anno primo Philippi Valesij Regis. Pau. Iouius, & Munst. in Cosm.

ORCHANES Othomanni supradicti filius, post patrem imperat anno mundi 5289. à Christo nato 1327. Hic noua dignitate auctus, nihil mutatus, nec patri absimilis, quinetiam militaris disciplinæ peritior, liberalitate, facilitate, & dexteritate fauorem & multitudinem vndique comparans, rem à patre inchoatam industria, studio, & prudentia auxit, Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam & Cariam domuit: Prusiam (quæ nunc Bursia) Regum olim Bithyniæ sedem vi cepit, accepto ibi graui vulnere, quo postea interiit, anno primo Ioannis Francorum Regis. Regnat anno 22. Pau. Io. Christoph. Recherius *lib.* 1.





LVDOVICVS Bauariæ Dux, Rudolphi Imperatoris ex filia nepos, & Fridericus Auſtriæ Dux, variantibus Electorum ſuffragiis, ambo Imperatores eliguntur anno mundi 5276. à Chriſto nato 1314. His varia fortuna ſæpe congreſſis, tandem anno 8. victor Ludouicus, capto Friderico rerum potitur: ſed cùm ſe Imperatorem citra Papæ aſſenſum ſcriberet, excommunicatur. nihilominus Mediolanum venit, vbi ferream accipit coronam: deinde Romæ ſummo acceptus honore à Stephano Columnio coronatur. Petrum Corbarienſem in Pontificem creat: & oppidis iuris Pontificij alios dedit præfectos, Pontificem æmulatus, qui & ipſe Galliæ Ciſalpinæ multos autoritate ſua Regulos præfecerat. Imperauit Ludouicus annos 33. ſumendo initium imperij eius ab exceſſu, & fato venenato Henrici Lucelburgenſis. Aemyl.lib.8. Egna.lib.3.

CAROLVS quartus Bohemus, Ioannis Lucelburgenſis Bohemiæ Regis, de quo dictum eſt ſupra in Henrico, filius, poſt Edoardum Anglum & Guntherum Cæſares electos, Cæſar quoque deſignatur: ad hunc Carolum res deuenit, altero ſubinde poſt alterum vita functo. Romæ itaque coronam hac conditione accepit, vt confeſtim Italia excederet. laudem meruit ob Auream bullam, in qua multa quæ ad pacem publicam pertinent, complexus eſt. Rerum Bohemicarum imprimis ſtudioſus fuit: Pragæ gymnaſium publicum inſtituit. obiit anno imperij 32. Venceſlao filio prius Cæſare creato, promiſſa Electoribus pecunia, vectigalíque imperij illis obligato. Vide vt ſupra.





DANTES Aligerus,Florentinus,cùm humanioribus tum diuinis literis instructissimus, Philosophus ac Poëta, nulli suo seculo secundus, pulsus patria, in Gallia aliquandiu maximè Parisiis, postea apud Arragonum Regem exulans, de sua calamitate varia edidit opera. Tandem exul etiam apud Rauennam obiit,Ludouico Bauaro Imperante, anno mundi 5283. à Christo nato 1321. Videto Trithemium de Scriptoribus Ecclesiasticis,& Supplementum Chronicorum lib.13.

CANIS Scaliger,à rebus gestis,cognomento Magnus,Veronæ vrbis dominium sibi vendicans, rexit eam annos ferè 20. quam etiam variis ac superbis ædificiis ornauit. Picenum & Romandiolam omnem sua potius virtute ac liberali humanitate,quàm armis subegit.Princeps hic eloquens,comis,liberalis,oratoribus,historicis,poëtis,omnibus denique doctis fauẽs, Dantem Florentinum ad se accersiuit,& pręmiis ac honoribus eum donauit. Hic sine virili prole moriens,duobus nepotibus, Alberto inquam & Mastino fratribus, vrbis tantæ dominium reliquit:obiit Veronæ, atque inibi maxima funeris pompa sepultus est, anno à mundo condito 5291. atque à Christo nato 1329. Videto Chronicorum Supplementum lib.13.







PHILIPPVS Longus Ludouici Hutini Francorum Regis frater, successit ei in regno Franciæ anno mundi 5277. à Christo nato 1315. Hic Longus dictus est ob corporis proceritatem ac gracilitatem: id vnum mirum est, quòd neque ab ecclesia, neque à populo quæ petebat tributa & vectigalia impetrare potuerit. Puteos elephantiaci à Iudæis persuasi, veneno infecerunt: quæ res occasionem vt pestis grassaretur præbuit: sed vtrique miserè, dato supplicio, perierunt. Constituerat Rex efficere vt vbique ponderis, mensuræ & pecuniæ ratio eadem esset: sed morte præuentus id præstare non potuit. obiit anno regni, quod per Saliquam legem adeptus erat, quinto, nullis confectis bellis: nam festa pax vndique ridebat. in æde D. Dionysij conditus est. Vide Paulum Æmylium de rebus Frācorum lib. 8. Gaguin. lib. 7. & Carionem lib. 3.

CAROLVS huius nominis quartus, cognominatus Pulcher, Philippi Longi frater, Nauarræ Rex, quemadmodum & tres Francorum Reges superiores, succedit fratri in Franciæ regno anno mundi 5282. à Christo nato 1320. Hic in scelera seuerissimè animaduertit, iustitiæ & æquitatis cultor fuit. Aquitaniam ingressus, Regum hic primus Papæ decimas permisit, vt quæstus particeps fieret. has autem colligebat Papa, vt bello lacesseret Ludouicum Bauarum Imperatorem, quem hostem scilicet ecclesiæ iudicauerat. Regnat annos septem: moritur ad saltum Vicenarum, sepultus in æde D. Dionysij, relicta vxore grauida. Vide autores quos supra.





PHILIPPVS Valeſius trium ſuperiorū Franciæ Regum patruelis, Carolo Pulchro ſuccedens, regnat apud Frācos anno mundi 5289. à Chriſto nato 1327. Flandri à Gallis profligantur: Caſletum capitur, ſpoliatur, inceditur. Ad Ambianos Regum Franci, Angli, Bohemi, & Balearici fit cōuentus, Anglus clientem ſe Franci Regis profitetur. Sacra arma Valeſius induit contra fidei Chriſtianæ aduerſarios. Petrus Cunerius fruſtra conatur temporalem Epiſcopis auferre iuriſdictionem. Incipit maximum bellum Anglicū. Iacobus Arteuilla plebeius multas in Flandria excitat turbas contra Flandrenſem Comitē, qui ſe in Franciam recipit. Galli & Angli Regum acies in conſpectū ferè ſine conflictu veniūt. Anglus quando Francus prælio abſtinet, Flandriam repetit, vbi Arteuillæ conſilio, lilia & Regis Franciæ titulum adſumit: quæ hucuſq; ſibi arrogat. Ad Creſciacum pugnatur tandem à noſtris infeliciter. Calitium Anglis deditur, à quibus recuperari nunquā potuit. Trapezitę Lōgobardi & Itali capti, pulſi, ac proſcripti ſunt ex Francia ob immanes vſuras. Rex ſortē accipit, interuſurio relicto. Humbertus Princeps vili Delphinatum vendit, ea lege vt primus Regis filius Delphinus vocaretur, & Delphinatum obtineret: itaque Dominicanum Humbertus profitetur. Initio regni immanes exactiones fuere, ac primùm ex ſale vectigal inſtitutum. Regnat annis 22. obit ad Nogentum regium, ſepultus ad D. Dionyſium. Æmy. lib. 8. & 9.

IOANNES Philippi Valeſij filius, patri in regno ſuccedit anno mundi 5311. à Chriſto nato 1349. Hic ab Anglo, capitur, ad quartum lapidem ab vrbe Pictonum, ac poſt annos 4. liberatur: nec multo pòſt iterum in Angliam traiicit vt de ſuis obſidibus liberandis tranſigat: at morbo ante reditum præuentus, Londini moritur anno regni 14. ad D. Diony. Carolus quintus patris Ioannis cadauer tranſtulit. Æmy. lib. 9.





IOANNES Palæologus, dictus etiam Calo-ïoannes, patri Andronico iuniori ſuccedit, licet Ioannes Cantacuzenus, tutor prudens, imperium adminiſtret Conſtantinopolitanum circa annum mundi 5290. à Chriſto nato 1328. Tutor itaque Cantacuzenus, ac imperij conſors Apocauci fraude (viri quidem obſcuri, ſed ſolertis & callidi, ac inter principis amicos ob eiuſ modi mores, præcipuæ dignationis) & Patriarchæ ambitione, in exilium truditur. iniuriæ impatiens bellum quinquennale aduerſus Reginam & Ioannem Cantacuzenum Imperatorem, Andronici filium gerit, Turcarum arma Europæ primus infert. Huic tandem proditur Byzantium: quod cùm occupaſſet, nulli moleſtus fuit, imperij tantùm conſortem egit, filia in vxorem Ioanni tradita. Inde in Genuenſes, ſociis Venetis & Arragoniis, varia fortuna bellum gerit Cantacuzenus: cui & ſtatim ab Ioanne Palæologo exule prędicto bellum indictum, Turcarum in primis ope geritur, quibus etiam in Europa locum primus inhabitandum tradidit. Cum autem improuiſus Byzantium, ex Tenedo ſoluens, ingreſſus eſſet Palæologus, tandem Cantacuzenus imperio relicto, monachum egit. Palæologus Matthæum Cantacuzeni filium participē imperij agere volentem, imperium deponere coëgit. & cùm multa bella confeciſſet Palæologus, moriens filio Manueli imperiū reliquit. Vide Egnat. lib. 2. & Coſm. Mun. lib. 4.

MANVEL prædicti Ioannis Palæologi filius, poſt patrem imperat Conſtātinopoli: ſeptem mares filios hic reliquit, quorum Ioannes natu maximus, morienti ſucceſſit. Vide vt ſupra.





AMVRATHES huius nominis primus, Orchanis filius, mortuo patre, apud Turcas imperat anno mundi 5311. à Christo nato 1349. Is auitam paternámque felicitatem æmulatus eſt: at vero in Caramanum auum maternum non minus infeſtus quàm pater fuit, qui ſocerum occiſo eius filio adoleſcente non minima Ciliciæ parte exuerat. Cæterùm à Conſtantinopolitano Imperatore Ioanne Palæologo ſolicitatus Amurathes 12000. Turcarum ei in auxilium mittit: ídque initium ac origo ruinæ imperij Conſtantinopolitani fuit. Nam Europeis opibus illectus Amurathes, opis denuo adferendæ ſimulatione, potiundæ tamen Græciæ animo, Genuenſium nauibus vſus Amurathes, Thurcarum 60000. in Græciam tranſportat: Helleſpontum ad Abydum ſuperat: Callipolim cum aliis oppidis occupat: in ipſum quoque Imperatorem inexpectatò grauem impetum facit. Poſtea Seruiam, Bulgariámque ingreſſus, Lazarum Seruiæ, & Marcum Bulgariæ principes, cum paratiſsimis copiis ei occurentes, ingenti cæde profligat, prius occupata Adrianopoli: ſed Lazaro cæſo, mox à ſeruo in domini vindictam Amurathes occiditur, anno regni 23. Vide Egna. lib. 2. Pau. Io. & Christop. Richerium de rebus Turcarum lib. 1.

SOLIMANVS Amurathis filius, patri in imperio ſuccedens, confeſtim hæreditariæ dignitati eripitur, atque per inſidias occiditur à fratre æmulo Baiazete: quamobrem à nonnullis inter Turcicos Imperatores minimè annumeratur. Vide vt ſupra.





CAROLVS quintus, Ioannis Francorum Regis filius, patri in regno ſuccedit anno mundi 5325. à Chriſto nato 1363. Hic ſapiẽs cognominatur ob morum probitatem, & egregiam regni adminiſtrationem : literas,& literatos coluit: Bibliorum libros ſyncerè transferri iuſſit : ius ex æquo vt diceretur in primis curauit, iudiciiſq; frequenter adfuit.togatus omnino fuit, nec arma vnquã induit:tantùm loca Lutetiæ vicina peragrans, longinqua & grauia negotia, & bella, per fratres ac præfectos ſuos adminiſtrauit:per quos quicquid patri ab Anglis ablatum erat,id omne ferè recuperauit.vt belli impenſis ſufficeret,vecti gal ſali,ac promercali vino impoſuit. Aduerſus Anglos exercitus quinque potentiſsimos habuit.Carolus quartus,Imperator ac Venceſlaus filius Cæſar, in Franciã veniunt, vt inter Anglos & Francos pacem componant:ſed re infecta redeunt ob Reginæ,ac Iſabellæ filiæ interitum. Lex Regis in Senatu promulgatur,vt Regum Franciæ filij anno 14.inungantur,& coronentur. Baſtildæ fundamẽta iaciuntur Lutetiæ,Regis ſumptibus. obiit an.regni 16.in caſtro pulchritudinis ad ſaltum Vicenarum : ſepultus ad D.Dionyſium.Turlupini, qui ſe paupertatis ſocietatem vocitabant,delentur.Æmyl.lib.9.

CAROLVS ſextus,Caroli quinti filius,adhuc adoleſcẽs, in Regem Franciæ conſecratur, anno mundi 5342. à Chriſto nato 1380. Hic Rex tres tantùm Liliorum flores pro inſigni Regum Franciæ geſtare inſtituit. huic pater duodeuicies 100000. aureorum reliquit:initio tamẽ regni filij, magnæ fiſci anguſtiæ fuerunt:huius adoleſcentia & crebra gubernantium mutatio, tantam vim pecuniæ diſſiparat. Armeniæ Rex à Turcis pulſus in Franciam venit. Africum bellum conficitur. Regnat an. 42. ad D. Dionyſium ſepultus. Vide vt ſupra.





FRANCISCVS Petrarca, natione Hetruſcus, vir doctiſſimus, Philoſophus, Rhetor, & Poëta celeberrimus, literas velut intermortuas quaſi ab inferis reuocauit: nec minus ſancta conuerſatione quàm ſciẽtia claruit, multa opera tam in lingua Latina, quàm in ſua vernacula conſcripſit. Amore Chriſti & Philoſophiæ ſalutaris vitam ſolitariam elegit, in qua Philoſophando, orando & ſcribendo perſeuerans, moritur in Eremitorio ſuo agri Patauini, ſub Carolo Imperatore huius nominis quarto, & Gregorio Papa huius nominis vndecimo, anno à mundo condito 5536. à Chriſto nato 1374. Videto Trithemium.

IOANNES Boccatius Florentinus itidem Poëta, Philoſophus, & Aſtronomus eruditiſſimus, multa præclara volumina tum Latino, tum vulgari ſuo idiomate conſcripſit. moritur ſtatim poſt Petrarcam. Videto etiam Trithemium.







IO. GALEATIVS Vicecomes, Galeatij Mariæ filius, anno mundi 5333. à Christo nato 1371. postquam more patrum suorum, annos 17. Mediolani imperauerat, à Ladislao Cæsare, Dux Mediolani creatur. Vt autem à suis inciperet, Barnaba patruo occiso, opes eius & imperium occupauit. Hinc Veronam, Vicentiam, & Paduam subiugauit. ad Occidentem, Vercellas, Albam, atque Astam subegit. ad meridiem debellauit Aquas, Alexandriam, Tortonam, Bubbium, Placentiam, Parmam, Regium, Bononiam, Pisas, Massam, Senas, Grossetum, atque Clusium. & reuertens Perusium, Assisium, Noceam, Ciuitatem, Bellonam cepit & Feltrum: & (vt velut circulum absolueret) Brixiam, Bergamum, Laudem, Cremonam, atque Cremam, subegit. Lucenses in deditionem accepit. tota ipsum Italia reformidauit. Ticini ædificauit arcem superbam, ad quartum verò lapidem, septum admodùm ingens, ad feras omnis generis asseruandas, cum cænobio magnifico extruxit. fuit pulcher, doctus, & eloquens: sed imprimis sagax. Tandem 55. ætatis anno, post 24. imperij obiit, relicta Valentina, Caroli Regis Franciæ postea vxore. Paul. Iouius, & Supplementum Chro.

IO. MARIA Vicecomes, adhuc paruulus, & sub materna custodia, anno Salutis 1402. feliciss. patri successit. Hic cum adoleuisset, multos innocentes occidit, & non paucos inimicos canibus viuos deuorandos tradidit. Piam matrem detrusit in carcerem, ibique eam sæuissimè mori coëgit. Verùm mox quasi Deo vindice, nudatus ampliss. bonis paternis, à domesticis, post decem annorum tyrannidem, in templo trucidatur. Paul. Iou. & Supplementum.





BAIAZETES Turcarum Rex quartus, ſiue Pazaites, huius nominis primus, mortuo patre Amurathe Solimanum fratrem per inſidias occidit, ſolúſq; imperio potitur anno mundi 5335. à Chriſto nato 1373. Hic Marcum Bulgariæ principem prælio ſuperatum trucidat, patris mortem vlturus: bonámque Bulgariæ partem debellat: neque ita multò pòſt, crudeliſſimas in Hungaria, Albania, & Valachia excurſiones fecit: Chriſtianos quamplurimos ligatos in Thraciam duxit. In negotiis exequendis tanta vſus eſt celeritate, vt Baiazetes Hildrin, id eſt cœli fulgur cognominaretur. Animi itaq; ac corporis dotibus adiutus totam ferè Græciã ſubegit. Conſtantinopolim obſedit annis 8. cuius Imperator in Galliam nauigat, auxilium imploraturus, quod & obtinet. Baiazetes autem Gallos, Hungaros, Germanos ac Seruianos, ſiue Myſios, ſemel ac ſtrenuè ſuperat: atque ad obſidionem Conſtantinopolitanam reuertitur: neque vlla ratione imperij caput illud ſeruari poterat, ni Tamberlanes, Orientalis Scythiæ Rex, ei occurriſſet, qui Baiazetem ad Stellam montẽ, vbi cum Mithridate Pompeius pugnarat, vicit, catenísq; aureis ligatum, atque in ferream caueam detruſum, per totam Aſiam ac Syriam circunduxit, donec etiam in fata concederet. Vide Egna. lib. 3. Pau. Iouium, de re. Turc.

TAMBERLANES Zagataiæ Orientalis Scythiæ regionis, verſus Parthiam ac Sogodianam princeps, peditum ac equitum infinita penè multitudine fretus, Turcarum 200000. vnico congreſſu cecîdit, Regémque eorum Baiazetem, vti dictum eſt, cepit, circa annum Domini 1397. Vide vt ſupra.





VENCESLAVS ſuccedit Carolo patri Imperatori huius nominis quarto, imperátq; poſt eum anno mundi 5340. à Chriſto nato 1378. hic nec patri, nec auo ſimilis fuit: cum patre tamen annos 8.regnarat:tandem ſolus ignauiſsimè rem adminiſtrat annis 22. Cæterùm à Sigiſmundo fratre captus eſt, móxque Electores ei imperium abrogant, in cuius locum Robertum Bauarum ſufficiunt. Porrò Galeatius Vicecomes Mediolanenſis bonam Italiæ partem ſuo dominio adiicit, atque à Venceſlao, pro Vicecomite, Dux Mediolanenſis dicitur. tunc igitur in Ducatum erectus eſt primùm Vicecomitatus Mediolanenſis. Apud fratrem in carcere apoplexia obiit Venceſlaus. Blond.lib.10.deca.2.Egna.lib.3.

ROBERTVS, qui & Rupertus, Bauariæ Dux, deiecto Venceſlao, imperat anno mundi 5362. à Chriſto nato 1400. Hic vt Florentinis gratum faceret,ad comprimendam Galeatij potentiam,in Italiam traiicit: verùm cum eo ad Benacum congreſſus,facilè repellitur: vnde mox ad Venetos deflexit: & incaſſum Florentinis adnitẽtibus ne Italia exiret, in Germaniam retro abiit,paci,religioníque vacaturus,Florentinos interim in magno relinquens diſcrimine. Obiit poſt annos ex quo imperauit decem. Vide vt ſupra.







CYRISCELEBES, quem alij falsò Calapinum dicunt, Baiazetis filius natu maximus, cū fratribus post patris cladem fugiens, Asiáque à Tamberlane spoliatus, & ad Imperatorem Constantinopolitanum pro singulari præda deductus, regiéq; apud eum educatus, postea summa Imperatoris clementia solutus est: in Asiámque discedens, paternum imperium recuperat. Instauratis itaq; imperij viribus, aduentanti Sigismundo Hungariæ Regi fortiter se opposuit, qui Salumbezenes campos occuparat, sperans vires non resumpturos Turcas post tantam à Tamberlane acceptam cladem: sed non magis sibi fauente fortuna quàm, cùm ad Nicopolim pugnās cum Baiazete, fauerat, fugere cogitur Sigismundus: cuius pedites ante sagittis cōfossi sunt, quàm in phalangē dispositi cominus congredi cùm hoste potuerint: equites verò ad primum statim aduentantis hostis impetum terga verterunt. Victor Cyriscelebes cum Despotam bello lacessere inciperet, morbo præuentus in ipso ætatis flore obiit anno regni 6. Pau. Iouius de rebus Turcicis.

ORCHANES patri Cyriscelebæ, tenella adhuc ætate adolescentulus, ac vnicus imperij hæres, ad imperium cùm conaretur paucorum studio atque opera admitti, à Mose patruo interficitur. Moses statim dignum illo parricidio exitium tulit, à fratre Mahomete vita boníśque priuatus. Sunt qui hunc Mahometem, nulla prorsus facta de Cyriscelebe, Orchane, & Mose mentione, à morte Baiazetis statim imperasse tradant: quare nullam hîc supputationis annorum rationem habuimus, sicuti nec Chronici. Vide vt supra.





MOSES Orchanem nepotem, cui erat patruus interfecit, ipſe quoque à fratre Mahometo viciſſim interfectus eſt. nec connumerātur ambo in ſerie Turcicorum Imperatorum, quòd paucis admodum diebus imperitarint. Vide Richerium de rebus Turcicis lib.1.

MAHOMETES huius nominis primus, Muſtaphæ & Moſis, eius inquam qui Orchanem ex fratre nepotem è medio ſuſtulerat, frater, poſt Baiazetem Turcis imperat anno mundi 5359. à Chriſto nato 1397. Sunt qui ea quæ de Cyriſcelebe feruntur, huic vni tribuant. Is itaque Bulgaros & Valachos prædis & cladibus afflixit, tributúmque magnum impoſuit. Arma deinde in Satrapas Aſiæ vertit, loca omnia quæ Tamberlanes occupauerat recepit: nihil generis propinquitate commotus, Turcicæ nationis complures principes ex Galatia, Ponto & Cappadocia pulſos extirpauit: alios autem integros atque incolumes ſeruauit. Reuerſus in Græciam, Adrianopolim, quæ caput eſt Thraciæ, ſedis imperatoriæ loco habuit, pulſis illinc Chriſtianis. Obiit anno imperij ſui 17. regni verò Caroli hoc nomine ſexti Francorum Regis 35. Vide Richer. lib.1. & Coſm. Munſt. lib.4.







SIGISMVNDVS, Hungariæ & Bohemiæ Rex, Venceslai frater, mortuo Alberto communi omnium assensu Imperator creatur anno mundi 5372. à Christo nato 1410. Hic Imperatoriæ planè indolis, sapientia, eruditione, probitate ac liberalitate clarus, doctos fouit, ac dignitatibus ornauit. Attamen ab Amurathe Turcarum principe graui prælio victus, castris etiam exuitur. Hic per triēnium magnam Europæ partem peragrauit, quò schisma Christiano nomini calamitosissimum extirparet: quare effecit vt reiectis adulterinis tribus Pontificibus qui Barionæ sedem inuaserāt, Oddo Columnius omnium consensu Pontifex declararetur. obiit Sigismundus nulla relicta virili prole, cum annos 27. imperasset. Vide Egna. li. 3.

ALBERTVS Dux Austriacus, post Sigismundi obitum Imperator designatur anno mundi 5399. à Christo nato 1437. Hic Sigismūdi gener cùm esset, post eius obitum hæres regnorum Bohemiæ & Hungariæ factus est. Morauos ac Sarmatas intra suos fines quiescere compulit. Bohemiæ factiones compescuit: Amurathē Turcam, qui Hungariā inuaserat, fugauit: Synderouiam in deditionem accepit: inde in Græciam contendēs, Thessalonicam expugnauit. Austriam repetens, moritur anno imperij sui (proh dura fata) secundo. Vide vt supra.







PHILIPPVS Maria, obtruncato Ioanne fratre ſupradicto, armis paternum Mediolanenſem inquam ducatum repetit anno mundi 5379. à Chriſto nato 1417. Callidus hic in bello pacem, in pace bellũ poſcere viſus eſt. Diſcendi auidus ſemper fuit, callidus, ſagax, liberalis, in iniuriis relaxandis facillimus, ſtatura procerus, vultu formidabilis, maturo conſilio, arte, ac validiſſimis armis, tyrannos qui ſuæ ditionis ciuitates occũparant, è medio ſuſtulit. Recuperauit Comum, Tricium, Bergamum, Briſſiam, Placentiam, Laudem, Cremonam quoque ſubegit. Io.Iacobus Montisferrati Marchio, veritus huius potentiam, Vercellas, Alexandriam, Aſtámque ſponte Philippo reſtituit. Suo præterea dominio Genuam maritimam vrbem potentiſſimam adiecit. Genuenſes itaque ſubacti, ac eius ſubditi, Alphonſum Neapoli, & Io.Nauarræ Reges, & magnum magiſtrum S.Iacobi Compoſtellani fratres, cum aliis primoribus ſupra 100. & equitibus clariſſimis vltra 200. prælio nauali ceperũt: quos ad ſe perductos humaniſsimè excepit: ac multis donatos muneribus dimiſit: cum illorum regnũ ac ditionem totam ſibi vindicare, aut occupare facilè potuerit. Tandem fœdiſsima libidine inſaniuit, & mutata fortuna, nulla relicta virili prole, obiit ventris profluuio anno ſalutis 1447. Vide Paul.Ioui. & Supplem.Chro.lib.14.

BEATRICINA, antea Facini Canis vxor, iam vetula, nupſit prædicto Philippo, & numerauit dotẽ aureorũ 400000. hanc poſtea vt ſuſpectam interfecit. Deinde Mariam Amidei Sabaudiæ Ducis filiam in coniugem ductam, præuentus morte, intactam dimiſit. Vide autores quos ſupra.





AMVRATHES, hoc nomine ſecundus, Mahometis ſupradicti filius, patri in Turcarum imperio ſuccedit anno mundi 5378. à Chriſto nato 1414. Hic cognita patris morte, ex Aſia in Thraciam cupiens traiicere, Muſtapham patruum cui Græci fauebant, auxiliúmque ferebant, fundit, ac delet. Primus pro tuitione corporis, Ianizaros, Chriſtũ abnegantes, inſtituit, quorum viribus & ipſe, & qui ipſi ſucceſſere, totum penè debellarunt Orientem. Is Hungariam, Boſinam, Albaniam, Valachiam & Græciam infeſtauit: Venetis Theſſalonicam ademit. Ladiſlaum Poloniæ Regem, & Iulianum Cardinalem, ac Huniadem vicit. Regnat annos 34. Vide Riche. lib. 1. Paul. Iou. & Coſm. Munſt. lib. 4.

SCANDERBEGVS, ſiue Scanderbechus, ſic dictus à Turcis inter circuncidendum: antea enim vocabatur Georgius Caſtriotus, is inquam à patre, Epiri atque Albaniæ, ſeu Macedoniæ, principe, datur obſes Amurathi Turcarum Regi ſeptimo: qui eum tandem poſt multa egregia facinora, expeditioni, quam aduerſus Hungaros parabat, præficit: porrò ad hos cùm res malè Turcis cederet, deſciſcit Scanderbegus, atque à ſecretario Baſſa literas ad Croiæ magiſtratus extorquet, in quibus nomine Amurathis, ciuitas ac præfectura ſibi tradatur. ſic Croiam patriam recipit circiter annum mundi 5409. à Chriſto nato 1447. Cæterum Amurathes Epirum cum ingenti exercitu repetit: at Croia fruſtra per aliquot menſes oppugnata, mœrore animi obiit. Vide vt ſupra. & Marinum Barletium lib. 1.





CAROLVS huius nominis ſeptimus Francorum Rex, vnicus Caroli ſexti filius, patri in regno ſuccedit anno mundi 5384. à Chriſto nato 1422. Tunc regnum Francicum turbulentiſſimum fuit, nam Anglorum Burgundionúmque bello petitus Carolus, omnibus penè regni finibus amiſſis, ad Bituricenſes ſe contulit, apud quos manſit: quare ab hoſte Bituricenſium Rex per iocum dictus eſt. Henricus ſororis Caroli filius inter titulos, Angliæ, Franciǽq; Regem ſe ſcribebat: qui etiam Pariſiis in Franciæ Regem coronatus eſt. Ioanna puella, armis inſtructa, militis ſubit munus: obſeſſos Aurelianenſes iuuat, hoſtes cogit obſidionem ſoluere: per loca ab hoſtibus occupata Regem Carolum Remis conſecrandum ducit, multáſque in itinere vrbes recipit: tandem ab hoſtibus capta, Rothomagi exuritur. Lutetia Francorum Armis Angli pelluntur. Pragmatica ſanctio in concilio Baſilienſi ædita, à Rege probatur, & in Senatu Lutetiæ promulgatur. Vniuerſam Normaniam Carolus recuperat: Angli expulſi, præter Calitium & vicina aliquot loca nil in Gallia poſſident. Delphinus ſecundò à patre deficit, aduerſus quem pater bellum mouet, & ſpoliatum rebus omnibus, ne à quoquam excipiatur inhibet: porrò ad Burgundiæ Ducem ille profugit. Regnat Carolus an. 38. Vide Gaguin. li. 9. & 10. & Æmy. lib. 10.

LVDOVICVS Caroli ſeptimi filius, apud Burgundiones agens, nuntio paternæ mortis accepto, in Galliam cõfeſtim tranſit, ac Francorum Rex creatur anno mundi 5422. à Chriſto nato 1460. Bellum geritur, bonum publicum, vulgò dictum, de quo fuſiſſimè tractat Philippus Cominius, & ſynceriſſimè: nam huic bello interfuit. Regat Ludo. an. 23.





IOANNES, Manuelis Palæologi filij, filius natu maior, post mortem patris in imperio succedit Constantinopolitano, circiter annum mundi 5395. à Christo nato 1433. Paci hic ac concordiæ magis quàm bello studens, comitatus totius Græcię comitibus, cùm sacris, tum profanis, atque Eugenij huius nominis quarti Pontificis autoritatem secutus, Ferrariensi, quod deinde Florentiam translatum est, concilio interfuit: susceptúsque est ab Eugenio Imperatorum more: atque ex duabus, nempe Græcorum ac Latinorum Ecclesiis, vna facta est. Tunc à Græcis ac Latinis de processione Spiritus sancti damnatus est error. Reuersus Imperator, haud ita diu superuixit. Vide Egna. lib. 2. & Cosmog. Munst. lib. 4. Plati. & Volater.

CONSTANTINVS, septimus Manuelis filius, mortuo sine liberis fratre Ioanne supradicto, Constantinopoli imperat, circiter annum mundi 5406. à Christo nato 1447. hic ab initio Peloponnesi Rex, Draconis cognomen inditum accepit, ob eam quam in Turcas exercebat ferocitatem. At verò à Mahomete Amurathis secundi filio capta Constantinopoli, ipse Constantinus ad portam trepidus se recipiens, fugientium trepidatione oppressus obiit: cuius caput pilo affixum, totis castris ad ludibrium hostis gestauit: anno mundi 5414. à Christo nato 1452. Id mirum, atque in fatis quasi habendum, nempe quòd à Constantino Magno Helenæ filio Constantinopolis, vrbs Romæ semper æmula, condita aut instaurata sit, ac sub Constantino, qui eiusdem nominis matrem haberet, capta, Turcarúmque iugo ad hanc diem sit subdita. Vide vt supra.





CAROLVS, Philippi Burgundiæ Ducis filius, patri ſuccedens, bellicoſus ac ſtrenuus, bellum geſsit aduerſus Ludouicum Francorum Regem, huius nominis vndecimum, cum quo poſtea fœdere inito, in Leodienſes bellum mouit, quos & debellauit. Noueſium quod alij Nuſsiam vocant, agri Colonienſis oppidum, diu obſedit, hoc eſt annum integrum. Huc autem maximè ſpectabat Carolus, vt imperio Dioceſim Colonienſem adimeret: aduerſus hunc expeditionem parat Fridericus Imperator: Tandem fœdus hac conditione ineunt, vt Maximilianus Friderici filius, Mariam Caroli Ducis filiam vnicam, in vxorem accipiat. Pugnauit Carolus ſemel atque iterum, infeliciter quidem, cum Heluetiis. Cæterùm ad Nanſen contra Argentinenſium Heluetiorúmque auxiliares copias dimicans, à Renato Lotaringo victus miſerè occubuit, anno mundi 5437. à Chriſto nato 1475. Hic antequam pater moreretur, bellum etiam Gandauis intulerat. Vide Chron. Philippi Cominij, & rerum memorabilium Paraleipomena.

BARTOLOMÆVS Coglio ſiue Coleo, Bergoma, clariſsima ortus familia, Dux exercitus Venetorum creatus eſt, atque à Carolo Duce Burgundionum ſupradicto, & Ioanne Andegauenſi Duce, per priuilegia autentica in familiis eorum aſcriptus. Hic bellicis artibus inſtructus, conſilio item, prudentia, ac humanitate maximè pollebat: huius etiam aulæ amplitudo, pompa & gloria, omnium ferè principum aulas æquabat. Videto Supplementum Chronicorum lib. 16.





CALIXTVS Papa huius nominis ſecundus, in Pontificem eligitur poſt Gelaſium huius nominis ſecundum, anno mundi 5080. à Chriſto nato 1118. fuit hic natione Burgundus, frater Ducis Burgundiæ, prius Archiepiſcopus Vienenſis, diuinarum ſcripturarum peritiſſimus, nec ab humanioribus literis abhorrens. Sanctum Iacobum Apoſtolum coluit: in cuius honorem Compoſtellanam eccleſiam in Archiepiſcopatum erexit. Videto Trithemium. præfuit Eccleſiæ in ſummo Pontificatu annos ferè ſex.

PIVS, huius nominis Papa ſecundus, creatur Pontifex anno mundi 5419. à Chriſto nato 1457. Hic Æneas Syluius antea vocatus, natione Tuſcus, patria Senenſis, vir vndecunque doctiſsimus, Philoſophus, Orator, & Poëta inſignis, multa doctrinæ ac ingenij ſui monimenta poſteris reliquit. In concilio Baſilienſi Prælato cuidam miniſter fuit: deinde in Scribam Cancellariæ Friderici Imperatoris, huius nominis tertij, aſſumptus, & Poëta ab eo, Laurea recepta creatus, primò Epiſcopus, poſtea Cardinalis, tandem Papa omnium ſuffragio electus eſt. Obiit Anconæ, Friderico, huius nominis tertio, imperante. Videto vt ſupra. Pontificatum geſsit annos ſex.







PAVLVS, hoc nomine Papa ſecundus, Pio ſupradicto in Pontificatu ſucceſſit, anno mundi 5425. à Chriſto nato 1463. Hic Petrus Barbarus antea dictus, Eugenij huius nominis quarti Pontificis ex ſorore nepos, ſedit annis ferè 7. corpore fuit amplo, & maieſtatis Pontificiæ digno. Duo bella toto ſuo Pontificatu in Italia ſuſcepit. Robertum Sigiſmundi Malateſtę filium aggreſſus eſt. Cæterum pauperum curam geſſiſſe perhibetur, imperioſus tamen ac faſtu plenus cùm eſſet, odioſus omnibus fuit. Eius prima cura fuit, vt quæ victui eſſent neceſſaria, vrbi non deeſſent. Die quadam cùm iucundiſſimè cœnaſſet, apoplexia correptus obiit. Vide Chronicorum Supplementum.

SIXTVS huius nominis Papa quartus in locum Pauli ſupradicti ſuffectus eſt, Pontificatúmque obtinuit anno mundi 5432. à Chriſto nato 1470. Hic natione Ligur, ordinis Minorum generalis antea miniſter, ſedit annis tredecim. Hic cùm alioqui fuiſſet vitæ pientiſsimæ, ac in pauperes & religioſos munificentiſſimus, attamen ſuos nimis amauit, eis diuina & humana contribuens, id eſt eccleſiaſtica & temporalia bona, præter Dei & Romanæ Eccleſiæ dignitatem ac honeſtatem: & quædam bella iudicio multorum præter æquum ſuſcepit: imprimis contra Laurentium Medicen, & Florentinos, quibus multa damna intulit: & contra Ferdinandum Apuliæ Regem, dein contra Venetos. Tandem febre correptus, cum audiſſet fœdus ictum inter Venetos & reliquos principes, expirauit. Hic feſta ſeraphici Franciſci, conceptionis & præſentationis D. Mariæ, & S. Annæ & Ioſeph celebrari iuſsit. Vide vt ſuprà.





ALEXANDER Targinus de Imola, siue Imolensis, Iureconsultus doctissimus claruit temporibus Friderici Imperatoris huius nominis tertij, & Sixti Papæ, huius nominis quarti, de quibus supra mentionem fecimus. Hic Alexander, in vsum eorum qui iurisperitiæ operam dant aliquot libros conscripsit, quos nominatim descriptos habes apud Ioannē Trithemium.

ANDREAS Barbatias legum peritissimus, multa præclara in iure edidit opuscula, quorum nomenclaturam potes etiam apud Trithemium legere.







FRIDERICVS Auſtriæ Dux, poſt Albertum imperat anno mundi 5401. à Chriſto nato 1439. hic pacis atque otij ſtudioſiſſimus fuit: ſeditionem mouentes Auſtriacos facilè compeſcuit. bellum à Matthia Pannoniæ inferioris Rege illatum, compoſuit: in Flandros mouẽs, qui filium Maximilianum ceperant, & aſſeruabant, recepto filio paucorum pœna contentus, omnem diſcordiarum fomitem ſuſtulit. Romæ vnà cum vxore Heleonora, ſiue Leonora, Luſitani Regis filia, coronatus, inde Neapolim ad Alphonſum vxoris neceſſarium ac ſanguine cognatum, diuertit, à quo, & ab ipſis poſtea Venetis, ſummo honore, & apparatu excipitur. Iterum Romam voti reus petit, priuati more, atque humili veſte indutus: quo voto damnatus ad ſuos redit: & quieſcente Germania, moritur anno imperij 53. Maximiliano prius Cæſare deſignato. Vide Baptiſtam Egnatium, Romanorum principum lib. 3.

HELEONORA, ſiue Leonora, ſupradicta, Luſitaniæ Regis filia, vxórque Friderici Imperatoris, Romæ cum marito Imperij corona inſignitur anno mundi 5412. à Chriſto nato 1450. Ex hac Maximilianum, qui poſtea imperat, ſuſtulit Fridericus. Vide Egnatium ad calcem libri tertij, in Friderici Imperatoris ſupradicti vita.







RENATVS Lotaringiæ Dux, Apuliæ Regis ex filia nepos, à Venetis ſolicitatus ſpe regni Apuliæ obtinendi, quod ſibi hæreditate materna debebatur, Venetias iuit. Fœdere cum Venetis percuſſo, in Ferrarienſem agrum bellum mouet, atque vrbis ipſius, Ferrariæ inquam, oppugnationem adgreditur. Verùm ab Alphonſo Aragonum Rege fortiter pulſus, cum exercitum viribus eneruari, ac ſe ob aëris intemperiem mala valetudine affici ſentiret, inglorius in patriã rediit, circiter annum à mundo condito 5404. à Chriſti natiuitate 1442. hunc perhibent fuiſſe probitatis eximię principem, nec à maioribus degeneraſſe, qui verè pij, & ſyncerę fidei cultores ſemper ſunt habiti. Videto Supplem. Chronicorum lib. 16.

IOANNES, Calabriæ ac Lotaringiæ Dux, primogenitus Siciliæ Regis filius, magnanimus, bellicoſus, & æquitatis amantiſſimus extitit. Videto vt ſupra.







FRANCISCVS Sforza, Sforzæ à Cutiniola filius, Philippi Marię Vicecomitis gener, ab eodẽ adoptatus eſt, & angue, inſigni familiæ donatus, anno ſalutis 1430. ſocero defuncto, proximo ſtatim anno, ob ſingularem virtutem Mediolani principatum adeptus eſt. Hic Sforzæ cognomen à Sforza patre bellicoſo traxit: qui humilis & abiectus, cum ſe militiæ tradidiſſet, per vim ab aliis quicquid cuperet extorquebat, ſicque Sforzæ cognomen aſſecutus, vt propriũ nomen ſemper poſtea habuit, & ad poſteros cognomen trãſmiſit. Hic per cunctos gradus, ad ſummum militiæ culmen conſcendit. Contra Eugeniũ Papam, contra Florentinos, Venetos, Mediolanẽſes, non ſemel victor, Guelforum, ac Gibellinorum nomen ferè è medio tulit, Italiæ vniuerſæ propemodum factus terror. Compoſita cum Venetis pace, multæ Italię ciuitates eius exẽpla ſecutę, arma depoſuere. Intus foríſque pacatis omnibus, à fundamentis denuò erexit caſtrũ Mediolani, quod Iouis dicitur, à populo antea dirutum. Magnum illud hoſpitale, ægrotis recipiendis, ædificauit, quod regali cenſu ditauit, opus in orbe rarum. Vt diui Ambr. tẽplum erigeret, multum auri expendit. Tandem verò hic tantus vir, adeò libidine exarſit, vt adoleſcentum flagitia ſuperarit. rexit an. 16. obiit, ſex filiis duabúſque filiabus relictis, anno ſalutis 1466. Vide Supplem. lib. 15. & Archie. Antonium.

GALEATIVS Maria, Franciſco Sforzæ patri defuncto, ſtatim in Mediolani principatu ſuccedit, pulſa matre quæ rem cum eo adminiſtrabat: multis hic ſe inquinauit flagitiis: quamobrem adulteriis, homicidiis, inceſtibus, ſacrilegiíſque pollutus anno adminiſtrationis 9. liberis 4. relictis, in æde Diui Stephani vulneribus eſt confoſſus. Vide Supplem. Chron.





MAHOMETES, hoc nomine ſecundus, Turcarũ verò Rex octauus, Amurathi, etiam huius nominis ſecũdo, ſuccedit anno mundi 5411. à Chriſto nato 1449. Hic regnum à parricidio auſpicatur. fratrem paruulum, ne pater ſolus ſepeliretur, opera Moſis interficit. Impiiſsimus nullum Deum credidit: Mahometem ſuum, Pſeudoprophetam ſui ſimilem dixit: Prophetas ac Patriarchas riſit, ac nugas duxit: huic tametſi impio, fauit aliquando fortuna. Nam magni cognomentum Othomannicę familiæ quæſiuit. Duo Chriſtianorum imperia Conſtantinopolitanum & Trapezuntinum ſubuertit: regna 12. ademit: ducentas vrbes Chriſtianas cepit: Ipſe colico dolore correptus, quarto demum die moritur, anno ætatis 58. regni 31. Richer. lib. 1. Paul. Iou. Egna. lib. 2. Coſm. Munſt. lib. 4.

BAIAZETES hoc nomine ſecundus, Mahometis ſupradicti filius Ianizarorũ opera Turcis imperat anno mundi 5442. à Chriſto nato 1480. Hic minorem fratrem Zizimum, quem primores Imperatorem expoſcebãt, vincit ac fugat: qui à Rhodi præfecto ad Carolum octauum in Galliam mittitur. Porrò Baiazetes Caramanno fuſo, quæcunque is cis & trans Taurum Turcis ademerat, recepit: Valachiam ſubegit: In Sultanum Ægyptium mouit: Sed is potentior, vtpote qui Mamaluchos, poſt Caramanni cædem fugitiuos exceperat, ac Arabum maximas copias ad ſui tuitionem alebat, Baiazetẽ ſæpe debilitat, ac profligat: poſtea Ceraunioꝛum montium accolas ſubdit. Venetis Methonem, nunc Modonem, Nepãthum, olim Naupactum, & Dyrrachium ademit. Acomathem primogenitum decrepitus Baiazetes abſentem in locũ ſuum ſubſtituit: Sed, Ianizaris Zelimo ſuffragantibus, cogitur pater Zelimum pro Acomathe ſubſtituere. paulò pòſt imperio deturbatus à filio Zelimo, ab eodẽ filio veneno necatur, anno regni 30. Vide vt ſupra.





SIGISMVNDVS Malatesta Arimini princeps, Pandulphi Malatestæ filius spurius, béllicosus admodum, splendidus & liberalis fuisse perhibetur: interim tamen multis flagitiis inquinatus turpi nota nomen suum inussit: ideóque diris & armis Pontificum obnoxius fuit. Hic tres duxit vxores, primam Crimignolæ comitis filiam, quam mortuo patre repudiauit: cùm tamen dotem ex ea amplissimam percepisset: Secundam Nicolai Estensis, Ferrariæ principis filiam, generosam ac probam: hanc nihilominus paulò post veneno sustulit: tertiam Francisci Sfortiæ filiam, præclaram & modestam, quam tandem propriis etiam manibus, vt mensuram scelerum suorum impleret, apprehenso ac fortiter presso iugulo suffocauit. Vide Supplem. Chron. lib. 15.

ROBERTVS Malatesta Sigismundi filius, etiam nothus, patri in principatu Ariminensi succedit, anno mundi 5428. à Christo nato 1466. Fuit hic moribus patri dissimilis, belli etiam artibus, & præclaris rebus gestis ornatissimus. pro Venetis, sub quorum stipendiis diu militauit, varia mortis pericula adiit. Cum Galeatio Mediolanensium Duce, & Florentinis suas coniunxit copias, & oppida omnia quæ Pontifex patri in Ariminensi agro ademerat recepit. Hic Alfonsum Calabriæ Ducem, alioqui fortissimum vicit, ac fugauit: quo in bello, præ ardore pugnæ nimio, in dysenteriam incidit, nec ita diu, hoc dolore correptus, superuixit. habuit in vxorem Elisabetam, Vrbini Ducis filiam. Vide vt supra.





IO. MARIA, patre, ab Andrea à Lãpognano, interempto, à Senatu populóq; adhuc paruulus Mediolanensium Dux creatus est anno mundi 5438. à Christo nato 1476. Bonæ ipsius matri & consanguineis quibusdam, atque primoribus, regiminis cura commissa. Hic inter viuendum ac moriendum infelicissimus fuit. Nam tutores breui Bonam à gubernatione repellunt: & Ludouicus patruus atque tutor, arte & astu principatum inuadit, permittens adolescentem à virtutibus deflectere, & voluptatibus operam dare. Nec prius hic tantum suum malum aduertit, quàm cùm morti esset vicinus, hausto iam veneno quod ei pararat patruus. Itaque hoc pacto, cum annos 26. mensésque 9. Ducem nomine tantùm egisset, inglorius diem clausit extremum, Francisco Sforza secundo, filio relicto, ex Isabella Ferdinaldi Neapolis Regis filia suscepto. Morti eius ac funebri pompæ Christianissimus Carolus Galliæ Rex, qui Neapolim tunc petebat, interfuit. Vide Supplem. lib. 16. & Archie. Antoni.

BONA, Sabaudiæ Ducis filia, inter omnes Heroides laudatissima, Galeatij Mariæ olim vxor, peperit illi quatuor liberos, duos mares, totidémque fœmellas. Hæc Io. Gal. Mariæ filio adhuc paruulo tutrix à viro moriente relicta, parùm admodùm in administratione perseuerauit, à Ludouico Sforza, Mauro vocato, adolescentis patruo, & tutore deturbata, ac in ordinem redacta. Vide autores quos supra.





FRANCISCVS Aretinus Iuriſconſultus excellens multa ſcripſit ſtudioſis mirum in modum vtilia, ſuper Digeſta, Codicem, & Decretales. Scripſit etiam Conſilia, de Differentia inter ſentẽtiam interlocutoriam & definitiuam. Magnum nomen adeptus eſt per vniuerſam Italiam, preſertim in florẽtibus Academiis, vt Pataui, Bononiæ, & aliis. Erat valde amatus à ſuis Diſcipulis, qui eum in quamuis Academiam migrantem, eius ſtudio incenſi, ſemper ſequebantur, vt in Iure magis proficerẽt. Florebat anno ſalutis humanæ 1469. Vide Conradum Geſnerum, in ſua Bibliotheca.

BARTHOLOMEVS Cepolla Veronenſis doctiſſimus Iuriſconſultus fuit, numero celebriorũ ſui temporis aſcriptus, maximè in practica Iuris, vt videre licet ex magno volumine ab eo conſcripto & hoc titulo nominato, Cautelæ cauſarum Ciuilium. Scripſit etiam volumen conſiliorum criminalium: Tractatum de ſeruitutibus: alium, De Aedilitio edicto, de Prædiis vrbanis, De prædiis Ruſticorum, De re militari, De furtis, De Imperatore militum, De ſimulatis Contractibus, & plures alios, ſi per ius ciuile & criminale. Floruit anno ſalutis 1477. Vide Conradum Geſnerum, in ſua Bibliotheca.







MARCILIVS Ficinus, Patria Florentinus diuinę Philosophię amore incẽsus, Platonis vniuersum opus, maxima diligẽtia trãstulit. Erat corpore admodũ pusillo, vixque semihominem æquare videbatur, sed tamen acuto ingenio erat prędictus, & vtriusq; linguæ admirabili facultate. Vnde Plotinũ, Iamblicũ, Synesium, & Psellum Platonicę sectæ nobiles authores, Latinos effecit, hortante Cosmo Medice, & suffragantibus his qui Cosmo successerunt, à quibus, multis numeribus sese adauctũ & cumulatè ornatũ sensit. Fuit lætus & ad tuẽdã valetudinẽ exactus. Scripsit plures libros, qui feruntur Theologię naturalis lib. 1. de intellectu & intelligentia lib. 1. in conuiuiũ Platonis lib. 1. Epistolarũ lib. plures, de triplici vita lib. tres, Apologiã, in qua agitur de Medicina & Astrologia, quod ad sacerdotes pertineant: & de vita mũdi, deque Magia & Magis, qui Christũ statim natũ salutarunt. Antidotũ Epidemiorũ & pręseruationẽ secũdę valetudinis, è Græco transtulit in Latinũ, lib. Xenocratis Platonici, de morte, Speusippi Alcinoi, & Pythagorę opuscula traduxit, & multa alia. Claruit anno 1490. Tandem in Caregiana ipsius villa septuagenario prouectior febricula interiit.

ANGELVS Politianus à iuuentute admirabilis ingenij nomen adeptus est, quũ nouo, illustrique Poëmate Iuliani Medicis equestres ludos celebrasset, Luca Pulcio nobili Poëta omniũ cõfessione superato. Post editã Miscellaneorũ cẽturiã, publicatáq; Latina Poëmata, immatura mors eũ oppressit, vix quadragesimũ quartũ ætatis annũ excedẽtẽ. Scripsit Epistolarũ lib. 12. miscellaneorũ centuriã 1. Transtulit in Latinã linguã Herodianũ historicũ, Enchiridion Epicteti, cum defensione ad Barthol. Scalam. Alexandri Aphrodisæi, super nonnullis Physicis dubitationibus, solutionum libr. 1. Plutarchi Chæronei amatorias narrationes: & multa alia, quæ excusa repeniuntur Lugduni apud Sebastianum Gryphium. Floruit circiter annum salutis humanæ 1483.





MICHAEL Angelus Florentinus Pictor maximé egregius, natus in Cõsentino, anno Christi 1474. matre nobili & patre Ludouico Leonardo Buonarruoti ortus, quem quidẽ dicũt originẽ ducere è nobilissima & antiquissima familia Comitum ex Canossa. Hic Michael Angelus, puer, magnã de se parẽtibus & amicis expectationem dedit, quod semper videretur occupatus in his quæ ad picturæ industriã spectarent. Reuera pictor omnium non solum suę ætatis, sed & eorum qui præcesserant, & post fuerunt consummatissimus & perfectissimus extitit, & stupendas picturas tam scitè designauit, vt spectantium oculos in earum admirationẽ traheret. Vixit satis senex, eiusque mortui omnium pictorum numerus ingens, amici, populusque ferè omnis, prosequutus est exequias.

RAPHAEL Vrbinas pictor clarissimus, natus est in Vrbino ciuitate notissima in Italia, anno salutis humanæ 1483. Patrem habuit nomine Ioannem, pictorem quoque eum sed non admodũ excellentem, qui tamen optimo fuit ingenio, curauítque vt Raphael à matre ipsa lactaretur, non ignarus, quantum materna educatio liberis prodesset, optimè temperata. Quam multis ingenij dotibus, hic vrbinas fuerit ornatus, non opus est hîc pluribus recensere, nullus est enim qui non sciat eum diuinis illius superioris Michaëlis Angeli vestigiis insistentem, in picturæ arte fuisse excellentem, multósque longo post se interuallo, reliquisse. Obiit anno ætatis suæ 37. si plura quis desideret, videat eius & superioris vitam Italico idiomate à Georgio Vasari Italo pictore eleganter scriptam in libro cui titulus, est, *Vite de pittori.*





PICVS Mirandula Phœnix appellabatur, quòd in eum Dij ſuperi ſupra familiæ claritatem omnis corporis, ac animi vel rariſſima dona contulerint. Decorus fuit, moribus lectiſſimis, incomparabili facundia, qua omnes eius ſeculi ſapientes in admirationem ſui facilè conuertit. Aſtrologos inſectatus eſt eo grauiſſimo opere, nec dum abſoluto quo totius diuinationis vanitatem confutauit. Scripſit doctiſſimè de re Theologica, & Philoſophia: huiúſque opera ſunt impreſſa Baſileæ, vno volumine. Exceſſit è vita, trium & triginta annorum iuuenis, eo die quo Carolus Galliæ Rex Octauus, Napolim eſt ingreſſus, anno ſalutis 1483. Nepotem habuit Franciſcum Picum Mirandulam, virum doctiſſimum, qui interfectus fuit cum Alberto filio, à Galeotto fratris filio.

GEORGIVS Agricola, inſignis Medicus, propter eius magnam diuerſamque eruditionem, dignus eſt adprimè qui eorum catalogo aſcribatur, quorum memoria monumentis ſcriptíſque eſt percelebris: quam vt magis decoremus, eius figurã nõ noluimus hîc inſerere. Conſcripſit quinque libros, de põderibus & mẽſuris quinque alios, de põderibus & menſuris Romanorũ & Græcorũ: duos, de põderibus & mẽſuris exterarũ nationum: tres, de pretio metallorum & monetarum: vnum, de animalibus ſubterraneis: duodecim, de re metallica, in quibus ad amuſſim expreſſæ ſunt imagines officiorum, inſtrumentorum, machinarum, omniúmque aliarum rerum, quæ ad rem metallicam pertinent, lectu & memoria digniſſimæ.





INNOCENTIVS, huius nominis Papa octauus, Pontificatum obtinet anno mundi 5445. à Christo nato 1483. Hic patria Genuensis, in rebus gerendis prudens, magnanimus ac constans, merito Innocentius dictus est, ob morum sanctimoniam, sedit annis octo. Pluribus de hoc Innocentio tractat Iacobus Philippus Bergoma, qui eum, dum Cardinalis esset Innocentius, nouit, & cum eo aliquando verba fecit. Vide Supplem. Chron. lib. 16.

LAVRENTIVS Medices inter Florentiæ nobiles & primores facilè primus (tametsi non Princeps) summa prudẽtia, ac singulari virtute, omnia suo arbitrio, in patria administrauit. Angelus Politianus & Marsilius Ficinus, viri vndecũq; doctissimi, huius alumni fuere. Hic sapientissimus fuit, literarũ, literatorúmq; amantissimus, in quo probitas, iustitia, atque fides domicilium elegisse visæ sunt. Præterea fortis etiã atque magnanimus cùm esset, pericula sæpe à suorum ceruicibus bello propulsauit: nomen Thuscum ad barbaras gentes protulit, ampliata etiam ditione sua multis vrbibus ac oppidis. Quinetiam huic Reges atque respublicæ, Sultanus denique ipse legatos & munera, tanquam alteri Octauio Cęsari miserunt. Sixtus & Innocentius Pontifices hunc tanquam dilectissimum filium in pretio habuerunt. Hic in funere suo, ad aui Cosmæ exemplum, nullam peragi pompam mandauit, quod & obseruatum est. Videto vt suprà.





CAROLVS, huius nominis octauus Frãcorum Rex ſuccedit patri Ludouico, anno mundi 5445. à Chriſto nato 1483. annum ferè attingens 14. Hic bellum aduerſus Britones mouit: ad fanum Albini inſignem de Britannis, ſeu Britonibus victoriam reportauit, vix ſiquidẽ dimidia pars exercitus aduerſariorum ſuperfuit. Rex religioſè nimis Hiſpano Regi Ruſcinonis, & Perpiniani Comitatus reddidit. Regnum Neapolitanum recuperat, principibus & nobilibus militantibus ſuis ſumptibus: Romæ à Papa Imperator Conſtantinopolitanus pronuntiatur. Alphonſus Portugalliæ Rex, cum filio Ferdinando in Siciliam fugit. Neapolim cum pompa, & triumpho ingreditur Rex. Vniuerſi Italiæ principes & ciuitates coeunt vt obſeſſis itineribus Regem intercludãt, qui nobilem & ingentem victoriã Fornouienſem reportans (cùm tamen perquàm modicas copias haberet) victor in Franciam rediit. Sed Neapolis ad Ferdinãdũ poſt annũ defecit. Rex repentina morte obiit Ambœſiæ, nullis relictis liberis, anno regni 14. ſepultus eſt in æde Diui Dionyſij ad Pariſios. Vixit annos ferè 27. porrò mortuus eſt, dum animi laxandi gratia ex ambulacro cum vxore pila ludentes aſpicit. Vide Rober. Gaguin. lib. 10. & 11. & Paul. Aemyl. lib. 10. & vltimo. Latinè ſcire Carolum pater vetuerat, præter hoc vnũ, Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare. Collegium proſtitutarum pœnitẽtium, hoc Rege, Lutetiæ inſtituitur: & conuentus trium ordinum in vrbe Turonum fit.

ANNA, Franciſci Britanniæ Ducis maior natu filia, patre mortuo nupſit Carolo octauo reconciliatis Britonibus, compluréſque liberos ex eo peperit, quibus tamen omnibus ſuperuixit pater. Cæterùm repudiata Margareta Maximiliani Imperatoris filia, Annam hanc, prius eidem Maximiliano per legatum nuptam, in vxorẽ duxit Carolus octauus anno ſalutis 1489.





ALEXANDER, Papa huius nominis sextus, Pontifex creatur anno mundi 5453. à Christo nato 1491. Hic Calixti, huius nominis Papæ tertij, ex fratre nepos fuit, apud eum à puero educatus, atque institutus. Hunc valde terruit Francorum Rex Carolus, huius nominis octauus, quē postea acceptis conditionibus in vrbe excepit, parauítque ei palatiū Diui Martini: ipse verò Pōtifex timidus in arcem se recipit vsque in proximū diē: subiugata itaque à Carolo Roma, Papa, licet inuitus, eidem Carolo Turcarū Imperatoris fratrē tradidit: atque Valentinum Cardinalem filiū (vt aiunt) obsidem dedit, vrbésque Neapolitano regno proximas. Hic etiam Carolo Neapoli redeūti, frustrà tetendit insidias, inito nouo fœdere cum Hispaniæ Rege, cum Venetis, ac cum Ludouico Sfortia, quorum ope fretus Regem Carolum in reditu intercludere tentabat Papa. Mortuo autem Carolo, pacem pepigit Papa cum Ludouico duodecimo, qui Carolo in regno Franciæ successit: sedit Alexander hic, annis vndecim. Vide Supple. Chro. lib. 15.

CÆS. Borgia, dictus Valentinus, Alexādri supradicti filius, Flaminiam prouinciam, & Vmbriam sibi subiecit: verùm ciues, principis qui fugatus erat, amantissimi, eum hoc Valentino exacto, reuocarunt: hæc sub mortem Alexandri patris eius acta sunt. Videto vt suprà. Hic relicto Cardinalitio pileo, galeam assumpsit.







MAXIMILIANVS, Friderici Imperatoris huius nominis tertij filius, post patrem solus imperat anno mũdi 5454, à Christo nato 1492. Hic antequam imperaret, exercitum in Flandriam duxit, & Mariam Burgundam in vxorem accepit: nec multò pòst cum Ludouico Frácorum Rege, huius nominis vndecimo, graui prælio propter principatum Burgundiæ congreditur, postea cum eo in annos 7. inducias facit. Austriam, quam Matthias Hungariæ Rex occuparat, Maximilianus recuperat. Priore vxore defuncta, Blancam Mariam Galeatij Insubriæ Ducis filiam, vxorem duxit: Burgũdiam statim inuasit, variè pugnatum est, tandémque pax inita. Sfortia Mediolanũ recipit, Gallis pulsis, quos dum insequitur, incautus capitur, & in Galliam ducitur, anno Domini 1500. Imperauit Maximilianus annos 27. literas, & literatos coluit, profitebatúrque eos se in precio habere qui aliis præstarent. Vide Baptistam Egnatium li. Romanorum principum tertio, & Paul. Aemy. in Ludouico supradicto: item Chro. Reg. Franc. & Chro. Carion. li. 3.

MARIA, Caroli Burgundiæ Ducis filia vnica, Maximiliano antequam imperaret nupsit: ac post annos quinque, relictis Philippo & Margareta liberis, ex equo decidẽs, fracta ceruice, obiit anno mundi 5443. à Christo nato 1481. Vide vt suprà.







IASON Maynus, nobilis Mediolanẽsium Patricius, absolutissimus Iurisconsultus, ac orator facundissimus, Eques auratus, & Ducalis Senator, claruit tẽporibus Friderici & Maximiliani, Imperatorũ, apud quos legationes obiit nomine Ludouici Sfortiæ Mediolanẽsium Ducis: atq; legationis munere egregiè defunctus, ab iisdem dona varia cum summis priuilegiis reportauit. Hic intra Oratores ab omnibus Christianis principibus ad Alexandrum sextũ hoc nomine Papam missis, dũ Pontificatum auspicaretur, palmam facilè retulit: facundia, necnon interim facetiis ornatus fuit. Papię, Pisę, ac Paduæ ius interpretatus est annis 50. ex omnibus Europę finibus clarissimos ac nobilissimos alliciens auditores: tanti enim erat nominis, tãtáque scientia percelebris, vt in eius commendationem Ludouicus Cerrus medicus ac Poëta clarissimus, sic cecinerit:

Te quondam in terris hominem nouére priores,
Dum leges aperis, scitáque docta patrum:
At nunc, more Deûm, cùm des responsa petenti,
Es Deus, oracli Numen ad instar habens.

In Iure complures libros edidit. Orationes habuit ad Põtifices, & ad Imperatores supradictos: Cæterùm feliciter obiit anno ætatis 84. Vide Supplem. Chro. lib. 16.

BARTOLOMÆVS Socinus Senensis, domini Mariani legum interpretis celeberrimi filius, Iurisconsultus eximius inter legis interpretes in Hetruria extitit: doctrina siquidem & ingenio plurimum valuisse testantur adhuc plurima eius consilia quæ extãt. Claruit eodem tempore quo Iason supradictus. Videto Supplem. Chro. lib. 16.





LVDOVICVS Sfortia, cognomento Maurus, Franc. Sfor. filius, tutor nepoti Ioanni Galeatio à Senatu vnà cum Bona, adolescentis matre, atque aliis primoribus datus est. Fuit ingenio astuto ac callido: Bonam, tutorésque alios à principatu statim deturbauit: adolescẽtem principem vt genio indulgeret permisit: ne administrationi intenderet, dum voluptatibus ac deliciis irretitur: id etiã fortè eo astu fecit, vt inuisum iuuenem populo redderet. Porrò cùm adoleuisset Galeatius, atque administrationi esset idoneus, veneno eum præuenit Ludouicus: arripuítque principatum, & in suam etiam sententiã arte vel maxima Senatũ ac primates traxit, omniúmque suffragia sibi cõparauit. Ducem itaque aut potius tyrãnum, enecato adolescente annis 5. egit, ac mensibus 6. Quare ab exercitu Gallorũ territus, in Germaniam aufugit: ac post annum reuersus, & cũ aliquot Heluetiorum copiis per Nouarram Mediolanum petens, an. D. 1500. à suis proditus est, atque à Gallis captus, in Galliam perductus est, vbi quasi scelerum pœnas luens, priuatus & vinctus interiit. Vide Pau. Iou. Supplem. Chro. lib. 16.

MAXIMILIANVS Sfortia Ludouici prædicti filius, in Flãdria cum Frãcisco fratre educatus, post varias rerũ mutationes circa principatũ suũ, à Carolo quinto tandẽ reuocatus, Mediolano præficitur, eo nomine vt Imperatoris res agat, ac pecuniã ei corradat. Verùm huic fatale fuit, fortè ob scelera paterna, priuatum ac extorrem viuere. Nã vix principatũ, ac naturale solum attigerat, cùm à Francisco Valesio, qui ius suũ armis repetebat, Mediolanũ vnà cum Maximiliano capitur, an. D. 1515. attamen tanquam ab humaniss. & Christianiss. Rege, ac cõsanguineo, datur illi pẽsio annua 36000. aureorum: facta potestatẽ vt liberam in Francia vitam ducat: in qua etiam obiit, princeps alioqui non contemnendus. Vide vt suprà.





PHILIBERTVS Sabaudiæ Dux octauus, ſuccedit patri Philippo anno mundi 5457. à Chriſto nato 1495. Hic pietatem ſummopere coluit, magnanimus, ſpecioſiſſimus, atque omnibus acceptiſſimus fuit, pulcher etiam ob elegãtiã cognominatus. Margaretã coniugem accepit, quam ex Maria Caroli Burgũdię Ducis filia ſuſceperat Maximilianus, obiit multa cõmendatione dignus, nullis interim relictis liberis: quare ei Carolus frater ſucceſſit. Vide Allobrogum, ſiue Sabaudiæ Chro.

MARGARETA Imperatoris Maximiliani filia, vt dictum eſt, ac Philiberti ſupradicti relicta, animum pudicũ atque amorem erga virum caſtiſſimum teſtata eſt, tum quòd nullum ſuperinduxerit coniugem, vitã perpetuò cęlibem ac laudatiſſimam ducẽs: tum quòd in vrbe quam vulgo Burgum in Breſſia vocãt, templũ nobile ac celebratiſſimum extruxerit, quod inter Europæ nuper ſtructa ædificia, tanquã opus rarum ac percelebre prædicatur: nec id quidem ob templi amplitudinem, ſed potius ob artis ornamenta ac ſplendorem, vt omnium conſpicientium oculos in admirationem trahat. Verùm ædificij decus ac ſplendorem longè ſuperat ſepulchrũ candidiſſimo marmore extructum: vbi extat amantiſſimi coniugis effigies ad viuum expreſſa: in quod ſignum quicquid ars ſculpendi vnquam valuit, contuliſſe, ac deprompſiſſe videtur: hæc Ducis effigies hinc & inde habet duarum Margaretarum marmorea ſimulachra ad viuum etiam formata: nempe Margaretæ vxoris prędictæ, & Margaretæ alterius, quæ Ducis mater extitit. Vide vt ſuprà.






MARCVS Antonius Coccius Sabellicus ad vicum Varronis in via Valeria iuxta Anienem. Fabro ferrario patre gentus, ingentem vim attulit ad perdiſcendas literas: támque citò in his profecit, vt plane imberbis apud Tiburtes dum aperiret. Inde collecta mercede, & togula cærulea excultus nobilioris doctrinæ cupiditate in vrbem ad Pomponium ſe contulit, à quo vberrimi ingenij merito, in collegium ſodalium ſolemni ceremonia coaptatus, Sabellici cognomen tulit, mutabat enim nomen qui in Quirinali ſacra lauro coronabatur. Euocatus fuit à ſenatu Veneto ea conditione vt ciuitatis res geſtas à fine Iuſtiniani conſcriberet, & trecentis aureis in gymnaſio profiteretur. In hoc munere perutilem iuuentuti operã præſtitit, & ſcribendo ad ſeptuageſimũ fermè annum peruenit, lue venerea conſumptus. Scripſit de ſe viuens & incolumis hoc elogium, quod ſepulchro inſculperetur.

Quem non res hominum, non omnis ceperat ætas,
Scribentem capit hæc Coccion vrna breuis.

Floruit circiter annum ſalutis humanæ 1498.

ANTONIVS Nebriſſenſis, poſt Punicum nomẽ, virtute Ferdinãdi Regis, Hiſpania pulſum, ingenij acumine claruit, cũ illud regnum, per mille amplius annos, Vandalicis, Punicíſque armis occupantibus, Latinarum literarum ſplendore caruiſſet. Iſte fuit par antiquis Grãmaticis, ſi par fortuna ſeculi ei reſpondiſſet. Multa ſcripſit, & docendo iuuentutem, multorum animos, ad antiquum decus literarum vehementer erexit, vtriuſque vel etiam triplicis linguæ cognitione clarus. Fatis ceſſit repentina paralyſi, quum ad ſeptuageſimum ætatis annum perueniſſet.





HIERONYMVS Sauonarola Ferrarienſis ex ordine diui Dominici cucullatus, vſque adeo auſtera vitę diſciplina, ac erudito ſubtilíque ingenio, & in ſacris concionibus admirabili facundia valuit, vt populum inſtaurãdis religionibus deditum, & tũ nouo receptæ libertatis gaudio geſtientẽ, quò vellet facilè impelleret, priuatíſque familiariũ, ac ipſis quoque ſummi magiſtratus cõſilijs miſceretur. Scripſit quadrageſimale vnũ lib. I. ſuper Pſalmos pœnitentiales cõmentũ: ſuper prophetas multos cõmẽtatus eſt. Prophetiã quoque emiſit, qua multa de hoc noſtro æuo, regnorúmque cõmotione prędixit. Alia quoque multa ſcripſit. Futura prędicere, veluti diuino ad flatũ numine credebant: ſed ambitione non caruit & capitale iudiciũ de ſuſpectis nobiliſſimis ſeptem ciuibus, ſęua ſententia pręcipitauit: vnde, cùm mores Alexandri ſummi Pontificis acerbè reprehẽderet, ſacroſanctam poteſtatem in dubiũ deuocauit: tandem reus maieſtatis, depoſcẽte Pontifice, cõprehenſus miſerabili ſupplicio affectus eſt, anno ſalutis humanæ 1499.

THOMAS Morus, natione Anglus vir doctus & clarus, Cantuariẽſis Archiepiſcopus, exilio primũ à rege Angliæ damnatus, poſt etiam capitali ſupplicio affectus fuit circa annũ ſalutis, 1535. quod furentis regis Henrici octaui (qui eũ paulò ante ad ſummos honores extulerat, tanquam virtutis eximiæ admirator) nefariæ libidini, adulari noluiſſet. Iani vitalis de eo extat epitaphium quod ſequitur.

Dum Morus immeritæ ſubmittit colla ſecuri,
Et fluit occaſum, pignora chara ſuum,
Immo, ait, infandi vitam deflete tyranni,
Non moritur, facinus qui graue, morte fugit.

Hic clarus literarum Græcarum & Latinarum cognitione, Dialogos aliquot Luciani tranſtulit. Fecit Vtopiam, & multa egregia epigrammata ſcripſit.





PHILIPPVS Archidux Austrię, Maximiliani filius, ex Maria, vnica Caroli Burgũdię Ducis filia, vxorẽ duxit Ioãnam, vnicã Ferdinãdi Arragonũ Regis filiã. Cuius nomine, post mortem Isabellæ socrus suæ, classe in Hispaniam profectus, Castellę regnum hæreditario iure obtinuit. Post hæc ad cõpescendum vetus inter Brabantos & Sicambros bellum, anno 1505. in Flandriam reuersus, multas Gueldriæ vrbes partim vi expugnauit, partim ad deditionem cõpulit: ducémque ipsum nomine Carolum pueritiam vixdum egressum, captiuum abduxit, vnáque cũm liberis suis in aula sua liberaliter educauit. Flãdrię & Artesiæ comitatus Ludouico duodecimo iure feudi acceptos retulit: ídque Atrebati, delegatis ad id munus Guidone à Rupeforti, Galliæ Cancellario, & Ludouico à Lutzemburgo Ligniaci Comite. Rebúsque ita compositis, cùm denuo instructa classe in Hispaniam contenderet, vi tempestatis in Angliæ littus eiectus, ab Henrico Septimo Anglorum Rege summo honore est exceptus: ita tamen vt exitus ei non patuerit, donec Suffortij ducem qui ex Albę rosæ familia proximus Angliæ hęres esse putabatur, quémque Henrici metu patria profugum in Sicambria receperat, Anglo tradidisset. Post hæc in Hispaniam profectus, non multò pòst supremum diem obiit, anno à Christo nato 1506. die 27. Septembris, ætatis 28. Vide Genealogiam Imperatorum, & Chronica Chronicorum.

IOANNA Ferdinandi Hispaniæ Regis & Elisabetę filia, vxor fuit Philippi supradicti, quæ peperit ei Carolum quintum Romanorum Imperatorem, & Ferdinãdum Bohemię ac Hungarię Regem, filios: & filias Leonoram, Isabellam, Mariam & Catharinam, Reginas Lusitanię, Gallię, Daniæ & Hungariæ. Vide vt suprà, & Paralip. rerum memorabil.





LVDOVICVS duodecimus Carolo octauo in regno Francię ſuccedit anno domini 1497. atque ann. 1499. ducibus Io. Iac. Triuultio & Albiniaco, expeditionem in Inſubriam fecit. Hi cùm Alexandriam ac Papiam cepiſſent, timore perculſus Ludouicus Sfortia, in Germaniam ſeſe proripuit, Mediolanum illis tanquam bolum relinquens: hoc nuntio accepto Rex in Italiam penetrat, atque ouans Mediolanum ingreditur: inde exiens præfectum reliquit Triuultium. Porrò Sfortia è Germania rediēs, Mediolanum recipit: ſtatímque armis Frācicis egredi cogitur: itaque Nouarram ſe confert, vbi à Francis capitur. Anno. 1502. regno Rex potitur Neapolitano, Duce Albiniaco: Fridericus regnū priùs occupans, cum vxore ac filio in Galliam captiuus ducitur. Bononiam Rex à Bentiuolo occupatam, Papę reddit. Pręterea ad Aignadellum inſignem de Venetis reportat victoriam, capto etiam Bartolomęo d'Aluiano copiis Venetis pręfecto, quem in Galliam perduxit: omnem ditionē quę tum Papę, tum Mediolanēſi Ducatui adempta fuerat, recuperauit: quę ad Pontificem ſpectabant, ei reddidit. Tandem ann. 1512. Venetos, Hiſpanos, Papaléſq; ad Rauēnam debellauit. Hęc victoria maximū principum numerū captiuorū illi cum Rauenna vrbe tradidit. Obiit anno Regni 17. Vide Chro. Reg. Fran.

ANNA, Caroli octaui relicta, nupſit Ludouico duodecimo, ex quo ſuſcepit Claudiam, quę data eſt in vxorem Franciſco Valeſio, tunc Angoliſmenſium Duci: & Renatam, Ferrarię Ducis nunc vxorem. Vide vt ſupra.





IOANNES Iacobus Triuulſius Mediolanenſis, Franciæ Mareſchalus ſeu Tribunus, ac præfectus militum Frãcię in Italia, deuicta Alexãdria Ludouicum Sfortiam Mediolano expulit, ac deinde Nouarra: quamobrem à Frãcorum Rege cui erat addictiſſimus, Mediolano præficitur anno Domini 1499. Poſtea Lugdunum Galliæ rexit, vbi diligẽtiſſimé, atque accuratiſſimè præfuit anno Domini 1514. Cęterùm Carnuti obiit non ſine omnium planctu, ob ſynceram eius adminiſtrationẽ, anno ętatis 80. iuſsítque corpus ſuum Mediolani ſepeliendum deferri.

THEODORVS Triuulſius Marchio Picichitoni, pręfectus militũ Regis Neapolitani, deinde Dux exercitus Venetorum ac Florentinorum, poſtea Eques ordinis à Franciſco Valeſio creatus, Mediolano pręficitur: tandémq; Mareſchalus, ſiue Tribunus militum ab eodem deſignatus, Lugduni prę᷑ſt: vbi ſumma fide, ac vigilantia, re adminiſtrata, eodẽ quo natus fuerat die obiit ſeptuagenario maior, anno à Chriſto nato 1533.







PIVS Papa huius nominis tertius, Pontifex creatur anno mundi 5464. à Christo nato 1502. hic natione Hetruscus, Senis oriundus, Pij secundi ex Laodamia sorore nepos, ingenio ac literis claruit, laboris & inediæ patientissimus fuit. Sed Pij auunculi exemplo in Gallos cõiurauit, quòd ægrè ferret Apuliam & non modicam Italię partem eos subegisse: obiit mense 1. quo in Alexandri Pontificis locum suffectus fuerat. Vide Platinam.

IVLIVS Papa huius nominis secundus, eodem anno Pontificatum obtinet quo Papa Pius supradictus, cui successit. Fuit hic patria Sauonensis, quæ vrbs est Genuę subdita, parentibus natus obscuris, verùm cũ fortunę beneficio, tũ sua industria ad Põtificatum euectus est: acri & versuto ingenio fuit, animóque minimè abiecto. Patrimonium Petri nemo animosius tutatus est, neque callidius quisquam amplificare instituit. Gallis sub initium Pontificatus fauit: quare à Ludouico duodecimo adiutus, Bononiam Ioanni Bentiuolo eripuit: ingratum tamen Gallis postea se præstitit. Rauennam à Venetis occupatam obsedit, ac expugnauit: Seruiam, Imolam, Fauentiam, Foroliuium à Venetis quoque eripuit, atque alia non pauca loca: fuit equidem vt laborum patientissimus, sic iniuriarum impatientissimus, ac animo iracundo, quod vitium etiam generosissimos vrget ac rapit. Sedit annis 10. Vide vt suprà.





PHILIPPVS Decius Mediolanensis, Iureconsultus in professione humani, diuinîque præsertim iuris floruit, Mayni Iasonis æmulus, ac ætate simul æqualis, sed qui docendo & scribendo, in omnibus Italiæ gymnasiis superior censeretur. Enarrabat enim subtilissimè & omniũ acerrimè disputabat. A Pisis, vbi vxorem duxerat, Ticinum à Gallo præside optimis stipendiis euocatus, vnde belli violentia egressus, maximo incommodo accepto ab hostibus, qui domum eius, in expugnatione vrbis diripuerant, in Galliam fugit, & apud Bituriges sese recepit: vbi Ius diuinum edocuit per duos fermè annos. Et cùm reuersus esset in Italiam, Senenses eum conduxerunt, apud quos, octogenario maior, interiit, post quam vnica eius filia senensi patritio nupsisset. Reliquit in vtroque iure scripta doctissima, & præterea Consiliorum lib. 4. Lecturas eius super Decretales & super ff. & Cod. Commẽtarium de Regulis iuris, impressum Lugduni apud Paganum. Citantur ab eo scripta Consiliorum, volumina 4. repetition. in 1. ff. vet. de rei venditione. Item alibi Commentarios, super prima & secunda ff. vet. & prima & 2. Codicis. Claruit anno 1535. quo etiam Senis mortuus est. Vide librum, de vita Iurisconsultorum.

HIERONYMVS Buticella Patauinus, vir doctus in Iuris professione, scripsit vnum volumen de Repetitionibus, plurimásque lecturas in Digesta & Codicẽ, quarum quidem pars in lucem edita est, alia minimè. Docuit Ius cum maxima grauitate & celebritate, Pataui & Papiæ, & in aliis celeberrimis Italiæ Academiis, ita vt ex eius schola, doctissimi adolescentes prodierint. Florebat anno salutis humanæ 1504. Vide Conradum Gesnerum, & librum de vita Iurisconsultorum.





LEO Papa huius nominis decimus, in demortui ſupradicti Iulij locum ſuffectus eſt anno mundi 5474 à Chriſto nato 1512. Hic non obſcuro loco natus (nempe ex clariſſima apud Florentinos Medicum domo)educatus liberaliter fuit, boníſq; à prima ætate literis inſtitutus:præceptoribus vſus cũ aliis, tum maximè Angelo Politiano:quẽ Medices familia, ſicut & alios complures eruditos, indulgentiſſimè fouit. Fuit itaque Leo vt natura,ita diſciplina ac conſuetudine manſuetus. Doctos amauit,nimirum ipſe eleganter doctus.Ducem Vrbinatem, quandam ob cauſam,Ducatu priuauit, atque in eius locum, quem habebat ex fratre nepotem, Laurentium Reginæ Francorum parentem ſubſtituit. In Ducem Ferrarienſem idem tentauit, ſed fruſtrà. Sedit annos 9. Vide Platinam.

ADRIANVS huius nominis Papa ſextus,Caroli,qui etiã nunc imperat,olim præceptor,Leoni prædicto abſens ſubſtituitur anno mundi 5483. à Chriſto nato 1521. Hic ſummus Theologus doctrinam & grauitatem blanda quadam morum grauitate cõdiit:vt eius ſcripta teſtãtur:cuius vita cùm frugalis eſſet, parum placuit Romanis non paucis. In conferendis ſacerdotiis perquàm parcus fuit:quòd nullis ea niſi idoneis & doctis dãda iudicaret:fuit natione Teutho,è Traiecto,inferioris Germaniȩ ciuitate. Pontificem egit annum vnum. Vide vt ſuprà.





FRANCISCVS Valesius, defuncto Ludouico huius nominis duodecimo, nulla relicta prole masculea, vt sanguine propior in Regem inungitur anno mundi 5476. à Christo nato 1514. Hic Mediolanum statim recuperat. Ducē Maximilianum Sfortiam capit: de Heluetiis victoriam reportat insignem. Posthæc in Flandriam Imperatorem Carolum quintum fugat anno Domini 1521. Hisdinum eodem anno Borbonio Duce expugnatur, cuius arx tormentis bellicis per aliquot dies concussa, in deditionem regiā venit. Anno sequente Fōtarabia, in confinio Hispaniæ capitur, ac præsidio munitur, postea Angli cum Cæsarianis Hisdinensem arcem duobus mensibus frustrà obsident: extremámque Picardię oram latè populātur. At verò, post annum vnum atque alterum, dum Papiam obsidet Franciscus Valesius, subiugata iam tota ferè Lombardia, à transfugis, qui fidem Imperatori dederant (ô sortem iniquā, ac in re bellica, si vsquam alibi dominātē!) in ipso pugnæ calore, fortiter se gerēs ac dimicās, nihilominus capitur, mēse Februario anni à Christo nato 1524. fœdus tādem initur apud Cameracum, illustrium ac prudētissimarum Heroinarum Gallicarum opera, anno à Christo nato 1529. videlicet inter Franciscum Valesium, Carolum Imperatorē, & Papā Clemētem 7. Videto Chro. Reg. Fran. Ioānem Cario. li. 3. & Paralipomena rerum memorabilium.

CLAVDIA, maior natu filia Ludouici, huius nominis duodecimi, Francorum Regis, mense Maio anni mundi 5475. & à Christo nato 1513. Francisco Valesio, qui paulò pòst regnat, nupsit: erat tunc temporis Franciscus ille Valesius Angolismorum Dux: qui ex ea complures liberos sustulit: inter quos præcipui duo superstites hodie sunt, nempe Henricus Francorum Rex nobilissimus ac potētissimus, & Margareta eius soror illustrissima simul ac pientissima. Vide vt suprà.





CAROLVS quintus, Philippi Austriæ Archiducis filius, post auum Maximilianum imperat anno mundi 5481. à Christo nato 1519. postea Bononiæ à Clemente Pontifice imperiali diademate coronatus est anno D. 1529. porrò anno sequente ingentem exercitum per Germaniam in Hũgariã duxit aduersus Turcam Viennã obsidentẽ. Inde victoriam reportans in Hispaniam rediit. Anno autem 1535. in Tunetim expeditionẽ parans, quæ olim Carthago erat, eam Solimano Turcæ extorquet: Gouletã arcẽ expugnat: regnũque Tunitiũ totũ recipit, & Regẽ Altzachenũ antè pulsũ restituit, multis Christianis captiuis liberatis. Frãciã bis tẽtauit, sed Frãci milites validissimis armis eius impetũ forti animo sustinuere. Semel in Francia tanquã amicus summo apparatu exceptus est, ex Hispania in Flãdriã per Galliã iter sibi faciẽs. At enim an. 1543. cũ potentissimo exercitu Germaniã tandẽ ingressus, eam ferè totã in suã vertit sententiã, captis etiã aliquot Germanorũ Ducibus ac primoribus: à quibus atq; ab vrbibus Germanię olim liberis, ingẽtẽ auri vim corrasit. Anno verò 1551. in Africã Libyę ciuitatẽ exercitũ traiecit, principe Doria præfecto, quam feliciter expugnauit, solutis nõ paucis captiuis Christianis. An. 1552. Confœderatis aliquot Germanorum Principibus cũ Henrico Christianiss. Francorũ Rege, ea gratia vt eos ab Imperatoris iugo excuteret, pedem in Villacũ Carolus quasi coactus retulit: sed intra paucos dies re cũ aliquot Germanis primoribus cõposita, cõparato maximo Germanorũ exercitu, ipse Mediomatricũ, vrbẽ prius ab Hẽrico Rege captam, ac Francicis armis munitam obsedit: vbi nouercam fortunam expertus, obsidionem soluere cogitur, cum non modica suorum strage ac damno, partim ob temporis inclementiam, partim ob Francorum robur ac vigilantiam.

ISABELLA Portugalliæ Regis filia, Caroli prędicti vxor peperit ei liberos quatuor, atque in partu vltimo emoritur.





CAROLVS Ruinus, Regienſis Iuriſconſultus inter alios celebris & magni nominis, qui ius Bononię docuit, tanto iudicio, vt ęqualem aliis doctioribus Iuris profeſſoribus, gloriā comparauerit. Indefeſſus fuit in obeundo munere, & plures diſcipulos habuit, à quibus & amatus eſt & ſummè reueritus. Scripſit ſuper prima & ſecunda Digeſti noui. Item Conſiliorum volumina quinque impreſſa Venetiis & Lugduni. Floruit anno reparatę ſalutis humanę 1520. Vide Conradum Geſnerum, & librum, De vita Iuriſconſultorum.

FRANCISCVS Curtius Iuriſconſultus clariſſimus extitit, qui de iure itidem multa ſcripſit ad communem eorum vtilitatem qui legibus dant operam. Scripſit ſuper C. in tit. de iura. calumnię. Fecit additiones ad Practicam Ioannis Petri de Ferrariis. De moneta ſuper 2. ff. veteris, ſi certum petatur, l. cum quid. Super 1. C. de prohib. ſeq. pecun. lege prima, Quoties. De ſequeſtris. De teſtibus. Cõſiliorum volumen vnum. Et plurima alia vſui forenſi accommodata. Franciſcus Curtius Iunior, Papienſis ius etiam profeſſus eſt, vt ſcriptis declarauit plurimis. Scripſit enim ſuper 1. & 2. ff. veteris. De feudis. Conſiliorum volumen. &c. Florebant anno. 1533. Vide Conradum Geſnerum, in ſua Bibliotheca, & librum, De vita Iuriſconſultorum.







ERASMVS Roterodamus, maximo honore, propter multiplicem eruditionem extollendus videtur: ſuperauit enim omnes ſuę ętatis, ingenij fertilitate, ſcriptores. Is ab adoleſcentia, religioſa voluntate motus, ad cucullatos ſacerdotes ſe contulit, quòd humana deſpiceret: ſed paulo poſt veſtem cucullatorum depoſuit, & ſepta ordinis pertranſiliit, vt ad excolendum ingenium planè liber, per omnia Europę gymnaſia vagaretur. Contendebat enim ingenti cura, ad ſummę glorię faſtigiũ ad quod literarum omnium cognitione, perueniri poſſe intelligebat, vt peruenit, quemadmodũ eius infinita ſcripta tàm humana quàm diuina teſtantur, quę ſigillatim recenſere non opus eſt, cũ eorũ titulos vix hęc pagina capere poſſet. Obiit apud Heluetios Baſileę, ſeptuageſimum excedens ętatis annum, quum Carolus Cęſar in Prouinciam irrumpens, ad aquas Sextias, Franciſco Galliarum Regi graue bellum intuliſſet.

GVLIELMVS Budęus Pariſienſis, vtriuſque linguę perfecta cognitione ita excelluit, vt non Gallię modò, ſed totius etiam Europę longè doctiſſimus certò haberetur. Perennem ſemper ſpectauit laudem: & rei familiaris fortunas honoréſque ingenio ſuo & ſperata gloria viliores arbitratus, ſexaginta amplius ętatis annos, in ſtudiis conſumpſit: ita vt ſummę eruditionis libro de Aſſe, alteróque in Pandectas edito, ac infinita demũ lectione confectis Commẽtariis, quibus Gręcę & Latinę facultatis ornamenta comparantur, nulli communicata laude, ęquales omnes, doctrinę auctoritate ſuperarit. Huius optimi viri otium Rex Franciſcus ita fouit, vt eum ſupplicibus libellis prępoſuerit. Febre oppreſſus eſt cùm ſeptuageſimum tertium annum ageret, & vita excedens, condito teſtamẽto, omnes honores funeris & tumuli penitus abdicauit, ita vt noctu ſepultus fuerit. Floruit anno ſalutis 1535.





SELIMVS itaque pulſo patre imperat Turcis anno mundi 5472. à Chriſto nato 1510. Is ad parricidium adiecit fratrum cædem, nepotúmque ſtrangulationẽ. Sophim vicit ac fugauit: & Sultanos duos, Campſonem & Tomõbeium, multis deleuit præliis. Ægyptum Arabiámque ſuo adiecit imperio. Reuerſus Conſtantinopolim vlcus in renibus contraxit, quod canceris in morem ſerpens eum extinxit, anno regni 7. Vide Coſm. Munſt. li. 4. Paul. Iou. & Riche. liu. 1.

SOLIMANVS Selimi, ſiue Zelimi filius vnicus, Imperat Turcis poſt patrem anno mũdi 5480. à Chriſto nato 1518. eodem ferè tempore quo Carolus, qui nunc imperat, creatus eſt. Hic Solimanus qui etiam nunc regnat, Belgradum, Chriſtianorum propugnaculum anno regni 3. expugnat, atque anno 6. Rhodum, cum 400. nauibus ac 200000. Turcarum capit. Anno octauo Hungariam inuadit, igne ferróque deuaſtat: Ludouicũ Regem Hungariæ vincit, Budam in deditionem accipit. Anno verò 14. maximo exercitu Viennam oppugnans, auxilio Dei ac Germanorum virtute, fugatur. Hic natura gloriæ cupidus, atque ob victorias quàmplurimas imperiíque magnitudinẽ elatus, Romæ, totiúſque occidentis imperium ad ſe ſpectare contendit, cùm Imperatoris Conſtantini, qui imperium tranſtulit Conſtantinopolim, legitimum ſucceſſorem ſe profiteatur: ſexagies centena aureorum millia quotannis habet: quoties populos cenſere libet, ex bellis plus lucratur quàm in damno ſit, plus gemmarum ac theſaurorum poſſidet, quàm cæteri omnes orbis principes ſimul poſſideant. Vide Pau. Iou. qui etiam Papæ negligentia Rhodum Turcis deditam fuiſſe ſcribit.





CHRISTIERNVS Ioannis Daniæ Regis filius, post patris obitum Danorum Rex, nullum non lapidem mouit quo regnum Sueciȩ ſuo regno adiiceret: quod & tandem partim vi armorum, partim dolo aſſecutus eſt: ſed tamē non diu adminiſtrauit: quinimo tantum abeſt vt retinere potuerit, vt etiam patrio ac peculiari ſuo regno Daniæ ob tyrānidem deturbaretur, atque exul in Angliam vnà cū vxore profugeret, anno à mundo condito 5484. à Chriſto nato 1522. Cæterùm cùm Daniam recuperare tentaret, à Chriſtiano, patruo ſuo, captus eſt, atque in carcerem cōiectus, vbi diem clauſit extremum. Vide Coſmog. Mun. li. 4. de regnis Septentrionalibus: item nouam temporum continuationem Germani cuiuſdam, ad Euſe. Chro. adiectam: præterea Carionis Chro. li. 3. qui loco Daniæ ſcribit Regē Chriſtiernum Daciæ: vnde colligendum Daniam, & Daciam, interim confundi, nam & Volater. li. 7. ſic inquit: Nunc ſanè Cimbricam Cherſoneſum Daciam vocant, cui Rex præeſt qui Suetiam & Noruegiam, peninſulas, in eodem mari obtinet, Ptolemæo & antiquis minimè poſitas, quòd ignotæ atque incompertæ tunc eſſent.

ISABELLA Caroli Imperatoris huius nominis quinti ſoror, nupſit Chriſtierno Daniȩ Regi ſupradicto, qui ex ea liberos ſuſtulit, Dorotheam Friderici Palatini vxorem, & Chriſtianam, Lotharingiæ Ducissam. Vide vt ſuprà.





FERDINANDVS Philippi Auſtriæ Archiducis ac Caſtellæ Regis minor natu filius, Caroli hoc nomine Imperatoris quinti frater, vxorem accepit Annam Vladiſlaj Hũgariæ ac Bohemiæ Regis filiam vnicam, ſororémq; eãdem Ludouici Hungariæ ac Bohemiæ Regis vltimi per cuius obitũ iure hæreditario hæc regna poſſedit. Poſthæc in Romanorum Regem Coloniæ creatus eſt anno D. 1530. atque anno proximè ſequente Aquiſgrani coronatus eſt. Porrò an. 1540. expeditionem in Budam ſuſcepit aduerſus Georgium Monachũ, Vaiuodæ filij tutorem, qui Budam occupabat. Verumenimuero Georgius hic implorato à Solymãno auxilio, Ferdinandũ pedem referre coegit: qui ſaluti ſuæ cõſulẽs in trãſitu Danubij, vt ſunt belli euentus varij, bonam exercitus partem amiſit: quamobrẽ hac victoria potitus Solymanus, Budam ipſam occupauit, ac prædictum Georgium Monachum, vnà cum Vaiuodæ filio in Tranſſyluaniam expulit. Vide Chron. Carionis lib. 3. & Paralip. re. memo. Imperauit annos 6. menſes 4. dies 13. & primo anno ſui imperij, Carolus Quintus Auguſtus præclariſſimæ memoriæ Imperator obiit XI. kalendas Octobris, in cænobio monachorũ Hieronymianorum S. Iuſti, Toletanæ Dioceſis. Fuit iſte Ferdinandus multis virtutibus ornatus, & tam iuſtè imperauit, vt eius memoria non minus colatur, quàm Philippi patris, & Caroli fratris inuictiſſimi & bellicoſiſſimi. Viennæ obiit octauo Kalẽdas Auguſti, anno Domini 1563.

ANNA Hungariæ Regis filia, prædicti Ferdinandi vxor, ſpecioſa quidem, proba & viro gratiſſima fuit: ex quo etiam liberos complures, chara coniugalis amicitiæ pignora, ſuſcepit. Vide vt ſuprà.






CAROLVS Sabaudię Dux, ex antiqua ac illuſtri Saxoniæ familia oriundus, fratri ſuo Philiberto cognomine pulchro, qui nulla relicta ſtirpe obierat, ſucceſſit. Porrò anno à Chriſto nato 1535. Carolus hic Allobrogum Ducatu, ac maxima Pedemontij parte deturbatus eſt: nam vrbes atque arces quamplurimas partim expugnat, partim in deditionem accepit Frãciſcus Valeſius: tum quòd Gallicanis expeditionibus infeſtiſſima ſemper hęc gẽs eſſet, tum quòd ius ſuum perſequeretur in hęc ipſa Sabaudiæ territoria. Vide Chro. Sabaudię, & Supplem. Chro.

BEATRIX Portugalliæ Regis filia, ſorórque vxoris ipſius Imperatoris Caroli quinti, liberali ac eleganti forma Princeps, Carolo ſupradicto Duci nupſit, ex eóque Philibertũ, qui Princeps Sabaudiæ vocatur, ſuſcepit. Cęterùm hęc cùm deploratę ſibi in Sabaudia & Pedemontio res eſſent, Niciam conceſſit, ac poſt paucos annos deceſſit. Vide Chron.







CLEMENS, huius nominis Papa ſeptimus, Adriano ſupradicto in Pontificatu ſucceſſit anno mundi 5484. à Chriſto nato 1522. Hic antea Iulius vocabatur, ſed Cardinalium quorundam ſuaſu, Clementis nomen aſſumpſit. Fuit Leo decimus huic patruelis. Dicitur Clemens fauiſſe Francorum Regi Franciſco etiam capto, aduerſus Cæſarem Carolū: ideóq; Romā ab exercitu Cæſaris, cui præerat Carolus Borbonius, direptā ac expilatam, nihilominus tamen ab hoc coronā accepit Carolus imperialem, præterea ſacram vnctionem: fuit rariſſimi ac callidiſſimi ingenij. Frācīſci Valeſij partes iterum ſecutus, ad Maſſiliam cum eo conuenit, initúmque eſt matrimoniū proneptis ſuę Catharinæ Laurentij Medices Ducis Vrbinatis filię cum Henrico Duce Aurelianenſi, nunc autem Francorum Rege. Florētiam vrbem patriam obſedit, quā poſt annum obſidionis cepit: Ducémque in ea conſtituit Alexādrū Medices, prædicti Laurentij Medices filium naturalem. Aiunt prouocatum à Florentinis id bellum geſſiſſe, qui in cognatos ac neceſſarios huius Clementis infeſti eſſent, atque etiā in ipſum Pontificem infenſi: vitio tamen illi interim vertitur, quôd in patriam ita ſæuierit, quam etiam velut ſub iugum miſerit: ſedit annis 12. Vide Iouium, Supplem. Chro. & Platinam.

ODETVS de Foix, dictus Lautretius, Mediolani ſub Frāciſco Valeſio præfectus, deinde exercitus Gallici in Italia Dux, Papiā & Alexādriā expugnauit: Neapolim exercitū duxit: quô dū tēderet, Clemēti, quē Auraſiēſis Princeps ſub cuſtodia tenebat, opē attulit: Porrò vbi Neapolim peruenit, arridētis fortunæ occaſionē captare neſciuit: nā cominus ſi vrbē aggreſſus eſſet, hāc facilè cepiſſet: ſed interim dū eminus nimis cūctatur, Neapolis auxiliares Hiſpanos milites recipit: tandē tum ob aeris intemperantiam, tum ob aquas veneno infectas cum multis aliis Gallorū primoribus periit an. D. 1528. Vide Suppl. & Iouium.





CAROLVS Borbonij Dux, Comitis Gilberti à Montepẽſerio filius, Ianam Ducatus Borbonij hęredem vnicam, duxit vxorem: hunc Gilbertum pręfectum Neapoli reliquit Carolus octauus. Porrò Carolus eius filius Magiſter equitum, ſeu Coneſtabilis, à Franciſco Valeſio creatus eſt anno à Chriſto natǫ 1516. Fuit quidem princeps hic magnanimus ac bellicoſus, ſed qui ob factionem quandam ad Imperatorem deficiens, cladem patriæ non minimam attulit: tandémque in expugnatione Romæ occiſus eſt. Nam ipſi ſtanti in ſcalis, globus ænej tormenti parum cautè à ſuis emiſſus (vt eſt plena periculi eius generis armorum tractatio) crus alterũ ſub femore perfregit, quo ex vulnere poſt vnum atque alterum diem, animam exhalauit. Vide Chron. Regum Franc. & re. memor. Paral.

ANTONIVS Leua, Mediolano primùm, deinde expeditioni Cæſarianæ pręfectus, cùm paralyſi laboraret, in cathedra ſedens circunferebatur: induſtrius quidẽ ille, ac in rebus bellicis arte Pelaſga, quaſi alter Sinon inſtructiſſimus. Moritur præ dolore vani ac caſſi in Maſſiliam conatus: cùm eius ſpe potiundę, à Melforum Principe ad eam recipiendã ex Italia prudenter ac callidè euocatus eſſet: nempe ea arte vt in Taurinũ ſuſceptam ab ipſo expeditionem auerteret, anno à Chriſto Seruatore nato 1535.







ANDREAS Doria, nobili apud Genuenses ortus familia, ineũte ętate nõ vno ſub principe ſtipẽdia meruit. Verùm cũ ſe terreſtri Marte laudẽ inuenturũ diffideret, ad ſuũ rediit elemẽtũ: quatuórque triremibus à ciuibus ſuis præfectus, Gallorum primũ, mox Põtificis partes fouit: à quo duabus auctus triremibus, denuo ſeſe ad Gallos cõuertit. Nec multò pòſt vniuerſę regiæ claſſi præfectus, & inſigni equitum D. Michaëlis torque exornatus, ſtrenuam aliquandiu Regi operã nauauit. Poſt hæc Marchione Vaſti, aliíſq; nõnullis Cæſarianarũ partiũ ducibus, Philippini nepotis ſui opera non procul à Neapoli captis, cùm Rex eos ad ſe mitti identidem iuberet, iuſtúmq; redemptionis pretiũ eorum nomine offerret, Doria tantarũ rerũ ſucceſſu elatior factus, conſtanter id recuſauit: tãdémque Marchionis Vaſti ſuaſu ad Cæſarem defecit: qui ob ſingularem rei naualis peritiam, tãtum honoris ei detulit, vt non alio, quàm Patris nomine, eum vnquam ſalutauerit. Ciuibus quoque ſuis tam charus extitit, vt marmoream illi ſtatuam in foro poſuerint, Patríſque patriæ appellatione exornarint. Vide Paulum Iouium, & Supplem. Chron.

PHILIPPINVS Doria, edito ſub Vrbinatiũ Duce ſingularis ſuæ virtutis ſpecimine, Comitis dignitatẽ & prouentum eſt adeptus. Rebúſq; deinde plurimis præclariſſimè geſtis, tandem Andreæ patrui, Gallicæ claſſis præfecti, vice fungens, cum Cæſarianis non procul à Neapoli nauali prælio congreſſus, inſigni victoria potitus eſt, anno 1527. capto Marchione Vaſti, aliíſque non paucis tũ Italorũ tũ Hiſpanorũ proceribus, triremibúſque aliquot, partim captis, partim depreſſis. Et Biennio pòſt incredibili põpa copiarũ Genuẽſiũ Dux adoptatus, poſt res plurimas Caroli Cæſaris auſpiciis feliciter geſtas, fatis conceſſit.





HERCVLES Eſtenſis, Alphonſi Ferrariæ Ducis filius, non tam parentis gloria aut ſtabili illius, pacatóque Principatus ſtatu, quàm ſingulari ſua virtute, ac moribus planè heroïcis, Renatę Ludouici duodecimi Gallorũ Regis filię coniugio eſt potitus: quam incredibili apparatu, põpáque prorſus regia vxorem duxit Lutetię Pariſiorũ anno 1528. Poſt hæc Alphonſo patre è viuis ſublato, in Principatu ei ſucceſſit anno 1534. multáque heroïcarum, non modò ſpecimina, verùm etiam exempla edidit. Ditionem ſingulari prudẽtia adminiſtrauit, & inter tot belli tumultus, quibus tota propemodum concuſſa eſt Italia, trãquillã incolumémque conſeruauit. Ius ſeuerè & integrè imprimis dicendum curauit: Academiam celeberrimã, diſciplinarum omnium altricem, Ferrariæ inſtituit, eámque accitis vndique maximi nominis profeſſoribus, ſingulari ſtudio ac liberalitate fouit Sub huius Principatu cùm alij propemodum innumeri, tum ſingulare illud Italicorum Poëtarum decus, Ludouicus Arioſtus emicuit.

RENATA, è regia Gallorum ſtirpe Princeps prudentiſſima, Ludouici duodecimi filia natu minor, Regíſque Henrici, qui hodie florentiſsimi Galliarum regni gubernacula tenet, matertera, Herculi Eſtẽſi Principi clariſsimo nupſit: cui & multos ſexus vtriuſque, & generoſiſsimæ indolis liberos peperit: è quibus filia natu maxima, Aumaliæ Principi, Guiſię Ducis filio nupſit: qui deinde patri è viuis ſublato in Principatu ſucceſsit.





LVDOVICA Ex clariſſima Sabaudię Ducũ familia, illuſtriſſimo Angoliſmorũ Duci nupſit: cui & duo præcipua noſtrę ætatis lumina peperit, Franciſcũ Valeſiũ, qui poſt Ludouici 12. mortem Gallici regni habenas tenuit, & Margaretã poſtea Hẽrici inclyti Nauarræ Regis vxorem. Hęc tanto ingenio mulier, tantáque in arduis rebus obeũdis dexteritate fuit, vt nõ immeritò filius lõginquiore expeditione ſuſcepta, regni totius adminiſtrationem ampliſſima cũ poteſtate ei ſemper crediderit. Ex præclariſſimis eius in rem Chriſtianam promeritis, illud præcipuè memoria dignum eſt, quòd anno 1529. menſe Auguſto, inito Cameraci cũ Margareta Maximiliani filia colloquio, pacem ſtabilierit, liberóſque regios, Franciſcum Delphinũ, & Hẽricũ Aurelianorum id temporis Ducem, paternorum pactorum in Hiſpania obſides, parẽtis patrięque deſiderio reſtituerit. Supremum diem clauſit 11. Cal. Octob. anno 1531. ſingularis quandiu vixit, ingeniorum & virtutis fautrix. Vide Chr. Cari. & Galliæ.

MARGARETA Auſtriaca, Maximiliani Cęſaris, & Mariæ Burgundæ filia, anno ſalutis noſtræ 1479. vitæ limen ingreſſa eſt. Nupſit primùm Georgio Hiſpaniarũ Principi, eóque è viuis ſublato, Philiberto Allobrogum Duci, quo præmaturè orbata, cũ in cœlibatu perſiſteret, nomine Caroli quinti, fratris ſui filij, Flandrię Germanięque inferioris gubernacula ſuſcepit. Anno deinde 1529. habito Cameraci cum Ludouica Franciſci Regis matre colloquio, compoſitis Principum cõtrouerſiis, lætam ſuis pacem peperit: annóque in ſequenti magno ſuorũ deſiderio fatis conceſſit. Vide Genealog. Carol. quinti.





MARIA, Philippi Archiducis Auſtriæ, & Ioannę Reginę Hiſpaniarũ filia, & Caroli quinti Imperatoris ſoror, nupſit admodum puella Ludouico inferioris Pannoniæ Regi, qui in ipſo ſtatim adoleſcẽtiæ ſuæ limine, anno 1527. cùm aduerſus Turcas infeliciter pugnaſſet, fuga ſibi ſalutem quærens, in palude quadã interiit, ſuperincumbentis equi pondere ſuffocatus. Cuius memoriæ tantũ tribuit Maria, vt nulla vnquàm ratione adduci potuerit, vt aut ad ſecundas nuptias animũ adiiceret, aut veſtẽ lugubrẽ cultu amœniore mutaret. Nec multò pòſt à Carolo fratre inferioris Germaniæ gubernaculis admota, ſtrenuè imprimis munus ſibi creditũ obiuit: multáque Cæſare abſente bella Gallis, Sicãbris, & Menapiis partim vltro intulit, partim ab illis illata ſuſtinuit. In omni denique vitæ ratione virilẽ potius, quàm muliebrẽ animùm præ ſe tulit, à principũ mulierũ deliciis prorſus abhorrẽs. Tãdẽ vt nominis ſui memoriæ cõſuleret, in Eburonũ, & Namurcẽſiũ finibus oppidũ egregiè munitũ cõdidit, quod de nomine ſuo Mariæ-Burgum voluit appellatum.

CATHARINA, quarta Philippi Archiducis Auſtriæ filia, nupſit Ioanni Emanuelis Luſitaniæ Regis filio, qui hodie regni eius ſceptra tenet, quem & quatuor liberorum Emanuelis, Philippi, Mariæ, & Iſabellæ parẽtem fecit. Hæc præter inſignem formæ venuſtatem, eruditionis nomine in primis commẽdatur aliis etiam virtutibus, regia matrona dignis, egregiè dotata.





ALEXANDER Laurentij Medicis Vrbinatiũ Ducis filius, secundo fortunę flatu, & immodico Clementis Pontificis propinqui sui fauore, primus Florẽtinorũ Dux creatus est anno nostræ salutis 1532. Hic prudentissimorũ hominũ consiliis parens, quos Clemens ei consiliarios addiderat, summa aliquãdiu cum laude patriæ suæ præfuit. Ius summa æquitate dicẽdũ curauit: rebúsque multis per seipsum iudicatis, nõ obscura & cordati iuuenis, & Medicei sanguinis specimina edidit. Caroli Cęsaris filiam, tori consortem sibi adsciuit: ex qua nullos suscepit liberos. Postremò cùm neque tanta fortunę suę amplitudine, neque tã generoso contentus coniugio, pudicis nobiliũ thalamis insidiaretur, anno 1537. à Laurẽtino Medice suo propinquo, & in eam vsque diẽ spectatissima erga se fide, fraude circũuentus, multis vulneribus confossus interiit.

COSMVS Medices, secundus Florentinorũ Dux, patre natus est Ioannino Medice, viro omnium suę ętatis rei militaris gloria clarissimo. Hic anno salutis 1537. principatũ auspicatus, subitò saluberrimis multis promulgatis legibus (quod ab ea ętate nemo expectarat) ditionis suę tranquillitatem stabiliuit. Scelerum omniũ acerrimũ se vindicem præbuit: literatos verò, atque adeò bonos omnes, singulari studio fouit. Academiã Pisis regia prorsus magnificentia extruxit, pręstantissimísque omniũ disciplinarũ professoribus exornauit: in qua bonę spei ingenia, rei familiaris angustia à liberalibus studiis exclusa, in sextum vsque annũ ali voluit. Vxorẽ duxit Leonorã Proregis Neapolitani filiã, tanto sibi, eóque mutuo amore deuinctam, vt non immeritò inter pręcipua amantiũ paria debeãt connumerari. Hic locis non paucis ditioni suę adiectis, principatus sui fines non parum propagauit.





FRANCISCVS Valesius Galliarum Rex clarissimus, literarum atque adeò liberaliū omniū studiorū (quę superiorum Principum incuria diu neglecta iacuerant) vnicus Mecœnas & singularis instaurator extitit. Celeberrimam Parisiorum Academiam, conductis amplissimis stipēdiis trium linguarū aliarúmque disciplinarū professoribus, & frequentiorē reddidit, & ornatiorē. Quid multa? ea cura, eóque animi conatu in hanc rem incubuit, vt Parens literarū nō immeritò debeat appellari. Neque verò rei militaris gloria inferior fuit: cuius non obscura indicia prę se ferunt pręclara aliquot ab eo conscripta de disciplina militari volumina. Post hęc rebus plerisque iā felicissimè gestis, Allobrogū Ducatum, & bonā Subalpinę regionis partem, quorum ius tum morte Margaretę Borbonię auię suę, Philippi Ducis vxoris, tum ex testamento Comitis Narbonensis Prouincię ad se deuolutū contendebat, finibus suis adiecit. Denique suis Landrisij à Cęsare obsessis, iámque ad extremā rerum omnium penuriā redactis, suppetias tulit, recentíque in hostis conspectu inuecto cōmeatu, ad eam consilij inopiam Cęsarem redegit, vt abiecta spe potiundi oppiduli, obsidionem soluere fuerit coactus.

LEONORA Philippi Archiducis filia, & Caroli quinti Imperatoris soror natu maxima, primùm Emanueli Lusitanorū Regi nupsit: eóque è viuis sublato, anno 1530. Francisco Valesio Regi secundis nuptiis coniuncta, non parum ad sedandas viri fratrísque discordias momenti attulit: eodémque anno regni diadema accepit.





SOLYMANVS Turcarum Rex, ex re feliciter prouiſa, cui euentus reſponderit, nomẽ tuliſſe fertur, quod Salomonem Sapientiæ gloria inclytũ, immutatis ſyllabis referat. Itaq; Solymano ſecus ac patri contigiſſe conſtat, qui à contrario ſenſu Selymus, hoc eſt mãſuetus, autórque pacis, ſit vocatus: quo nemo Othomãnorũ ferocior & bellicoſior fuerit. Sed Solymani res geſtæ, paternæ famæ nomen æquaſſe cenſeri poſſunt. Recepta nãque Syria, interfecto Gazelle qui rebellarat, Belgradũ fortiter expugnatũ, Rhodus manu capta, Buda bis occupata, Auſtriacus exercitus in fuga cæſus, Rocãdulphi ingentes copiæ ad Budã ſuperatæ, expugnatũ Strigoniũ, & Alba Regalis præclarę Hungariæ ciuitates, an. 1543. & paulò antè Hiſpani in Dalmatia ad Caſtrum nouũ expugnati, claſſibus eorum, quæ inſuperabiles viderentur, ad Leucadem fugatis: hæc, inquã, Solymanum patri, auſu nec imparem, nec gloriæ minus auidũ teſtabuntur. Aſſyriæ præterea & Meſopotamiæ regna, cum Babylonia vrbe, magnæ Memphi æquãda, quæ ſuo Solymanus adiecit Imperio, captæ à patre Aegypto opponi poſſunt. Quinetiam Solymanus maioris Armeniæ, Mediæ, Perſidíſque fines, vſque ad ſinũ Perſicũ, vaſtauit: Taurim Perſarũ Regiam, bis cepit: Tãmaſum Sophim, Hiſmaëlis filium, refugientem ad mõtes, fugauit. Verùm quod ad Solymani mores etiã attinet, fatentur ſanè Turcę, eius ſubditi, eum ſuprà cæteros Othomannorum principes, qui per ducentos regnarint annos, iuſtitiæ, ſobrietatis, & continentiæ laude clariſſimum. Vide Paulum Iouium.

ROSSA omnium Solymani vxorum pulcherrima, præter formã multis etiam virtutibus dotata eſt: quare apud Solymanum præ cæteris omnibus vxoribus maxima pollet gratia, ab eóque vnicè amatur, ac colitur.





SOPHI nomine Tammas, Persarum Rex potentiss. vrbe Tauris, ac parte regni pulsus à Solymano anno D. 1534. Punicis artibus voluit hostem circõuenire: nã cùm viribus esset inferior, fingens longius aufugere, perduxit Solymanum in loca inuia, ac prærupta, Turcísque ipsis incognita, vnde vix egredi potuerit Solymanus, hostẽ 8. dies prosecutus. Porrò Sophi per vias quasdam sibi notas iter faciẽs, partem exercitus, nempe 60000. hominum armatorũ, transmisit: Taurínque vrbem, media nocte aggressus, recuperauit, omnibus qui in ea erant Turcis trucidatis. Erat autem hæc vrbs Turcicis thesauris nõ minimis, atque armis aucta & ornata. Solymanus itaq; subito quaqua via pedẽ referre coactus est, séque in suæ ditionis castellũ quàm citissimè recipere. Anno autem 1549. Solymani primogenitus ad Persas defecit, quòd fratrem suũ à patre in Imperio præferẽdũ pręsentiret. coacto itaque exercitu Persico, in patrẽ insurgit, locáq; paterna, Persis finitima oppugnat. tũ verò pater cum 500000. militũ eò profectus Persas metu perculsos retrocedere cogit: sed incensis à Persis villis, pagísq; omnibus quacunque dierũ 5. spatio profugiebant, ad tantam rerum penuriã adactus est Solymanus vt 100000. suorũ peste ac fame extinctis, reuerti sit coactus. huius Tammę frater germanus Helcas, ad Solymanũ transfugit, cuius hortatu bellum renouatũ est, qui cùm eius belli Dux esset vt perfidiæ pœnas daret, ad Persicum sinum est interceptus. Cęterùm ipse Sophi roseo vultu, vegetísque oculis dignã Imperio faciem præfert, equitandi, & sagittandi peritiss. conatúrque in Oriente Imperiũ reparare: egregiísque factis maiorem suorum gloriam reuocare. Vide Iou. Munst. & Cario.

VXOR Sophi speciosissima, more quidem antiquarũ Heroinarum incedit, omni cultu ac mundo muliebri ornatissima.





PAVLVS hoc nomine Papa tertius, Alexander Farnesius antea vocatus, vna omnium voce in demortui Clementis septimi locum substituitur anno D. 1534. Hic ab adolescentia literis latinis ac Græcis, liberalibúsque disciplinis probè est institutus: atque, ante Pontificatum initum, Petrum Aloysium, & Cõstantiam, matrem Vidonis Ascanij Cardinalis à S. Flora, peperit. Postea Pontifex creatus, concilium generale indixit, eíque locũ assignauit, primum Mantuam, deinde Vicentiam, nouissimè Tridẽtum, vbi & inchoatum est. Hic sex expeditas triremes ad Imperatorem aduersus Aenobarbũ misit. Præterea cũ Galliæ Rege Francisco Valesio, & Imperatore Carolo ad Niciam cõuenit: vbi decennales pactæ sunt inducię inter Imperatorem & Regem: initum est etiam matrimonium inter Octauiũ Pauli nepotem, & Imperatoris filiam, Alexandri Medices Florentiæ Ducis viduã. Deinde assentiente Imperatore, prædictus Petrus Aloysius Parmæ ac Placentiæ Dux designatus est: hac quidem conditione vt Papa 12000. peditum ad Imperatorem aduersus Protestantes mitteret: quod præstitit Pontifex: auxiliaribúsque hic copiis, quasi Cleri Coryphæus, creatus est Octauius. Sedit Paulus hic annos 16. vixit 84. Vide Iouium.

IVLIVS Papa hoc nomine tertius, Ioãnes Maria de Monte antea vocatus, Pontifex designatur anno D. 1550. Hic cùm iam antea valde eruditus ac eloquens esset, concilio Tridẽtino Pauli Legatus præsederat. Iubilæum statim celebrauit, nam in annum 50. eius electio incidit. Primo etiam Pontificatus sui anno concilium Tridẽtinum inchoatum, sed aliquantisper intermissum, resumẽdum indixit. Aduersus Hẽricum Regem Christianiss. in Italia ad Parmam ac Mirandulam, bellum aliquãdiu gessit: verùm tandem res inter eos componitur: cuius fœderis componendi autor fuit Cardinalis Turnonius.





FRANC. Sfortia ſecundus, Mauri filius, Dux vltimus Mediolani, anno Salutis 1523. à Proſpero Colonna, generali Duce copiarum Caroli quinti Imperatoris & Leonis decimi Pontificis, atque ab vniuerſo Senatu Tridenti, vbi morabatur, ad Mediolanenſem principatũ reuocatus eſt. Nõ multo antè ipſe populus à Gallo Rege deficiẽs, Regiũ Præſidem Lautrec omnéſque Gallos milites, quòd inſolẽter viuerẽt, vnanimiter expulerant. Receptus eſt ſummo cum gaudio, & applauſu incredibili. Anno verò Salutis 1534. Chriſtiernam Daniæ Sereniſs. Regis filiam ſummo Imperatori neptẽ, vxorem duxit. At poſt fatales dolores & fugam, populíque ſui graues querelas, ob aurũ Cæſari perſoluendum, longa alterius oculi ægritudine prægrauatus, quem & amiſit, die 24. Octobris 1535. deceſſit, ſuos relinquens Cæſareis Præfectibus expilandos. Eo exenterato cor ſubaridum & inflatum repertum eſt. Vide Supplem. Chro. & Gazzo.

CHRISTIERNA Sereniſs. Daniæ Regis filia, Carolo quinto Cæſari, ex ſorore neptis, anno Salutis, quo ſuprà, Franc. Sfortiæ hoc nomine ſecundo, & vltimo Mediolanẽſium Duci, matrimonio iuncta eſt, applauſu ſanè incredibili. Verùm, tum ob perlõgam viri ægritudinem, in qua & oculum perdidit, tum quòd populum vexari ac expilari cerneret, tũ demũ ob Imperij breuitatẽ, quandò paulò plus anno principatũ tenuit, hę nuptiæ parùm illi lætæ fuerũt. Nam pullis, lugubribúſque cooperta veſtibus, gemẽs ad patriam remeauit: poſtea nupſit Antonio Lotharingię Duci. Vide autores quos ſuprà.





IOANNES Stœflerus Iustingensis, insignis fuit Astronomus & Cosmographus, vt testantur multa eius opera accuratissimè elaborata. Scripsit opus Ephemeridum, à capite anni Christi 1532. in alios viginti proximè sequẽtes, ad veterum imitationem, excusum Tubingę: item variorum Astrolabiorum compositionis seu Fabricę libros duos, cum explanatione vsuum eorundem, quos quidem postremò ab authore recognitos Petrus Iordan excudit Moguntię, anno domini 1535. In Procli Diadochi Sphæram mundi Commentarium: Calendariũ Romanum: Tabulas Astronomicas: Cosmographicas aliquot descriptiones De Sphæra Cosmographica, hoc est de globi terrestris artificiosa structura: De duplici terræ proiectione in planum, hoc est qua ratione commodius chartæ Cosmographicæ, quas mappas mundi vocant, designari queant: quę quidem edita sunt à Ioanne Dryandro Mapurgi. Constat eum claruisse anno salutis 1530.

ALBERTVS Durerus Nurembergensis pictor celeberrimus, scripsit institutionum Geometricarũ libros 4. lingua Germanica, quos deinde doctus quidã Latinitate donauit, pictoribus, fabris ærariis ac lignariis, lapidicidis, statuariis & vniuersis qui circino, gnomone, libella, aut alioqui certa mensura, opera sua examinant, vtilissimos. Exarauit plures alios libros, qui non mediocrẽ vtilitatem possunt afferre his, qui hac arte & professione nobilissima maximè delectantur, quorum elenchum hîc recensere superuacaneum esse haud videtur. Scripsit libellum de vrbibus, arcibus, castellísque condendis & muniendis, impressum Lutetiæ 1535. Item de Symmetria partium in rectis formis humanorũ corporũ, libros quos in Latinum conuertit Ioachinus Camerarius, Norimbergæ impressos, annos domini 1532. cum figuris. Præterea de varietate figurarum & flexuris partiũ, ac gestibus imaginũ, ibidẽ impressos anno 1534. cum figuris plurimis. Floruit anno salutis 1534. Vide Gesnerum.





TRINCAVELLA insignis Medicus fuit, quem dignissimum esse existimauimus qui huic numero virorũ in arte medica doctissimorum adscriberetur, vt ex eius exactissimis commentationibus perspicere licet. Scripsit de compositione medicamentorũ quædam, multáque alia, quæ medicis non mediocrẽ vtilitatem adferunt, quęque ei immortalem glorię & nominis famã pepererunt. Claruit circiter annũ salutis humanæ 1538.

ANTONIVS Musa Brassauolus Medicus Ferrariensis, cuius hîc imaginem ad viuum expressam vides, floruit circiter annum salutis 1538. Is multos libros composuit de arte medẽdi. Scripsit præterea multa alia vtilissimè, quorum bona pars in lucem prodiit, reliqua expectantur: quibus omnibus studiosis innotescit eius doctrina & perfecta eruditio, in diuerso literarum genere. Scripsit Examen omnium simpliciũ medicamentorum impressum Romę, & Lugduni. In octo libros aphorismorum Hippocratis & Galeni expositionem, Commentaria & annotationes. De Syrupis librum, per dialogũ inter ipsum Antonium & Pharmacopolam senem. Scripsit præterea vitam Iesu Christi seruatoris Italica lingua, in qua paraphrasticè, quatuor euangelistas interpretatur. Dialogum, quod mors nemini placeat. Muricis encomium: de cœna & prandio: de temperie Ferrariensis aeris. De laudibus dialecticæ. De ordine librorum Logicæ. De vtilitate & necessitate Logicæ: de suppositionibus secundũ antiquos. Commentaria in Paulum Venetum. Commentarios in prædicamenta Aristotelis: in librum de interpretatione: in posteriora analytica: in libellum Boëtij de diuisionibus. Commentaria in librum Auerrois de substantia orbis. In libros Physicorum Aristotelis. In libros de anima. Commentaria in Aphorismos Hippocratis quæ post primam editionem ad incudem reuocauit, & alia infinita. Floruit anno salutis 1538.





LVDOVICVS Arioſtus Ferrarieſis, inter celebres & magnos Poëtas numeratur, vixítque tẽpore Herculis d'Eſt Ducis clariſſimi Ferrarienſium, qui eum fouit eiúſque ſtatum ampliauit, cum inter primos eſſet ſui cõſilij. Compoſuit Italicè librum Poëticum, inſcriptum, *Orlando Furioſo*, in quo hiſtoriam ſcribit duodecim Parium Franciæ & Caroli magni Regis Francorum, tã appoſitè & doctè, vt omnes tam viri quàm fœminæ hunc librum ſibi legendum proponant: nam præter elegantem, iucundum & diſertum ſermonem, plurima videre licet in eo exẽpla virtutis (vnde magni fructus poſſunt exhauriri) & plures hiſtoriæ quæ ſuo tempore acciderunt. Fuit tranſlatus in Gallicum idioma, Hiſpanum & alia. Scripſit etiam Tragœdias, Comœdias alióſque verſus elegantiſſimos, floruítque ſupradicto tempore Ducis Herculis, anno ſalutis humanæ 1540.

PETRVS Aretinus fuit magnus & præſtãs orator, qui Venetiis plerũque habitabat, vbi plurimis nobilibus Venetis valdè charus erat. Compoſuit & edẽdos curauit plures libros, ſed magna ex parte ſatyricos. Scripſit Tragœdias, Comœdias, Epiſtolas & inuectiuas. Erat maledicus maximè in magnos viros, qui vt ei ſilentium imponerent, magnis muneribus eum afficiebãt. Inter alios magnus ille Franciſcus primus Chriſtianiſſimus rex Galliæ, ingenti catena linguis aureis compacta eius maledicentiam compeſcuit, & eandem ob cauſam Carolus quintus Imperator monile ad eum miſit formam aurium aurearum referens, quo quidem eum obſurduiſſe nunciatum fuit Imperatori, ita vt à duobus his tantis Principibus ceu Monarchis, deinde abſtinuerit. In alios inuectus, in magnum vitæ diſcrimẽ ſeſe coniecit propter vim ei illatam. Dein maledicum eius animũ mutando ſtylum quoque mutauit, floruítque tempore Arioſti.





CLEMENS Marotus Gallus magnã eſt adeptus gloriam ex eo tempore, quo primum poëſis gallica in precio haberi cœpit. Eius carmina, quamuis nitida & ſalſa, hac tẽpeſtate exigua videntur, ſi eorum comparatio fiat cum his quæ ſcribuntur à quibuſdam recentioribus Poëtis, quos omnes hìc enumerare difficile eſſet: principem tamen eorum paulò poſt ſubiiciam. Hic Marotus Pſalmos aliquot Gallico carmine reddidit, tranſtulit Metamorphoſim Ouidianam, Eglogas Virgilij, Minois iudicium, Encomium Beraldi, & multa alia feſtiuitatis plena.

MAVRICIVS Sceua Lugdunenſis Poëta Gallus, longè omnium qui ſua ætate floruerunt maxima doctrina & ingenij admirabili acumine celeberrimus, multa poëmata compoſuit & ſcripſit, quibus eius nominis fama nunquam ſanè intercidet. Hic Dantis Poëtę Italici, longe difficillimi, animũ prope gerẽs, tam alto argumento, ſuam Deliam conſcripſit, vt ab omnibus Poëtis noſtræ ætatis, pro tanto tamque eximio opere, exiſtimetur plurimùm. Omnia is ſua induſtria inuenit, vir perſpicaciſſimus, ſtẽmata, trophæa, & imagines, quibus pręclariſſimus Henrici ſecundi, in vrbem Lugdunẽſem introitus, magna omnium ciuium concomitante lætitia & oratione, & magnificentiſſimo apparatu, fuit honoratus, anno 1544. compoſuit etiam librum inſcriptum Microcoſmos, id eſt paruus mundus, in cuius ſcriptis, quamuis elegantiſſimis, magis res, quam verba admirari debemus.





PETRVS Bembus Venetus Cardinalis, vir doctiſſimus, & eloquentiæ Ciceronianæ ſummus imitator fuit, vt videre licet ex eius ſcriptis prope infinitis, ſumma eruditione, ſale & iucunditate ita conſperſis, vt ad ea perlegenda lectores alliciãtur: tanta vis eſt eius orationis. Scripſit opuſcula aliquot impreſſa Lugduni: Epiſtolas, De imitatione ſermonis lib. I. cum Ioannis Franciſci Pici, quibuſdam opuſculis: Poëma heroïcum, cum variis poëmatis: de Aetna, libellũ: Hiſtoriȩ Venetæ libros duodecim. Scripſit etiã elegãtiſſimè de Culice, vt refert Nicolaus Erythrȩus, & multa alia. Claruit anno reparatȩ ſalutis humanȩ 1540.

PAVLVS Iouius Nouocomẽſis Epiſcopus Nucerinus ad viuum ſic exprimitur, quod ad corporis delineationem ſiue decorã effigiẽ attinet: eius animus admirabilis cuiuis innoteſcit, q eius hiſtorias incredibili facũdia & grauitate ſcriptas plegerit. Conſtat hunc medicum fuiſſe, medicinámque exercuiſſe antequam Epiſcopatus ampliſſimum gradum attigiſſet. Scripſit de Romanis piſcibus libellum: de vita Iacobi Muti, Attẽdulæ, Cotignolæ, Sforciæ &c. librum impreſſum Baſileæ: de rebus Turcicis: vitas omnium Turcicorum imperatorum: item de ordine ac militia Turcicæ militiæ: vitas duodecim Vicecomitum Mediolani principum: vitam Leonis x. Pontif. Max. & Adriani, Pompei Columnȩ Cardinalis, & infinita alia. Florebat tempore magni huius Coſmi Medicæi.





LEONHARTVS Fuchſius, Germanus, medicus inſignis, ex eius infinitis prope & pernecesſariis cõmentationibus, quandiu medicinæ vſus ſeruabitur, ſummis laudibus erit extollẽdus: quod plures, vt crediderim, ex eius ſchola, prodierint medici, quã ex equo Troiano, olim, milites. Scripſit Methodũ medicinæ, ſeu rationem compendiariam, perueniendi ad verã ſolidámque medicinam: item de vſitata huius tẽporis cõponendorũ miſcendorúmque medicamẽtorum ratione libros tres, iis qui praxim medicam exercent maximè neceſſarios. Eiuſdem extant de ſanandis totius humani corporis, eiuſdẽque partium tam internis quam externis malis lib. 5. Tabulæ aliquot vniuerſæ medicinæ ſummam & diuiſionem, compendio complectentes. Tabulę ſex in Galeni libros de morborum cauſis & ſymptomatibus: Paradoxorum medicinę lib. 3. in quibus multa à nemine adhuc prodita. Arabum ætatíſque noſtræ medicorum errata confutantur. Floruit anno 1540. & obiit Tubingæ anno 1566.

CONRADVS Geſnerus Tigurinus, medicus & Philoſophus clariſſimus, cùm ipſe plurima ſcripſit, tũ multa etiam aliorũ in lucem edidit & rempublicã literariã maximè iuuit. Conſcripſit Bibliothecam vniuerſalem, ſiue Catalogum omniũ ſcriptorũ locupletiſſimum: in tribus linguis Latina, Græca & Hebraïca, extantium & non extantium, veterum & recentiorum: opus nouum, & non Bibliothecis tantùm publicis priuatíſque inſtituendis neceſſarium, ſed ſtudioſis omnibus cuiuſcúmque artis aut ſcientiæ, ad ſtudia melius formanda, vtiliſſimum. Floruit anno ſalutis 1540.





CHRISTOPHORVS Longolius Parisiensis, suo tempore, eloquẽtia magna pręstitit, vtpote qui plures scripserit Latinè elegantissimas orationes, Epistolas, Epigrãmata, & Elegias. Porro inter orationes, vnã exarauit in laudem Ludouici Regis, vndecimi, alteram in laudem Plinij, quinque alias in laudẽ vrbis Romę, & vnã aduersus Lutheranos. Scripsit etiã amicis plures Epistolas, vt Erasmo, Budęo, Bembo, Sadoleto & aliis. Scripsit quoque in Ius ciuile, cũ publicè Iurisprudentiã profiteretur in Academia Pictonũ. Erat valde comis & humanus, vnde omniũ amicitiã sibi cõparabat. Sed cũ videamus sępissimè chariores & virtutibus ornatiores potius quã vitiosos immatura ætate è viuis excedere, florentibus adhuc annis, vitã cũ morte mutauit, cũ trigẽtisimũ sextũ suę ętatis annũ nõdũ attigisset. Omnia eius opera fuerũt impressa Lugduni, à Sebastiano Gryphio, & in pluribus locis Germanię & Italię. Florebat circiter annũ 1536. Vide Conradum Gesnerum, in sua Bibliotheca.

ORONTIVS Finęus Delphinas Regius Mathematicarũ professor, in oppido Briansonio natus, patre medico & Philosopho egregio, nec non Mathematico nobili: quo mortuo, Lutetiã venit, vbi perfectis iã suis studiis, vxorẽ duxit Dionysiã cognomine & re candidã, cũ qua vixit paulò minus viginti annis. Quantũ laboris insumpserit assiduis cõmentationibus, testantur tot eius scripta, quorũ seriẽ reperies in Bibliothec. Gesneri. Floruit anno salutis 1545. Et obiit Lutetię in suis ędibus pridie nonas Octobris, anno reparatę salutis hominũ 1555. hora à meridie quarta, qua ille in lucem venerat, natus annos LXI. ferè: iacet in cœnobio Carmelitarum.





PETRVS Aloysius, Alexãdri Farnesij(qui postea ad Pontificatum euectus, Pauli tertij nomine innotuit) filius, opera parentis Parmæ & Placentiæ Principatũ consequutus, cũ immodico Placentinæ vrbis exornandæ studio, edixisset ditionis suæ Comitibus, cętereque nobilitati, in eã vsque diẽ in villis suis castellisve agere assuetis, vt Placentiam domicilium suum transferrent: ægrè id illis ferentibus (vt pote qui sub Pontificũ imperio, summæ semper libertati assueuerant) nonnullos non infimę autoritatis, qui imperium suũ detrectabãt, exilio mulctauit, bonáq; eorũ fisco adiudicauit. Qua occasione irritatis nobiliũ animis, illorũ coniuratione circũuentus, in arce Placentina multis vulneribus obtruncatur: mortuíque corpus in publicũ protractũ, cõcursu plebis fœdè discerpitur, anno nostræ salutis 1547.

HIERONYMA Vrsina, Romanæ castitatis matrona, vnicúmque virtutis omnis exẽplar, Petro Aloysio nupsit, Alexandri Farnesij (qui postea Pontifex creatus, Pauli Tertij nomen adsciuit) filio: cui pręter Victoriam filiam, Vrbinatiũ Duci iam elocatam, quatuor liberos mares peperit, totidem ætatis nostræ lumina: quorũ duos hodie omni disciplinarũ genere ornatissimos, rarissimo exemplo, in Cardinaliũ ordinem videmus cooptatos, Alexandrũ nimirum, & Raynutiũ Farnesios, ambos amplissimos legatorum munere, illum apud Auenionenses, hũc in Flaminia fungẽtes. E reliquis duobus, Octauius Parmẽsiũ Dux, militaris gloria imprimis illustris, & Caroli quinti gener, remotissimos orbis Christiani angulos nominis sui splendore impleuit. Horatius verò Castri Dux, generosi animi iuuenis, & in adeũdis periculis prorsus intrepidus, hoc ipso anno incredibili apparatu, Hẽrici Regis filiã cõiugẽ sibi adsciuit: nemini fortitudinis gloria cessurus, nisi nimia hominis virtus, ad manifesta pericula incautius impulsum, pręmatura nece eũ nobis pręripuisset.





HENRICVS Albretius illuſtriſſimus Nauarrorum Rex, Franciſci Valeſij Regis Chriſtianiſſimi fidus belli comes, eíque ſemper intimus fuit: cum quo etiã aduerſus Cæſarianos ad Papiam ſtrenuè dimicans, captus eſt. Hic literas, literatóſque ſemper impenſè coluit: Margaretam principem omnium lõgè illuſtriſſimam, prædicti Regis Valeſij ſororem vxorem accepit: ex qua filiam vnicam ſuſcepit inclytã, nobiliſſimi ſimul ac magnanimi Vindocinenſium Ducis vxorem.

MARGARETA Heroinarum omnium in toto orbe facilè Princeps, pietate ac doctrina præ cæteris omnibus celebris, Franciſci Valeſij ſoror illuſtriſſima, primùm nupſit Alenconio Duci, ex quo nullos peperit liberos: poſt cuius obitũ nupſit ſecundò, ac in virum accepit illuſtriſſimum Regem prædictum, Henricum Albretium: cui ſplendidiſſimam forma ac moribus filiam peperit, nomine Ianam: quæ in cõiugem data eſt clariſſimo, ſimul ac humaniſſimo Vindocinẽſiũ Duci. Migrauit autem Heroina Margareta ex hac in alteram quam præoptabat vitam, anno Domini 1549. Vide Chro. Franc. Cæterùm, vt de eadem Margareta hoc vnum addam, quiſquis ſanè, huius Margaritæ ſeu perluſtris vnionis ſplendorem tentat animo perluſtrare, atque oculis, etiam ſi perſpicaciſſimis, aſſequi: eadem certè opera diductis ciliis in ſplendidiſſimum, ſimulac ardentiſſimũ ſolem tecta ac illæſa acie contendat.





ÆNOBARBVS, vulgò Barbarossa vocatus, Rex Algerij. Christiana matre natus, à pueritia per inopiam vrgentem apud Hispanos importandis venùm caseolis, aliisque id genus opsoniolis victum sibi quærere coactus est. Ex hoc Pirata factus, non mediocriter rem auxit: comparatáque perditissimorum hominum manu, per vim ac insidias, Algerij in Mauritania Regnum occupauit. Mox Turcarum Principi fœdere iũctus maritima prælia feliciter gessit. Hispanias infestauit. Tuneti Regem sedibus expulit: qui tamẽ paulò pòst à Carolo Augusto v. est restitutus: neque enim tanta erat Aenobarbi Piratæ potentia, vt Imperatori obsistere posset. Eius etenim potẽtia soli Turcarum adminiculo nitebatur. Vide Paulum Iouium, & Gazzo.

MVLEASEM suo Tuneti Regno per Barbarossam expulsus, mox per Carolũ Cæsarem v. fuit restitutus, anno 1535. Qui anno deinde 1541. huius Muleasem fretus auxiliis, Barbarossam Algerij Principatu frustrà deturbare conatus est, traiecto eã in spẽ Libyco mari, & ciuitate cincta obsidione. At oborta statim tempestate, imbribus densis, & cõtinuis, & ventis colluctantibus, Algeriani occasione arrepta, & fauẽti sydere adiuti, eruperunt impetu magno, castráq; Cæsaris assiduis iactata calamitatibus, frigore, siti, & fame debilitata, & pluuiarum inũdationibus stagnantia diripuerunt, Cæsare ab obsidione depulso non citra insignem iacturam, cum rerum, tum Illustrium hominum, Ducũ exercitus, strenuorúmque militũ, & instructissimæ classis. Tãta verò, & tam infesta Cæsari tempestas sæuiit eodem anno circa principium Octobris. Vide Gaz. & Iouium.





FRANCISCVS Francifci Regis filius primogenitus, natus anno D. 1517. Franciæ Delphinas indole verè regia, & præfumptis à natura virtutis omnis heroïcæ egregiis principiis, artium (quę liberalem Principem decent) pręcipuè verò militaris difciplinæ ftudiofiffimus, fpẽ de fe dedit mirabilẽ. Sed dum contra hoftilia Cæfaris arma Maffiliam verfus, expeditionem parat, Lugduni obiter confidens, veneno necatus eft à Sebaftiano quodam Montis-Cuculli Comite, qui compræhenfus, veneficiúmque non diffeffus, neque fceleris confcios, pœnas luit, in quatuor partes mẽbratim helciariis equis diftractus. Hic Princeps ad hunc modum veneno intus cruciante malè affectus, ardore tamen adeundi ad Prouincialia bella patris, vix Turnonem perlatus, magno omnium mœrore expirauit, anno fuæ ætatis 20. menfe Augufti, 1536. Vide Chron. Franc. & Paulum Iouium.

CAROLVS Aureliæ Dux, Regalium liberorũ ex Francifco Franc. Rege natu minimus, adolefcens fuit perhumanus, liberalis, & magnanimus, præbito iam de fe heroïcæ magnanimitatis exemplo, in expugnatione Iuodij, oppreffione Arluni, Viretonij, ac Luxemburgi, omniùmque locorum, caftrorum, & arcium circũ circa inuafione, munimento, confirmatione, præfidio, & commeatu, anno 1542. Bellicofiffimus hic Regis filius, in florentiffimo dilectæ iuuentutis decore, acutiffima febri pręproperè extinctus eft anno 1545. Vide vt fuprà.





ALPHONSVS Daualus, Vuasti Marchio ex nobilissima Comitum Aquinatum familia ortus, literis & armis à pueritia exercitus, post mortuum in Prouincia Narbon. Ant. Læuam, Cæsarianæ militiæ in Italia Dux creatus, & Imp. Legatus anno 1536. Casalium, primam Montisferrati vrbem à D. Buriano Gallo captam, mirabili celeritate intra biduum illuc quasi peruolans recuperauit. Anno deinde sequēti, multis & magnis rebus gestis suam in rebus bellicis strenuitatem comprobauit. Reparatísque viribus Albam, Carmanolium, Cherium, Montemcalerium, omnémque circà regionem vastans cepit, Pignerolio etiam, ac Taurino obsessis. Verùm adueniens Delphinus Franciæ omnia rursus victor recepit, ipsúmque Marchionem longè repulit. Expugnata deinde Montisdiuisi ciuitate munitissima, necnon Saluiliano, & Salutio, aliísque locis, dum Carinianum victus commeatu instruere molitur, fortunam expertus est admodum sinistram. Nam sub Cerisoliorum ignobili pago Frācorū virtute, & auspiciis Francisci Borbonij Anguiani, acie profligata, & maxima suorum parte cæsa, victus, & in fugam versus est anno 1544. Denique post certas pacis conditiones inter Regem Francorum, & Imperatorem confirmatas, decessit vir maximi animi Alphonsus Daualus, anno 1546. mense Martio. Vide Gazium.

MARIA Tarraconensis, seu Aragonia, Alphonsi Dauali Vuastensis Marchionis vxor, forma eleganti, nec minori gratia fuit. Verùm prudētia longè magis excelluit. Heroina pudicissima virum fecit pulchra prole parentem, liberis vtriúsque sexus eductis, quibus etiam maturè pater viuens promisum voluit. Vide vt suprà.





HENRICVS octauus, Angliæ Rex, patri Henrico septimo successit in Regno, anno Christi 1510. Qui traiecto in Galliam exercitu, Neruiorum vrbem Tornacum certis conditionibus recepit: quam quinque post annis Francisco Valesio Regi restituit, pactus filiæ suæ Mariæ connubium, cum Francisco Franciæ Delphino. Postea verò anno 1520. in Galliam reuersus visendi gratia Regis Francisci, pacem cum eo firmauit. Tragœdias verò turbulētissimas quas excitauit, quásque sæuitias exercuit, & in Clerum, & in suas vxores, nunc commemorare non libet: qui fusius hæc videre volet, legat Iouij primum, & secundum tomum, & Supplementum Chronicorum. Regnauit annos 36. & mortuus est anno 1546.

EDVARDVS sextus, Angliæ Rex supradicti Henrici filius, annos natus octo patri successit, anno mundi 5508. & à Christo nato 1546. Hic puer fuisse dicitur (quantum tulit ætas) multum eruditus, ac pius: pacis amantissimus, & animo ad tranquillitatem inclinato. Bononiam maritimam Henrico 2. Regi Franciæ reddidit, annos quinque prius occupatā à patre Henrico octauo. Inter eos denique post grauissima bella de pace conuentum est, iis legibus, vt odiorum veterum inter Gallos, & Britannos perpetua fieret amnestia: ídque omnium Magnatum consensu, & populi diutinorum bellorum vtrinque pertæsi. Quæ sanè pax, & concordia omnibus fuit quàm gratissima. Vide Chronica Francię, & Iouium.





HENRICVS secundus anno 1547. die suo natali Martij vltimo, in regno Franciæ successit patri Francisco Valesio. Sequenti deinde anno, Scotis veteris iure amicitiæ fœderatis aduersus infestantes Anglos suppetias tulit, hostilémq; exercitum fudit, fœdus cũ Heluetiis iam olim à patre initum denuo cõfirmauit, ac amplificauit. Deinde, arte, viribus, & impetu Bononiã maritimam ab Anglis occupatam adgressus est, captis omnibus quæ circunstabant arcibus: sic vt Anglorum Regem ad pacem impulerit, dimissa Bononia. Postea verò multorũ precibus allectus Principum Germanorum, qui pro sua libertate vindicanda ipsius opem implorabant: cum eis fœdus iniit: & in Germaniam ipse Rex cum apparatissimo exercitu profectus est: & inter eundum Metas nobilissimam Lotharingiæ ciuitatem sibi subdidit. Redeundo autem Danuillarium, Iuodiũ, Montemmedium, & alia pleraq; oppida, & castella expugnauit, in quibus erat tutissimum hostibus profugium. Interim cum Rege rediit in gratiam Iulius tertius Pont. Max. Idem Rex Mirandulã tutatus est, Parmam stabiliuit, Senas, expulsis Hispanis, antiquæ restituit libertati. Dum hæc in Italia geruntur: Cæsar qui prudẽter retro cesserat, resumptis spiritibus, ad obsidionẽ Metarum (quas prouidus Rex valẽtissimo strenuorum Ducum, Equitum, ac Militum præsidio firmarat) reuersus est cum 100000. armatorum, vel amplius. Sed Gallorum virtute recedere iterum coactus est, re infecta, multis suorum ferro, fame, & frigore amissis.

CATHARINA de Medicis, Henrici Regis coniũx, virtutibus, morũ integritate, ac pietate sic excellit, vt tantũ in Heroina encomion vix cuiquam credibile videatur. Propter quod populis honorata, Principibus grata, Regi suo viro supra modũ est dilecta, quem sex liberorum patrẽ in cõiugalis testimonium amoris iam effecit.





ANTONIVS Borbonius Dux Vindocinensis inclytus, Christ. Franc. Regis in Belgica legatus anno 1542. Turnæam arcem vi expugnatã solo æquauit, Ducem Riuiũ Atrebati Gubernatorẽ fugauit, captis plærisq; arcibus, & castellis intra Atrebatensium fines. Anno mox 1543. Insularium, & Bapalmam quantũlibet valido propugnarẽtur præsidio, simulque alia quædam munitissima loca subegit, eáque ad tollẽdum belli nidum, funditùs diruit. Anno hinc 1552. cùm intellexisset Dux vigilantissimus suprà memoratum Heroa Riuiũ Imperatoris vices gerentem satagere ne Morinorum ciuitas annona, & cibariorum commeatu instrueretur, comparata ad hoc impediendũ numerosa Flandrorum Belgarum expeditione, illi mox occurrit: vbi cæsis quàm plurimis, nonnullísque captiuis: eodẽ momẽto Castellum Comitum vi cœpit: maximũ obstaculũ hostibus futurũ. Regísque imperio idipsum subdidit. Sequenti mẽse Decembri, Hedino per Legatum Riuium expugnato, repentè fortissimus Heros tãto impetu, ac ardore adcurrit: vt intra breue temporis spatium in pristinum statũ restituerit. Deniq; inuictus hic & inclytus Princeps egregios conatus suos tantis animis, prudentia, & strenuitate persequitur adhuc nobis superstes: vt immensæ sublimitatis maiorem in dies spem ostendat.

IOANNA d'Albret Regis Nauarræ, & clarissimæ Principis illius Margaretæ Regiæ sororis filia vnica, Moliniis incredibili nobiliũ & popularium applausu nupsit supradicto illustrissimo Duci Vindocinensi. Porrò ea nulla ex parte à tantis, talibúsque parentibus degenerat: quin protinus æmulatur moribus, ac virtutibus planè Regiis, & summo amore literarum, ac virtutum, quibus ipsa etiam est ornatissima.





EGVINARIVS Baro Iuriſconſultus excellens, de iure etiã multos edidit libros plenos vtilitatis. Scripſit etiã in Quintiliani oratorias inſtitutiones, tabulas, vniuerſam dicendi rationem quodam quaſi faſciculo complectentes, quibus certè palàm fit omnibus eum indefeſſo labore ſemper ſtuduiſſe, vt literarum decus & pręcipuè iuris prudentiæ augeſceret & conſeruaretur magis ac magis. Ius docuit apud Bituriges, tanta nominis fama & exiſtimatione, vt ad eum audiendum plures diſcipuli, ex longinquis etiam regionibus, concurrerent. Floruit anno ſalutis humanæ 1542. eodem, quo Alciatus, tempore. Scripſit de diuiduis & indiuiduis obligationibus, ſeu ſtipulationibus: de ſeruitutibus. In Pandectas & inſtitutiones commẽtaria edidit. Item quęſtiones de iuriſdictione: ad Digeſta ſeu Pandectas manualium libros ſeptem.

ANDREAS Alciatus Mediolanenſis Iuriſconſultus clariſſimus, quanto ingenij acumine, quantáque ſcientia & eruditione valuerit, non opus eſt hic pluribus aperire. Fuit valde acutus & ſubtilis in ſcribẽdo, pręcipuè verò in ſuis emblematibus, quæ varias picturas circiter centum, tanquàm hieroglyphica continẽt, quorum ſignificationem, quæ ſingulas ſequũtur elegiaca epigrammata, argute explicant. Compoſuit infinitos propè libros, partim de legibus, partim aliis de rebus, quæ ad humaniores literas ſpectare videntur. Edidit libellum de ponderibus & menſuris: hiſtoriæ encomium: in P. Corneliũ Tacitum caſtigationes, ac difficilium aliquot locorũ expoſitiones. Orationem compoſuit in laudem iuris Ciuilis, & alia plurima ſcripſit. Exceſſit è vita anno à reparata ſalute humana 1550.





ANDREAS Tiraquellus Iuriſconſultus celeberrimus & regius in curia Pariſienſi Senator, iure omnium ſuorum æqualium doctiſsimus erat exiſtimatus. Laboris ingentis admodum patiens, ſcripſit & doctiſsimè quidem eſt interpretatus plures nobiliſsimos titulos iuris. Inter alia, ſcripſit ſuper tit. de legibus connubialibus & iure maritali, magnum volumen inſcriptum, de vtroque Retractu municipali & conuentionali, opus maximi pretij & momenti: de reuocandis donationibus, in l. *Si vnquam*, Item de nobilitate & iure primogeniorum, commentarios, & plures alios admirabiles iuris tractatus. Quod ad literas humaniores attinet, Dierum Genialium Alexandri ab Alexandro Iuriſperiti Neapolitani, libros ſex diligentiſsimè commentatus eſt, & commentationes ſuas in eumdem, Semeſtria appellat: opus ingens & valde vtile quod quidem eſt præ manibus Gulielmi Rouillij, qui breui illud in lucem miſſurus eſt, vt ſtudioſi hoc theſauro diutius abdito, huius opera, potiantur. Obiit Lutetiæ, die 23. Decembris, anno ſalutis 1556.

PETRVS Rebuffus celeberrimus iuriũ doctor & Comes, memoriã ſuã ita nobis cõmendauit, vt nemo non eius nomen ſumma cũ laude celebret. Natus eſt circiter annũ Domini 1500. in loco, de Ballanicis, nõ procul à Mõtepeſſulo, ex clara familia. Docuit celebriter in ciuitate Pictauenſi, & Poſtea Lutetię profeſſus eſt ius canonicum, à Senatu ſupremo ferè coactus circiter annũ 1533. & ab hinc in ſupremo illo ſenatu cauſas forẽſes quãdiu vixit, cũ docendo, tũ ſcribendo & cõſulendo exercuit. Fuit mitis, caſtus, ſobrius, pauperum amator, fidei Catholicę religioſiſſimus obſeruator, ita ſtudiis addictus vt ſexagenarius literas Hebraicas & Græcas ediſcere voluerit. Scripſit multa egregia opera in ius ciuile & canonicũ: quæ quia ſunt infinita, hæc pagina capere non poteſt. Obiit febre correptus die 2. Nouẽb. 1557.





MARIANVS Socinus Senensis Iunior celeberrimus iuris professor, quanto ingenio quantáque doctrina emicuerit, testantur tot eius non minus elegãtia quàm grauia scripta. Docuit Pisis, Senis, deinde Pataulj annos quã plurimos: postremò Bononiam euocatus, ibi summa cùm laude semper est professus, in magna auditorum frequentia. Claruit anno Christi 1566. Scripsit tria magna consiliorum volumina. Commentaria quæ in celebrioribus Italiæ gymnasiis vulgò leguntur, & alia plurima, quorum elenchum potes videre in Bibliotheca Gesneri.

HIERONYMVS Cagnolus patritius Vercellẽsis eques & Iurisconsultus clarissimus, illustrissimi Ducis Sabaudię Senator, ac professor Iuris Cęsarei Patauij: de re literaria optimè meruit, vtpote qui ad promouenda studia legum, multa memoriæ tradiderit scriptisque mandauerit, vnde non mediocrem honorem est adeptus. Scripsit de Origine Iuris. Item copiosam & subtilem interpretationẽ omnium legum tituli ff. de reg. iuris. Floruit circiter annum salutis 1540. Omnia eius opera in tres tomos distributa impressa sunt Lugduni 1569. in folio.







THEOPHRASTVS Paracelsus Heluetius nouæ medicinæ author, Hippocratis, Galeni & Auicennæ institutis omnino contrariæ, maximos labores pertulit, vt humano generi prodesset: maximè verò Leprosis, podagricis, pestis tetræ contagione affectis, Hydropicis & omnibus aliis, quorum morbis, Galeni sectatoribus, quos Barbaros vocat, succurrere difficile existimat. Docuit Basileæ magno stipendio inuitatus, libros, quorum ipse autor fuit. Dicitur fuisse, animi integritate, pietatéque in egenos nulli secundus. Vixit annos XLVIII. Anno Domini M. D. XLI. die XXIIII. Septēbris vitam cum morte mutauit: sepultus est Salisburgę in Nosocomio ad S. Sebastianum, cuius lapidi, multa de eo pręclara epitaphia conspiciūtur.

IACOBVS Hollerius Stempanus Medicus, vir magnus, & suæ, id est Hippocraticę artis ac doctrinę peritissimus, scripsit multa, maxime verò est interpretatus & cōmētatus magni Hippocratis coacca præsagia, opus planè diuinū, & veræ medicinæ tanquam thesaurus, multum tēporis consumpsit in isto immenso labore, multásque lucubrationes reliquit, viginti plusquam annis iam exactis: sed mors immatura eius vitæ simul & laboribus finē imposuit. Vnde opus fuit vt Desiderius Iacotius Vandoperanus (adiectis, suo marte, libris 13. ad idem opus commentariis, tribus sectionibus distinctis ne nimis obscurum prodiret) illud perficeret, cùm multa essent perturbata & lituris deformata: multa imperfecta. Id autem fuit diligēter & accuratè excusum Lugduni à Gulielmo Rouillio, anno 1573. Florebat autem Lutetiæ anno 1550.





IOANNES Fernelius Ambianus Medicus præſtantiſſimus, nullũ non lapidem mouit, vt rem medicam magis ac magis illuſtraret atque promoueret, tot aliorum exemplo, qui in medicina & docenda & elucidanda ſemper ſudarunt. Scripſit, inter alia, de abditis rerum cauſis lib. duos: Medicinam ad Henricum 2. Galliarũ Regem: Coſmotheoriæ libros duos, impreſſos Pariſiis apud Colinæum: de naturali parte medicinæ libros ſeptem: de vacuandi ratione, vnum. In eius Medicina cõtinentur Phyſiologię libri ſeptem, de elementis, de temperamẽtis, de ſpiritibus & innato calido, de animę facultatibus, de functionibus & humoribus, de hominis procreatione atque de ſemine Pathologię libri ſex: Item Therapẽtices vniuerſalis, ſeu de medendi ratione libri ſeptem. Floruit anno ſalutis 1547.

IACOBVS Siluius Medicus etiã inter alios celebris fuit: in quem multa beneficia collata fuere à Stephano Poncherio Baionenſi Epiſcopo, tum integerrimo, tum doctiſſimo, vt ipſe teſtatur in ea epiſtola, qua eius Præſulis dignitati dedicauit Ioannis Meſuæ medici præſtantiſſimi interpretationem: opus equidem arduum & antè impeditum, nunc autem eius cura atque ſumma diligentia expeditum atque expolitum, vt iam doctis nõ placere modo, ſed etiam prodeſſe poſſit plurimũ. Vnde, quam noſter Syluius laudem meruit ex eo facilè eſt perſpicere, quòd difficillimum ſit rebus longa & obſcura caligine merſis, & velut illuuie ſordida obſitis, dare aut verius reddere ſplendorem. Maxima ei cum Manardo ætatis ſuæ medico etiam doctiſſimo interceſſit familiaritas, qui quidem ipſius etiam Meſuę obſcuram & ſordidam verſionem potius quam Meſuen, emaculare alicubi & clariorem reddere tentauit. Huius Siluij præceptor fuit in re medica Ioannes Tagaultius vndequaque abſolutus. Floruit anno reparatæ ſalutis humanæ 1557.





HIERONYMVS Cardanus, Medicus Mediolanensis subtilissimus, multa scripsit tam acute & diligēter, vt meritò ab omnibus literatis, ob eius summum ingenium exactámque plurimarum rerũ cognitionem, passim existimetur. Scripsit Arithmeticam absolutissimam: Practicam Arithmeticæ & mēsurandi singularem, Artis magnæ, siue de regulis algebraicis, librum vnũ, qui & totius operis de Arithmetica, quod opus perfectum inscripsit, est in ordine, decimus: de Sapientia libros quinque: de consolatione libros tres, ab authore recognitos: de immortalitate animæ, librũ excusum à Gryphio, Lugduni anno Domini 1545. in 8. chartis 20. Contradicentium medicorũ librum, continentem contradictiones 1 0 8 1. de malo recentium medicorum medendi vsu, libellum, 1 0 0. errores illorum, continentem: & infinitos alios, quos hæc pagina non potest capere. Floruit anno salutis 1544.

IVLIVS Cæsar Scaliger, Iosephi Scaligeri frater, vir magni nominis hîc laudandus venit, qui de causis linguę Latinę 13. lib. scripsit: de comicis dimensionibus: commētarios in Hippocratis librum de somniis, adiecto etiam textu ab eodem conuerso: commentarios in libros duos, qui inscribuntur de plantis, Aristotele autore: plurima acutè & solidè confutauit ab Hieronymo Cardano scripta, in libris de subtilitate: composuit de Poëtica libros sex, varia eruditione refertos: commētarios in Theophrasti libros de plantis: veræ Alchimiæ artísque metallicæ citra ænigmata doctrinam certúmque modũ scripsit: de sapientia & beatitudine libros 8. quos Epidormides inscripsit: vnde & plurimis aliis frugiferis commentationibus magnam gloriam est assecutus. Floruit tempore Cardani.





PETRVS Andreas Matthiolus Senẽſis Medicus præſtã-tiſſimus, ſtudioſis inſeruire cupiens, ſcripſit de morbi Gallici curatione librum, per dialogũ digeſtũ, inter ſe & Franciſcum Aligerum: Commentarios longè doctiſſimos in libros ſex Dioſcoridis, de medica materia, qui ſæpius Italicè editi, poſtremò ab ipſo authore in Latinam linguã tranſlati ſunt. Adiectæ ſunt innumeræ plantarum & animalium imagines ad viuum expreſſæ. Et quia in tanto opere nihil quicquam deeſt quod ad delectationem & maximam non medicorum tantùm & Pharmacopœorum vtilitatem faciat, quæ duo, ſcripta quæuis reddunt abſolutiora & digna quæ in manus hominum doctorum & ingenioſorum deueniant, Gulielmus Rouillius curauit, vt tàm neceſſarium opus, viri doctiſſimi opera, in linguam Gallicam conuerteretur, eorum gratia qui Latinam ignorant. Hic plura alia literis mandauit quæ breuitatis cauſa prętermittenda cenſui. Floruit anno 1536.

DONATVS Antonius ab Altomari Philoſophus & medicus Neapolitanus, doctiſſimus plura ſcripſit opuſcula, quæ ſparſa, fuſa & mendis referta, in vnum cogenda & limatius imprimenda curauit: quod ſe feciſſe profitetur, non vt eius opera eſſent pręclara, vt ipſe inquit, ingenij ſui monimẽta, ſed vt amicorum petitioni ſatisfaceret, & fructus extarent ocij pomeridiani ad Gal. ſemper & Hippoc. mentem, ex eius inſtituto. Adiecit nouiſſimè ſuis operibus, vir ſtudioſiſſimus tractatum de venę ſectione in vtero gerẽtibus ad mentem Senis & Galeni lucidatum, atque recognitum. Demum de latitudine ſanitatis opuſculum: quibus vniuerſa artis medicæ dubia à confuſoribus ducta facillimè eluuntur. Floruit anno 1547.





ANDREAS Vesalius, Bruxellensis vir clarus, de re anatomica, & humani corporis fabrica, adiectis figuris, elegantissimè scripsit, cuius scripta medicis sunt in magno precio, vtpote quæ ad medicinæ perfectam cognitionem & praxim, necessaria esse dubium non sit. Scripsit paraphrasim in 9. librum Rasis ad regem Almãsorem, De affectuum singularum corporis partium curatione. Item Epistolam, qua docet venam axillarem dextri cubiti, in dolore laterali secandam: aliam, qua rationem docet propinandi radicis Chynæ decocti, & tractat anatomica multa, quãuis titulus non promittat. Emendauit etiã translationẽ anatomicorũ aliquot Galeni librorũ, qui cũ cæteris Galeni operibus excusi sunt Venetiis apus Iuntas. Floruit anno 1540.

IOANNES Argenterius, Castellonouensis, Medicus clarissimus, Pisis rem medicam professus est: scripsit multa ad medicinæ perfectã notitiam spectantia. Quocirca censuimus eum inter viros egregios numerandum, eiúsque imaginem studiosis promendã, vt ne huic tanto viro & de literis benè merito, suus aliqua ex parte honos deesset, qui tamen ex eius ipsius scriptis satis superque laudatur. Scripsit de consultationibus medicis, siue de collegiandi ratione librum: item de erroribus veterum medicorum, librum: præterea de somno & putrefactione contra Aristotelem, libellos nondum editos, vt existimo, Glossemata in Aphorismos Hippocratis: Commentarios tres in artem medicinalem Galeni: De somno & vigilia, de spiritibus & calido natiuo, libros duos, in quibus multæ veterum scriptorum ac recentium sententiæ expenduntur. Claruit anno reparatæ salutis humanæ 1550.





GVLIELMVS Rondeletius, Doctor medicus, & medicinæ in ſchola Monſpelienſi, profeſſor Regius, & Cancellarius magnam eſt adeptus nominis exiſtimationem in docēdo. Scripſit de piſcibus marinis plures libros, in quibus veræ piſcium imagines expreſſæ conſpiciuntur: ita ſtudioſus viſus eſt rei medicæ, etiam calamitoſis temporibus, propagandæ. Non potuit autem, morte præuentus, Methodum ſuam curandorum omnium corporis morborum, prælo mandare, vt alia perutilia opera: ſed factum eſt doctorum medicorum cura, vt ad fideliorem quàm fieri potuit exemplaris typum eadem Methodus excuderetur: quanquam pluribus in locis, non ſolum autoris ſui iam defuncti, ſed & diligentiſſimi emēdatoris egeret cenſura. Deus enim omnia in omnes diuidit, alter vt ope alterius indigeat. Acceſſit igitur ante huius editionem, diligens opera & accurata prælectio docti cuiuſdam Medici (Rondeletij olim perfamiliaris) qui exemplar à ſe emendatum, cúmque optimis exemplaribus collatum Gulielmo Rouillio diligentiſſimo typographo dedit excudendum. Hic fertur nunquam bibiſſe vinum. Floruit autem anno 1550.

HIPPOLITVS Saluianus Typhernas Medicus Romanus, iure inter doctos cenſendus, qui librum ſcripſit de Aquatilibus cum iconibus ſeu figuris centum, ęri elegāter inſculptis. Impreſſus eſt autem hic liber Romę, in authoris ædibus, 1557. in filio magnæ chartæ. Floruit anno 1550.





MARCELLVS secundus Iunior Politianensis Tuſcus, Marcellus Ceruinus Ricardi filius, ex epiſcopo Neocaſtrenſi præsbyter Cardinalis, tt. Sãctæ Crucis in Hieruſalẽ à Paulo tertio factus, Carolo v. Auguſto, ſedit in Pontificatu, dies 21. Natus in oppido agri Piceni Montis Fani pridie Nonas Maij, anno 1501. creatus Romæ, v. Idus Aprilis, 1555. hora 24. à triginta ſex Cardinalibus. Poſtridie coronatus. Obiit die Mercurij Kal. Maij, inter ſeptimam & octauam horam noctis pręcedentis. Vixit annos quinquaginta quatuor, menſes vndecim, dies viginti quinque: ſepultus eſt ad Sanctum Petrũ: vacauítque ſedes eo mortuo, dies 22. Fuit autem ducenteſimus vigeſimus ſeptimus Pontifex. Vide Platinam, in eius vita.

PAVLVS IIII. Neapolitanus, Ioannes Petrus Carafa, Ioannis Alfonſi Matalunæ comitis filius, archiepiſcopus Neapolitanus, ex presbytero tt. Sancti Clementis, presbyter tt. Sanctæ Mariæ Tranſtiberim, Epiſcopus Cardinalis Albanus, & Sabinus à Paulo tertio factus, Tuſculanus & Oſtienſis, à Iulio III. Decanus, Imperatorib. Cæſare Carolo v. & Ferdinando Aug. ſedit in pontificatu, annos 4. menſes 2. dies 27. Natus eſt in oppido ſancti Angeli de ſcala, IIII. Kal. Iulij, anno 1476. in Hirpinis, haud procul à Beneuento. Creatus Romæ, authore Farneſio Cardinale, à XLIIII. Cardinalibus, die Iouis feſto Aſcẽſionis x. Kal. Iunij, anno 1555. hora XVI. Coronatus ad ſanctum Petrum die dominico proximo VII. Kal. Iunij. Ordinationibus tribus, menſibus Iunio, & Decembri, factis. Cardinales creauit XIX. presbyteros XX. & diaconos IIII. Obiit Romæ, die Veneris, XV. kal. Septembris, hora inter XXI. & XXII. anno 1559. vixit annos XXCIII. menſem vnum & dies XXII. ſepultus ad ſanctũ Petrum, poſtea ad Mineruam tranſlatus. Vacauit eo mortuo Romana ſedes, menſes 4. & 7. dies. Fuit Pontifex numero 228. Vide Platinam.





STANISLAVS Hosius, Cardinalis Polonus, Episcopus Vuarmensis, legatus Romani Pontificis, & Præses in Concilio Tridentino, vir doctissimus, & fidei catholicæ accerrimus propugnato r Scripsit Confessionẽ fidei sæpius impressam & ab auctore nunc demũ ita auctã, vt nouũ opus videri possit. Hæc est tanti momenti, vt etiã è Latino in Gallicũ idioma conuersa sit nuperrime à Ioanne de Lauardin. Scripsit præterea de expresso Dei verbo: Dialogum num calicẽ laicis, & vxores sacerdotibus permitti fas sit: & plura alia. Viuit adhuc Romæ, cum supradicto Azpilcueta.

MARTINVS ab Azpilcueta doctor Nauarrus, insignis & literarũ cognitione præstãs, pietatis obseruãtissimus, & iuris Põtificij cõsultissimus, ita vt in prælegẽdo & interpretando eo iure in celebri Academia Corymbricensi, primũ locũ obtinuerit, laudis alienæ minime cupidus: cũ dicat in quadam epistola, huius vsurpationem esse veluti notã furti, vt ait Iurisconf. *in l. hæreditatum. §. fin. ff. ad l. falc.* Is iam octogenarius, magno studio & labore proprio, versioni sui Enchiridij siue Manualis Cõfessariorũ & Pœnitentiũ, incubuit: cùm multi pro sua in Deũ & rẽpublicã pietate, & in authorẽ beneuolentia, Latinè, Hispanéque callẽtes, sacræque Theologiæ & vtriusque iuris professores id præstare vellent, bonãque iam partẽ prestitissent: verũ id non fecit gloriæ causa, sed vt pleniùs satisfaceret Reip. Christianæ, & quã plurimis vtriusque Hesperiæ viris, erudita pietate claris, auctoritate Pontificia Reuerẽdiss. imo & Cardinalitia dignitate illustriss. ad id eũ vehementer exortãtibus. Scripsit tractatum de redditibus beneficiorũ, super ca. *Quicquid* 16. *q.* 1. quo docetur quibus vsibus sint impẽdẽdi, & quibus personis dãdi aut relinquẽdi: de finibus humanorũ actuũ, tractatũ: & plures alios libros ex quibus vir dignitate clarus non mediocrẽ laudem meretur.





FRANCISCVS Duarenus Iurisconsultus clarissimus, quē hæc nostra ætas proximè habuit, quandiu orbis diuina stabit prouidentia, celebrabitur. Quantū enim coluerit Iuris prudentiā, eiúsque studia promouerit, testantur tot eius grauissimi viri opera, quæ omnia edita sunt Lugduni apud Gulielmū Rouilliū, qui hoc præstantissimū opus Iconū concinnè & verè, & Laconica breuitate confectū, elegantibus (vt solet omnia) typis excudendū curauit. Docuit in celebri Biturigū Academia, tótque discipulos habuit, vt omniū tunc tēporis Iuris professorum facilè princeps haberetur. Scripsit de in litē iurādo, iudiciísqne bonę fidei & arbitrariis cōmētariū. His adiicitur Decretū quod dā senatus Biturigū: scripsit Epistolā de docendi discendíque iuris ratione: Apologiā de iurisdictione & imperio: libros octo de ministeriis ecclesiæ & beneficiis: super 1. & 2. ff. veteris: super 1. & 2. Infortiati: super 1. ff. noui: super 1. Cod. & plura alia. Eius opera omnia auctiora edita sunt Lugduni apud Gulielmū Rouillium. Claruit anno 1555.

FRANCISCVS Balduinus Iurisconsultus nobilis non parū luminis & ornamenti huic nostrę ætati attulit, ius per tot annos, tanta cū laude professus in omnibus fermè Galliæ celeberrimis Academiis, maximè vero in illa percelebri Andegauensium, in qua ad eū tanquā ad sacrū Apollinis oraculū, vidi plures cōcurrere, vt iuris difficilioris nodos solueret, dubia elucidaret, & secreta panderet atque summa facilitate reseraret. Habuit is memoriā admodū fœlicē, fuítque in dicēdo grauissimus atque eloquentissimus. Tandē post multos exantlatos labores in docēdo iure, cū Lutetiā euocatus esset à Carolo Nono Galliarū Rege, vt Poloniæ legatis responderet, qui in Galliā venerant, inuictissimū Henricū Regis fratrē, nunc Regē nostrum Christianissimū nominaturi qui Polonis imperaret, cūque munus suū, cū maximo honore obiisset, fatis cessit anno à Mundi salute, 1573. Florebat anno 1560.





PETRVM Victoriũ inter viros præcipuos & eruditos non infimũ locũ tenere, omnibus eruditis cõſtat ex diuerſis eius ſcriptis, quibus eloquentiã maximè coluit. Ciceronis libros caſtigauit, & adiecit explicationes caſtigationũ. Denique hoc vnũ curauit vir diſertus & in omni literarumgenere verſatus, vt ſui nominis memoria, nulla vnquã ætate, intercideret. Scripſit annotationes in Catonem, Varronem, Columellam: Cõmentaria in libros tres Ariſtotelis, de arte dicendi: variarũ lectionũ libros viginti quinque ad vtriúſq; linguæ illuſtrationẽ vtiliſſimos pariter iucundiſſimóſque: orationẽ ad Iuliũ III. Põtificem Romanũ habitã & excuſam Florentiæ. Correxit Politica Ariſtotelis: ſcripſit etiã alios variarũ lectionũ libros 4. & plura alia. Hodie viuit & Florentię habitat, à Duce valdè amatus, propter eius ſummam doctrinam.

MARCVS Antonius Muretus Lemouix, eloquentiſſimorũ noſtræ ætatis hominũ numero iure adſcribẽdus eſt, cui pura, nitida & elegans oratio, ęternam nominis gloriã peperit, pręter eius multiplicem eruditionem, qua Terentiũ locis propè innumerabilibus emendauit, ac argumenta in ſingulas comœdias & annotationes addidit, quibus tum correctionũ magna ex parte ratio redditur, tũ loci obſcuriores explicantur. Scripſit etiã annotationes in Horatiũ, Catullum, Tibullũ, Propertium, Philippicas Ciceronis, & in Catilinã, orationes, multáque alia ad promouenda ſtudia literarum. Huius extant Iuuenilia Lutetiæ excuſa: oratio de ſtudij Theologici præſtantia: annotationes in Andriam & Eunuchum Terentij. Quintus Ethicorum Ariſtotelis, ab eo verſus & annotationibus illuſtratus, & plurima alia. Viuit hodie & Romæ habitat maximè conſpicuus.






FRANCISCVS Valeriola, præſtãtiſſimus huiuſce ætatis medicus, magnam eſt adeptus nominis exiſtimationem, & artis peritia & Philoſophię totius cognitione. Parua ſtatura fuit, ſed maximo ingenio, vt teſtantur eruditiſſima eius ſcripta: quorũ extant in lib. Galeni de conſtitutione artis medicæ Cõmentarij. Enarrationes medicinales. Loci communes medicinæ, in tres libros digeſti. Obſeruationes medicinales lib. 6. Quæ omnia excuſa ſunt Lugduni apud Gryphium. Docuit Auguſtæ Taurinorum euocatus ab Emanuele Philiberto clariſſimo Sabaudiæ duce, vbi tandem poſtquam, ſtipendiis ſatis magnis, per multos annos, tanta cum celebritate, ius profeſſus eſt, fatis ceſſit nouiſſimis annis.

IACOBVS Dalechampius, Cadomenſis, Medicus clariſſimus, multis abhinc annis, Lugduni rem medicã exercet, tãta eius nominis fama & Reipublicæ Lugdunenſis vtilitate, vt omnes æquales ſuos doctrinæ præſtantia & artis experientia longè ſuperet. Sed quid tantùm dicã eũ populi Lugdunenſis ſalutem diuinis remediis tam celebriter curare, cuius nomen clariſſimũ nõ ſolũ vniuerſam Galliã, ſed plures alias regiones peruagatur, propter eius multiplicem eruditionẽ, & in medendo non dico ſolùm præſtantiam, ſed & facilitatẽ atque ſummã fœlicitatem? Multis profuit olim docendo, multis profuit ſcribendo: at pluribus propediem eſt profuturus diuinis eius cõmentationibus, & ſtupenda illa Athænei Græci Latina tranſlatione, quam ſeſe breui euulgaturum & prælis cõmiſſurũ audio eum promiſiſſe. Docuit, antequam Lugdunum ſeſe reciperet, pluribus in Academiis, magna cũ laude: tranſtulit è Græco in Gallicũ ſermonẽ librũ Galeni de vſu partiũ, in Latinũ verò, Theophraſtũ: reſtaurauítque Pliniũ. Vnde non minorẽ certè laudẽ, vt mihi videtur, quàm ex medicinæ praxi meretur. Scripſit quoque de peſte, & chirurgia libros aliquot vtiles & perneceſſarios.





PIVS Quartus Mediolanensis, Ioãnes Angelus Medices, Bernardini filius, ex presbytero Cardinale tt. Sanctæ Pudentianæ, presbyter tt. Sancti Stephani in mõte Cælio, post tt. Sanctæ Anastasiæ, post tt. Sãctę Priscę, à Paulo tertio factus, Imperatore Cæsare Ferdinando Austrio Augusto, & Maximiliano secundo Cæsare, sedit in Põtificatu, annos quinque, menses vndecim, & dies quindecim. Natus est die Paschę, pridie Kalendas Aprilis, anno 1499. Mediolani. Creatus Romæ à XLIII. Cardinalibus, VII. Kalend. Ianuarij, die Martis nocte præcedenti, hora inter septimã & octauã prope finito anno 1559. Coronatus die Sabbato proximo Epiphaniæ festo, VIII. Idus Ianuarij, anno 1560. Ordinationibus quatuor, mẽsibus Ianuario & Martio, habitis. Cardinales creauit XLVI. presbyteros XXXIX. & diaconos VII. Obiit noctu, ante diem quartum Iduũ Decẽbris, hora secunda: anno, 1565. ætatis 66. Vacauit, eo mortuo, sedes, dies viginti nouem. Sub eo Pontifice, Concilium Tridentinum XXV. sessionibus habitis, fuit absolutum & confirmatum. Fuit Pontifex numero 228. Vide Platinam.

PIVS V. Alexãdrinus, Frater Michaël Gislerius ex oppido Boschi, Alexãdrinæ diœcesis, Lombardus Insuber, ordinis prędicatorũ, lector officij, sanctæ inquisitionis cõmissarius, ex Episcopo Sutrino, & Nepesino presbyter Cardinalis tt. Sanctæ Mariæ super Mineruam & summus inquisitor à Paulo IIII. Papa factus, postea Episcopus Montis Regalis in Subalpinis & tt. S. Sabinæ, demum iterum tt. S. Mariæ super Mineruam à Pio IIII. creatus, Imperatore Cæsare Maximiliano secundo Austrio Augusto, sedit in pontificatu, annos 6. menses 3. dies 16. Natus XVI. Kal. Februarij, anno 1505. creatus Romæ à lij. Cardinalibus, VII. Idus Ianuarij hora 22. die Lunæ. Coronatus die natalitio suo, XVI. Calend. Ianuarij, in festo S. Antonij, ineunte anno eius vitæ LXII. super gradus ante basilicam Vaticanam ab Vrbinate Cardinale. Vide Platinam.





PHILIPPVS Hiſpaniæ Rex Catholicus,quot quãtíſque regiis virtutibus ornatus ſit, indicant ea omnia quæ ad hãc vſque diem præclarè egerit,quemadmodum vnuſquiſque ex hiſtoria rerũ ab eo geſtarum perſpicere poterit. Iuſtitiam ſemper coluit & fidei Catholicæ ſuper omnes alios reges fuit accerrimus defenſor,talémque adhuc in dies, magis ac magis ſeſe profitetur:cùm tot præliis aduerſus Imperatorem Turcarũ, Chriſtianæ religionis hoſtem teterrimũ,dimicauerit:eáque de cauſa vt omnes de fide ortodoxa ſentiãt quæ par eſt ſentire,omnibus chriſtianis in religione conſtantibus & nouarum rerum minimè cupidis,inquiſitores inſtituit,qui populum ſuæ ditioni ſubiectum omnéſque alios in Hiſpania, etiam ad tempus commorantes,in religionis catholicæ cultu & obſeruatione, perpetuò contineant:multum enim intereſſe ad Regni gubernationem exiſtimat,ſi populus ab Eccleſię ſanctę amplexu & gremio non diſcedat, & vt regia edicta, ſic diuina obſeruet. Plures hic duxit vxores,quæ fatis ceſſere : nunc autem matrimonio ſibi iunxit Annam Maximiliani 2. Imperatoris nouiſſimè defuncti filiam, ex qua plures liberos ſuſcepit.

ANNA Philippi Regis Hiſpaniæ vxor quarta, Maximiliani ſecundi Romanorum Imperatoris filia, ea pulchritudine eſt, à qua tamen grauitas non abſit, ea prudentiã, quæ vtramque adæquet:benignitate & humanitate tãta, quantam in principe fœmina quiſquam viderit, iis denique virtutibus ornata, quibus maiorum claritati egregiè reſpondeat.





MARIA Regis Hiſpaniæ Philippi vxor prima, Ioãnis Regis Portugaliæ filia, aſpectu, ad beneuolentiam conciliandam apto, graui acutóque ſermone, in omni actione mirè prudens, intra paucos annos, confecto vitæ curſu, ad æternas ſedes, id eſt ad capiendum virtutis & innocentiæ ſuæ fructum, euolauit.

MARIA, Regis Hiſpaniæ Philippi vxor ſecunda, Henrici VIII. Angliæ Regis filia, miram prudentiam, & ſeueritatem in omni vita perſecuta, cúmque magni motus in Regno excitarẽtur, virili animo perduelles extinxit, quanquam inter ſacras virgines educata, animo his cogitationibus exculto, nullam gerendi belli partem nouiſſet, ſed nimirum defendenti catholicam religionem, Regiámque maieſtatem, Deus ipſe malorum vltor affuit, Regnúmque in ſumma obedientia conſeruauit.



ISABELLA Regis Hiſpaniæ Philippi vxor tertia, Hẽrici ſecundi Galliæ Regis filia, læta facie, ſic, vt iucunditatẽ intuẽtibus afferret, dignitate tamen ea quę Reginam deceat: quamdiu vixit, ſumma & beneuolentia & obſeruãtia apud omnes adepta, multis naturæ, fortunę, animíque bonis inſtructa, vim tamen fortunę vitare non potuit. Patrem amiſit, immatura morte ereptum: nec multo pòſt, edito immaturi temporis infante, incredibili & Philippi Regis & omnium dolore deceſſit.





PHILIBERTVS Emanuel Dux Sabaudiæ & princeps Pedemõtanus,amiſſo eius dominio,quod Rex Gallorum Henricus 2. obtinebat, diutiſſimè pro Carolo quinto Imperatore, aduerſus ipſum Henricum dimicauit.Quid is egerit,præfectus Imperatoris exercitui,in obſidione Heſdini, ſatis notum eſt ex hiſtoria bellorum quæ inter hos duos potentiſſimos principes, totius propè orbis detrimento,geſta ſunt. Huius pater Carolus Dux Sabaudiæ, propriis ſedibus & toto ſuo dominio expulſus, mortuus eſt anno ſalutis 1553. éſtque ſepultus Vercelliis. Poſt eius obitum Imperator Carolus dedit Philiberto Emanueli,paterna hęreditate deſtituto,Comitatum Aſtenſem,vt eo potiretur donec ſuam hæreditatem recuperaſſet, quę illi poſtea fuit reſtituta omnino à Rege, qui etiã dedit illi nuptui ſororẽ ſuam vnicam Margaretam,Franciſci 1. Francorum regis filiam, quæ paulo poſt Henrici tertij è Polonia reditum in Galliam, fatis ceſſit,magno omniũ luctu,& præcipuè Ducis qui celebrẽ illam Auguſtę Taurinorũ Academiã,in ſtudioſorum vſum inſtituit.

MARGARETA Valeſia,Heroinarũ omnium quotquot fuerunt longè illuſtriſſima,pietate ac in omnes literatos homines præcipuè Gallos humanitate ac liberalitate valde inſignis, Chriſtianiſſimi & inuictiſſimi illius Henrici ſecundi ſoror vnica,Philiberto Emanueli glorioſiſſimo Sabaudię principi,nupſit eodem tempore quo Elizabetha Francię filia natu maior,collocata eſt in matrimonium Philippo regi Hiſpaniæ, quorum Hymenæorum ratione, pax ſancita & confirmata fuit inter Imperatorem,Regem Hiſpaniæ,& Chriſtianiſſimum Francorum regem Henricum. Hæc ſanè digna eſt, propter eius virtutes infinitas,quę omni ęuo,omniũ ſcriptis cumulatiſſimè celebretur.





FERDINANDVS Aluarez à Toledo Albæ Dux præstantissimus & multarũ rerum experientia, omniũ qui in Hispania fuerunt magnorum virorũ maximus, à Rege catholico semper amatus fuit: & cum res Belgicæ malè sese haberẽt, & Belgę, Margaretę Parmę & Placentię duci illustrissimę nollent obtemperare, quę apud eos Gubernatrix erat constituta, ab eodẽ missus est, cum exercitu: vt magnę calamitati iamiam ingruẽti aliquod remediũ adferret, vir prudens & ætate prouectior quàm opus esset ad populum ferocem gubernandum. Hunc tamen cùm armis domuisset, statua quæ eius ipsius imaginem referebat, in arce Antuerpiana erecta est, cum his literis lapidi infernè incisis, F. A. A. T. A. D. PH. II. H. A. B. P. Q. E. S. R. P. R. P. I. C. P. P. F. R. O. M. F. P. quarum hæc est significatio, *Ferdinando Aluarez à Toledo Albæ duci Philippi* II. *Hispaniarum apud Belgas præfecto, quod extincta seditione, rebellibus pulsis, religione procurata, iustitia culta, prouinciæ pacem firmarit, regis optimi ministro fidelissimo positum.* Cùm tamen in patriam reuersus esset, à rege euocatus, multa bella subsecuta sunt.

IOANNES Dux Moscouiæ, tanta præstantia & animi magnitudine suis subditis semper imperauit, támque humaniter reipublicę gubernaculis pręfuit, vt eum sanè dignum existimauerimus, qui inter pręstantissimos principes hîc referretur, cuiúsque vera effigies, & ad viuum expressa prõptuario nostro Iconum misceretur & cuiuis proponeretur, vt aliquid honoris, nostra opera, percipiat apud exteras gentes, quæ eius nomen & gloriam perpetuam ignorant. Hic persępè & quasi perpetuò bellum gerit aduersus Saromatas, aut Sarmatas, quòd populi sint Moschis quos vulgò *Moschouites* vocant admodum finitui, vt meminit Lucanus libros 3.

-Sæuisque affinis Sarmata Moschis.





FRANCISCVS, huius nominis ſecūdus, Rex Francorū, ætatis ſuę annū decimū ſextū non excedens, patri inuictiſſimo Hērico ſucceſſit, anno ſalutis 1559. Viuente patre, Mariā Stuart, defuncti Regis Scotorū filiam, vxorem duxit: cuius matrimonij ratione fuit etiam Rex Scotiæ. Decimo octauo die Septembris 1559. fuit ſacratus, in ſolita vrbe, Rhemorum à Cardinale Lotharingiæ, eiuſdem archiepiſcopo. Hinc comitatus ſororem ſuam, Lotharingiæ ducis vxorē, vſque ad Barleducū, Ambaſiā ſeſe recepit, iuxta quam conuenêrunt quidam cum armis (vnde Ambaſię tumultus paulò poſt prodiit) qui dicerent ſe ſupplices ad Regem venire, vt ei quędam ſuper religione & gubernaculo proponerēt: verum, quod armati veniſſent, alij mortis ſupplicio affecti ſunt, alij edicto regio ſedati, receſſerunt. Poſtea, habito apud Fontembelęum conſilio, cùm omnium ordinum, vulgò ſtatuum, conuentum imperaſſet, aliquid ſiniſtri ſuſpicatus, cum armis Aureliam profectus eſt, vbi cùm regni rebus afflictis prouidere iamiam incipere vellet, in morbum incidit, ob catharri in aurem grauiſſimum defluxum, qui illum interemit die 5. Decembris, anno ſalutis 1560. iacétque in vrbe D. Dionyſij, in ſepulcreto auorum.

MARIA Stuart, defuncti Regis Scotię filia, Chriſtianiſſimo Francorum Regi Franciſco ſecundo, nupſit, antequam Regni gubernacula is teneret, ſuperſtite Henrico patre eius inuictiſſimo. Cū hęc eſſet Franciæ Regina, habita eſt ab omnibus omnium formoſiſſima & virtute pręſtantiſſima: verum fortunę iniuriis, poſt regis obitum, in patriam reuerſa, fuit obnoxia, & hodie, ob ſuſpicionem alicuius facinoris, in carcere detinetur.





FRANCISCVS Lotharenus Dux Guisius, princeps omnium virtutũ genere clarus, in bello maximè prę̃stitit, multásque victorias est adeptus. Nam ad Frugum, prope Rentiã ciuitatem quasdam Imperatoris turmas fudit fugauítque anno 1554. mensis Augusti decimo tertio. At Regis locum tenẽs, mira industria & arte militari Caletum vrbem Regię ditioni subiecit, anno 1557. octauo mensis Ianuarij, quam Angli posse expugnari minimè existimabant. Anno 1558. vicesimo tertio mensis Iunij, Thionuillam iamdiu obsessam deditione cepit. Rex Franciscus secundus, in tumultu Ambosiaco, vt eius authores persequeretur, suæ maiestatis Locum tenentem eum constituit, anno 1559. At paulò post cùm Carolus nonus regnaret, eiúsque regni ferè initio, pręlium Druidense cõmissum est tanta huius Ducis prudentia & consilio, vt is victoriam Regi reportarit, anno 1562. 19. mensis Decembris. Anno subsequẽte parata tam insigni victoria cum Aureliam obsessam teneret, à traditore Ioanne Poltrot fuit occisus 24. Februarij, magno Reipublicæ dispendio, & totius Francię luctu acerbissimo.

ANNA d'Est, nobilissima & illustrissima familia orta, patre nempe Hercule generosissimo Duce Ferrariæ, & matre Renata ex stirpe regia Franciæ, digna est quę propter singulares eius virtutes, hîc comitetur magnum illum Franciscum Lotharenum Ducem Guisium, cui primum data est nuptui, peperítque ex ea copula hos nobilissimos & prę̃stantissimos principes Henricum, Carolum & Ludouicum: vnde non minorem laudem meretur, quam ex nobilitate familiæ.





CAROLVS nonus Francorũ Rex ſucceſſit Franciſco ſe-
cũdo fratri, anno Domini,1 5 6 0. Et qui ætatis ſuæ,vndecim an-
norũ numerũ non excedebat,Regina mater regni gubernaculis
pręfuit cũ Antonio Borbonio Rege Nauarræ, maieſtatis Regiæ
ſummũ Locũ tenente:id quod omnibus Francię ordinibus,qui
tunc Aurelię conuenerant pergratũ fuit. Decimo octauo Maij,
1561.Carolus fuit ſacratus,Rhemis à Cardinali Lotharingię Rhe
morũ Archiepiſcopo. Paulo poſt bellũ eſt exortũ. Plures vrbes
captę à nouæ religionis profeſſoribus, quarũ aliquot à Rege re-
cuperatis, Rege Nauarræ in obſidione Rothomagi ad mortem
vulnerato,pugna cõmiſſa, victoribus catholicis:in qua Cõdęus
princeps capitur. Fit pacificationis edictũ 19. Martij,1563. & iũ-
ctis Regis & Condęi copiis,Portus Gracię,quem Angli tenebãt
capitur. Paulò poſt, ortum nouum bellum & pręliũ cõmiſſum,
inter Lutetiã & D. Dionyſiũ, in quo Cõneſtabilis Mõtmoren-
cius ad mortẽ vulneratur. Denuò pax interuenit, quam paulò
poſt ſubſecuti ſunt noui & ingentes tumultus bellorũ, quibus
ſedatis,Pacificationis edicto nouo publicato,xi. Auguſti. 1570.
Rex Meſeriis,Eliſabethã Auſtriã Imperatoris Maximiliani filiã
vxorem ducit,& paulò poſt, fracto denuò pacificationis edicto,
reſpublica Gallica miſerè afflictatur. Rex obiit 3. Iunij, 1 5 7 4.

ELISABETHA Auſtria Imperatoris Maximilia filia,
Carolo nono Frãcorũ Regi nupſit,26. Nouẽbris 1570. i pepe-
rit filiam nomine Mariam Eliſabetham. Fuit ea om s virtutis,
modeſtię,humanitatis & prudentię exemplar:qu us omnibus
accedebat & faciei & totius corporis pulchr dinis ſumma
prętantia.





IACOBVS è Sabaudia, Dux Nemorensis prętantissimus princeps, & rei bellicę laude & maxima sagacitate & prudētia, hostibus Franciæ, multis in locis, ardente bello inter Imperatorem & Regem Francorum, sese fortissimè opposuit. Bellorum ciuilium flammas, quanta potuit diligentia restinguere semper conatus est, effecítque prudentissimè vt Rex Francorum, coniuratorum manus semel effugerit in vrbe vulgo, *Meaux*, vocata Lutetiæ proxima, quæ illum iam iam intercepturæ videbantur. Moderatus est aliquot annos Lugdunensem prouinciam, tāta cum laude, vt meritò tantus princeps ab omnibus non dico tantum eius prouinciæ, sed etiam totius Regni incolis, existimetur. Hic, anno 1566. viduam defuncti Ducis Guisij duxit vxorem, quorū magnificentissimę nuptię celebratæ fuerunt ad sanctum Maurum fossarum prope Lutetiam, quibus etiā Rex interesse voluit.

ANNA d'Est, cuius nobilissimas virtutes superius attigimus, quę illam hoc tēpore reddunt tanquam splendidissimum lumen inter illustrissimas heroïnas: secundò, in matrimonium locata est magnanimo Duci Nemorensi, qui ex ea suscepit filium generosissimum & paternę fortitudinis sectatorem.







MAXIMILIANVS secundus Iunior Austrius Ferdinandi filius, à rege Boëmiæ, Frācfortdiæ Rex Romanorū Cæsarque octauo Kalendas Decembris, 1562. creatus fuit, ibidémque coronatus, regnauit cum patre Ferdinando, per anni spatiū & octo mēsiū: quo tēpore, ordo militiæ S. Stephani Papæ in Insula Iluæ, à Cosmo Medice Florentinorum Duce institutus, à Pio 4. pontifice maximo cōfirmatur, & bella plusquam hostilia in regno Galliarū, ob religionē excitata, Ducis Guisij viri præclarissimi, acerba catholicis cæde, sedantur. Hic tanto amore non solū à suis sed etiā ab omnibus est (non immerito) prosecutus, vt humani generis amor & delitiæ, appellatus sit. Imperauit post patris obitū, annos plures, tanta cum moderatione & iustitia, vt erepti mortem omnes sui ægrè tulerint & defleuerint diù. Huius filia prudentissima Elisabetha collocata est in matrimoniū Carolo nono Francorū Regi, qui filiam ex ea suscepit, quę paulò post eius obitum, & matris apud suos reditum, mortua est.

MARIA Caroli v. filia, Maximiliani II. Romanorum Imperatoris defuncti vxor, Ferdinandi nurus: & Philippi, Hispaniarum Regis soror, ea pignora suis tradidit, quæ summorum, summæque familiæ principum nomina illis renouarent, idque viuens ipsa vidit, quod in maxima fœlicitatis parte omnes locandum putant, filias duas summis orbis terrarum Regibus in matrimonium collocatas. Hæc maxima sunt, quæque nescio an vnquam contigerint: sed maiora illa, quæ ipsi propria sunt, Pietas in Deū, charitas, qua tenuiores assiduè subleuat, & præcipuum studium catholicæ religionis: quæ posteritas non silebit vlla.





SELIMVS huius nominis ſecundus, Turcarum Imperator, poſt mortem Solimani patris ſui, aliquamdiu occultatam in Hungaria, capta Zighet, imperio ſucceſſit Mehemeti Baſſæ induſtria, antequam patris mors patefacta eſſet. Hic Aimanum qui in Arabia rebellauerat, armis compreſſit, bellum Venetis intulit, rupto cum his fœdere, & multis locis in Albania expugnatis, Inſulam Cypriam occupauit anno ſalutis 1571. Tandem commiſſa pugna aduerſus confœderatos, ingētem cladem accepit, claſſe à Chriſtianis victa, ſed paulò poſt, eam reſtituit, fœdere rurſus inito, cum republica Venetorum: & recuperatis in Africa, Aphrodiſio & Guletta à Rege Hiſpaniæ anteà occupatis, mortuus eſt, anno ſalutis 1574. Porrò hæc omnia quæ recenſui, geſta ſunt, dum laſciuus Imperator genio indulgeret, mulieribus & gulæ omnino deditus.

AMVRATH, huius nominis tertius, Selimi filius, creatus eſt Turcarum Imperator, Imperióque potitus, poſt patrem mortuum diebus octo, anno ſalutis humanæ 1574. Immani & barbarogētis Turcicæ more, qui iamdiù inualuit, quinque fratres eius (proh Deûm atque hominũ fidem) interfici iuſſit, vt ſolus ſine vllo metu & ſuſpicione quæ reges plerumque comitari ſolet, imperaret: & vitam ageret pacificam, & omnibus impedimentis, quæ frequenter intellexerat poſſe interuenire inter plures conſortes & in eadem propè fortuna conſtitutos, immunem. Imperium cœpit gubernare iuuenis, annos natus viginti octo: religionis Mahumetanæ imprimis ſtudioſus, eíque vehementer addictus, quem conſtat iuſtitiæ mirum inmodum obſeruantiſſimum, Solimani eius aui imitatorem eſſe.





CAROLVS Philippi Hiſpaniarũ Regis filius, qui paucis abhinc annis, neſcio quo fato, interiit, dignus nobis viſus eſt qui magnorum virorum catalogo hîc adſcriberetur, tum quòd tanto patre prognatus eſſet, tum etiam, quòd magni & generoſiſſimi animi principem præ ſe ferret. Erat humeris paulò eminentioribus, facie ſatis decora, ſtatura pręgrãdi: at ingenio tanto támque alto pollebat, vt non niſi magna meditaretur. Equitabat lubenter & ſępiſſimè: pius erat erga egenos, vt de eo proferatur hoc exemplum, Cum miles quidam veteranus & egens ad eũ veniſſet petiiſſétque eleemoſynam, princeps eũ interrogauit, quo ſub principe militaſſet & ſtipendia meruiſſet, & cum reſpondiſſet ſe pro Carolo Quinto ſuo auo militaſſe: Tu, inquit princeps, dimicauiſti pro principe magnanimo & ſuis nepotibus probitate maiore: & tunc imperauit vt certa pecunia cum quibuſdam veſtimentis, ei daretur.

IOANNES Auſtriacus, princeps virtute pręſtãs & re bellica clarus, diu pręfuit, magna nominis ſui fama, exercitui à rege Hiſpanorum miſſo aduerſus Turcarum Imperatorem, quòd Venetis & Põtifici fœdere iunctis, belli ſocius, ſuppetias ferret. Vnde magni certè principis nomen eſt adeptus, rerum à ſe geſtarum gloria: maximè verò inſigni illa victoria, quam Chriſtiani, in hoc bello eo duce, pręlio maritimo, conſequuti ſunt, contra ingentes hoſtium copias: quibus deletis propè ad internecionem, quindecim millia Chriſtianorũ liberati fuere è vinculis, multę naues captę, alię aquis obrutę. Sed quid egerit nouiſſimis his annis in Belgas rebelles, à Rege Philippo miſſus, ſatis notum eſt ex hiſtoria quam de tumultu Belgico, & eius cauſa ſcripſit nuperrimè quidam Hiſpanus, tranſlata & Gallico idiomate donata. Obiit apud Belgas, anno 1578.





IACOBVS Cuiatius, magnus Iuriſconſultus Gallus, liberalibus diſciplinis inſtructus, quibus pater eum à pueritia inſtituendum ſemper curauit, & literarũ tũ Græcarũ tũ Latinarum cognitionem adeptus, à domino Ferrario Iuris profeſſore adductus eſt, vt Tholoſæ legibus operam daret, in quibus paruo temporis ſpatio ita profecit, vt dignum ſeſe reddiderit qui legendi gratia publicum ſuggeſtũ aſcenderet. Aſcendit igitur illud, & tam fœliciter docuit iuuenis, vt ab omnibus fuerit admiratus. Porro tantam nominis famam, etiam initio conſequutus eſt, vt omnes Gallicæ Academię ſupplices eum appellarint, Bituriges obtinuerint: apud quos aliquãdiu docuit & ſuis diſcipulis multùm ſatisfecit. Cadurci de in illum aſciuerunt, poſtea Valentini Delphinates, apud quos vxorem duxit: denique tãtum effecerunt Bituriges vt illum denuò euocarint. Auguſtam Taurinorũ tandem ab illuſtriſſima Margareta Valeſia aſcitus, cũ ibi annum commoratus eſſet, multis precibus Valentiam reuocatus eſt: & paulò poſt à Rege Conſiliarij officio, in ſua Gratianopolis Curia, ornatus, in qua reſidere minimè teneretur. Sed cùm in Delphinatu bellum flagraret, Biturigũ ciuitatem, deſideratus repetiit, cum vniuerſa familia, vbi percharus eſt & ciuibus & omnibus legum ſtudioſis. Doctiſſima eius ſcripta nulla egent commendatione, quòd ſatis perſpecta ſint & omnium manibus terantur.

ANTONIVS Auguſtinus Hiſpanus, tam cognitus eſt & inter homines doctos celebratus, vt non opus ſit eius ſummam doctrinam commemorare, quãquidem eius doctiſſimi libri in Ius Ciuile & Pontificium editi, ſatis teſtari mihi videntur.





PETRVS Ronſardus, Vindocineus Poëtarum omniũ huiuſce ætatis, quamuis infinitorum, longè princeps, nobili ortus familia, Poëſim Gallicam eò extulit & doctiſſimis eius ſcriptis ita ditauit & ornauit, vt Vergilianę ferè vel etiã Homericæ (vnde tamen flores quoſdã decerpſit) iure cõparari ea poſſit. Quid enim tot eius Poëmatibus eruditius, quid ornatius? quid nitidius vnquam dici & iuueniri queat? Ex his, tanquam è limpidiſſimo fonte emerſerunt Poëtæ infiniti in hac Gallia, quorum alij Poëtarum nomine iure poſſunt inſigniri, alij Simiarũ: quod inepti ſint & ridiculi huius noſtri Gallici Maronis imitatores. Nam dum rithmi aut numeri, ex arte verſificatoria, rationem habere ſibi viſi fuerint, inuentionem elegantem, diſpoſitionem elocutionẽ, & fictionem ritè accommodatam (quę eſt Poëticę pars pręcipua) valere ſinunt: denique res negligunt dummodò plura verba effutierint. Huius Ronſardi, Rex Henricus 2. & Carolus 9. Henrici filius, ſtudia pręcipuè fouerũt, quibus vita functis, ferè ſemper tacuit.

PONTVS Thiardus Matiſconenſis dignus eſt certè, qui virorum huiuſce temporis doctrina illuſtrium numero aſcribatur. Cum igitur eſſet in manibus eius effigies, eam hîc inſerere non nolui, quamuis maiori laude dignũ omnes docti eum exiſtiment: verum ſumma eius eruditio, per vniuerſam Galliã vel etiam alibi, ita eſt perſpecta, vt eius laudes hîc decantare ſuperuacaneum mihi videatur, cùm eius doctiſſimis operibus, tum Poëticis ſatis laudetur. Reges Galli ſemper illum amplexi ſunt, & meritò ab Henrico Chriſtianiſſimo rege noſtro, nunc amatur, qui quidem nuper, ob eius merita, Epiſcopatu Cabullinenſi eum donauit.





IOANNES Stadius Leõnouthenſis Mathematicus egregius & Aſtrologus, noſtra tẽpeſtate floruit. Hic eruditiſſimum librum Chronologiorum, & à doctis maximè deſideratum inchoauit, quem tamen morte præuentus non abſoluit. Idem nouam cæleſtium motuum diurnam diſpenſationem, quã vocant Ephemerides, euulgauit: nã cùm eas, quas primus Ioannes Regiomontanus, ignotas antea in lucem protulit: deinde Ioannes Stœflerus numeris ex eiſdem hypotheſibus produxit: demũ noſtra ætate Cyprianus Leouitius ſplendida ac magna operis mole auxit: cæleſtium motuũ mom̃etis non ita ad amuſſim reſpondere, per frequentes ac diligentes obſeruationes deprehendiſſet, earũ emendation̄e eſt molitus. Id̄e operã in re Mathematica Sereniſſimo Sabaudiæ duci nauauit. Tandem Pariſiis Regij doctoris munere, publicè Mathematicis diſciplinis tradendis, maxima cum laude functus eſt, quo tempore & mortuus eſt, anno domini M.D.LXXIX. ætatis verò ſuæ LI.

FRANCISCVS Iunctinus Florentiæ ex Iunctinorũ familia anno M.D.XXII. Nonis Martij natus eſt: qui cùm à parentibus ordini Eccleſiaſtico dicatus eſſet, ſedulo eſt curatum, vt omnibus liberalibus diſciplinis inſtitueretur: in quibus per gradus omnes ita profecit, vt adoleſcens Doctoris Theologi inſignibus ſummo cũ omniũ applauſu decoraretur. Hic Lugduni tũ concionibus, tum ſcriptis ſæpiſſimè de hæreticis ſplendidos triũphos reportauit: quod vel maximè ex diſputationibus (quæ & exſtant) de ſanctiſſima Euchariſtia habitis patet. Neque verò ſolũ in re Theologica excellit: verũ & quantũ ingenio valeret in Hætruſcis ſcriptis, Franciſci Petrarchæ Epigrãmatibus illuſtrandis, adoleſcens oſtendit. Sed licet in omnibus diſciplinis nemini cedat: in Mathematicis tamen cũctis, in Aſtrologia præſertim, plurimorũ qui in ea prꝙſtare videntur, luminibus officit: quod plurima ab eo opera edita, & propediem, Deo dante, edenda manifeſtant.





GREGORIVS XIII. Bononienſis Hugo Boncõpagnus Presbyter Cardinalis tt. Sãcti Sixti, 230. Chriſtianorum Epiſcopus creatus, tertio Idus Maij, conſecratus 8. Kalẽdas Iunij. Anno Domini 1572. Numeratur is ducẽteſimus & trigeſimus Pontifex, cui cura omnis & cogitatio, de vtilitate ac ſalute communi: vnde ſummam apud omnes admirationem & auctoritatem obtinet. Difficile mihi eſſet, quæ is in pontificatu vſque ad hãc diẽ inſtituerit aut egerit, ſubtiliter perſequi: plus enim illa operæ ac laboris deſiderãt, & nos ab eo maiora in dies expectamus. Tantũ dicam, quod res eſt, & de Pio v. prædeceſſore ſuo, iam dictum eſt, eum adhuc id religionis, iuſtitiæ, patientiæ, liberalitatis, grati animi ſpecimen dediſſe, vt ſi ei tam longa dabitur vita, quàm longam & ex admirabili quadam ipſius victus temperantia ſperare debemus, & tempus reipublicæ poſtulat, ad bene adminiſtrandam Dei eccleſiam conſequentibus deinceps pontificibus exempla minimè defutura videantur.

RENATVS Biragus Mediolanenſis ex nobiliſſima familia adoleſcẽs adhuc in Senatorũ collegiũ cooptatus eſt: qui honor Mediolani eſt ampliſſimus, poſtea verò legatus in Galliã ad Franciſcũ primũ de maximis rebus miſſus, ab eo in Senatorum numerũ Pariſienſis curiæ eſt allectus. Deinde Lugdunenſi præfecturæ præponitur, quo munere adminiſtrato, in caſtris pecuniæ tractandæ quæſtor ſummo cum imperio præficitur: paulo poſt publicorum ſigillorũ regni cuſtodia ei demãdatur, & mortuo magno Cancellario, in demortui locum ſufficitur. Tot muneribus ciuilibus integerrimè adminiſtratis, ad Eccleſiaſticos quoque, eóſque præcipuos magiſtratus adſciſcitur: nam comitiis pontificiis maximo cum applauſu eſt Cardinalis renunciatus: homo natus ad agendũ, ac ita in negotiis pertractandis ſolers, vt omnia mira quadam dexteritate ex animi ſententia tandem conficiat.





CAROLVS Lotharenus Cardinalis vnus eſt in toto orbe Chriſtiano, qui præſtantiſſimorum principũ catalogo annumerari debeat, cũ propter eius virtutem admirabilem, tum magnam eruditionem & eloquentiam, eccleſiæ præſidium, qui ſemper hęreſibus & Eccleſiæ catholicæ hoſtibus fortiter ſeſe oppoſuit, cuius rei, doctiſſimæ orationes quas habuit, teſtimonium nobis proferunt. Concionabatur ſæpiſſimè, cum maxima auditorum frequentia, in ſuo Rhemorum Epiſcopatu, vbi percelebre gymnaſium conſtituit. Galliæ reges optimo eius conſilio ſemper vſi ſunt, ſine quo nihil ferè agebatur. Henricus II. (qui eum magnis muneribus ornauit) Franciſcus II. Carolus nonus Galliæ Reges vita functi, eum ſemper vnicè dilexerunt: Rex noſter Henricus III. illum magni fecit, cuius maieſtatem, in ſuo, è Polonis reditu, Lugduno, Auinionem ſequutus eſt, vbi febre continua obiit, anno Domini 1575.

PETRVS Depinac Archiepiſcopus & Comes Lugdunẽſis, primatum in Galliis obtinens, nobiliſſima ortus familia, nobiliſſimi ingenij & optimæ erga ſuos volũtatis ſpecimẽ aliquod in dies magis ac magis edere videtur, ita vt eum tãto gradu, ad quem perueniſſe illum videmus, digniſſimum omnes qui illius generoſiſſimam voluntatem agnoſcunt, liberè profiteantur. Liberalis eſt erga eos qui eius beneficiis digni ab eo fuerint exiſtimati: non enim ignorat, vir prudens, quomodo in quemuis quiſque beneficia debeat collocare. Cæterũ admirabili rerum propè omniũ ſcientia & præcipuè Theologiæ doctrina, pollet, & ſe talem reipſa præbet, qualẽ certè vult videri: tanta eſt enim eius probitas, vt quemadmodũ authoritate & dignitate omnibus aliis præſtat, ſic vitæ & morum integritate facillimè omnes alios ſuperet. Quam propenſo ſit animo erga religionẽ catholicam, & vniuerſam Rempublicam indicat ea doctiſſima oratio, quam Bleſiis, in publico ordinum Galliæ conuentu, habuit.





HENRICVS Borbonius Rex Nauarræ, patrem amisit cùm nondũ adoleſcentiæ primos annos attigiſſet:& patre mortuo(ex vulnere accepto in obſidione Rothomagenſi)mater eũ accuratè inſtituendum & formandum curauit. Deinde grandior effectus, cùm Rex Carolus Nonus eſſet in ciuitate Turonũ,adductus eſt vt rege conſentiente, nuptiæ fierent inter eum & Margaretam illuſtriſſimam Regis ſororem:& ſpõſione facta, 10. Iunij 1572. cum pararentur nuptiæ, Regina Nauarræ huius mater,fatis ceſſit Lutetiæ: vnde maximum dolorem tulit filius, qui tamen decimo octauo Augusti,cum apparatu magnificentiſſimo,in æde diuæ Mariæ, nupſit clariſſimæ Margaretæ Regis ſorori, nunc ſereniſſimæ Nauarræ Reginæ. Hic poſt tumultum diei D. Bartholomei, reuocatus à Caluini doctrina, quorumdam virorum doctorum admonitionibus religionem, in qua fuerat à matre inſtitutus,adiuraſſe dicitur & Eccleſiæ Romanæ ſeſe ſubmiſiſſe,quodquidem ſatis liquet ex inſtructionibus nobiliſſimi Ioannis Durefortij, Domini de Duras, qui miſſus fuit ad Pontificem,vt eius ſanctitati & ſedi Apoſtolicæ, eiuſdem ſereniſſimi regis voluntatem & obediẽtiam offerret:quod etiam apparet mãdatis ipſius Regis, quibus ſubditis ſuis imperauit vt catholicè viuerent,& Eccleſiaſticos, in priſtinũ eorum gradum quàm primùm reſtituerent. Neſcio an eius dictis paruerint.

ILLVSTRISSIMA Margareta Regis Henrici 2. filia, & Regũ Franciſci ſecundi, Caroli noni,& nunc Chriſtianiſſimi Francorum & Polonorum Regis Henrici tertij ſoror, Henrico Borbonio Regi Nauarræ illuſtriſſimo nupſit, decimo octauo Auguſti, anno ſalutis 1572. omnibus regiis virtutibus & ſumma pulchritudine dotata.





RODOLPHVS secũdus Austrius Maximiliani secundi Imperatoris filius, nunc Imperator Romanorũ, paternæ virtutis verè heres creditur, quòd eius vestigia, in moderandis imperij habenis sapientissimè equidem, ex quo pater vitam cum morte mutauit, sit semper sequutus. Vnde laudatissimi certè & prudentissimi Imperatoris nomen adepturus est qui Austriam gloriã, tã ingentẽ, tótque trophęis insignitam, magis ac magis augebit, quíque spem dat omnibus imperio subditis, futurũ vt ab maiorũ suorũ præstantissimis virtutibus ne latũ quidem vnguẽ discedat, & cũ res præclaras & magno Imperatore dignas egerit, longè maiores etiam quotidie expectentur, vnde magni Imperatoris famam, omnis ætas sit celebratura. Fuit coronatus Imperator anno salutis 1576.

HERCVLES Franciscus Valesius, Dux Andegauensis, Henrici secundi filius & tertij nũc Regis nostri Christianissimi frater, virtute clarissimus, iisdem titulis prouinciísque potitur, quibus, viuente Carolo nono, eius laudatissimæ memoriæ frater Henricus tertius potiebatur, antequam vtriúsque regni & Poloniæ & Frãciæ fasces & imperiũ suscepisset: quòd Rex charissimi fratris animum cognouerit erga se & Rempublicã valdè propensum: quæ tot annorũ spacio, cruentis bellis ciuilibus, latrociniis, exustionibus, rapinis atque incendiis labefactata, recreari cœpit ex quo Rex prudentissimus, eũ suæ maiestatis Locum-tenentem constituit, & vniuersæ tanti Regni militiæ præfecit. Nam post eius è Polonia reditũ, cum quidam ab eius imperio defecisset, illustrissimus iste Dux, eos ita repressit, vt alios vicerit, alios ad deditionẽ coëgerit. Est tam addictus omnium virtutum generi, vt nunquam ociosus videatur, suísque prodesse maximè cupiat.





HENRICVS III. Christianissimus Francorū, & Polonorum, Rex regni administrationem suscepit, post mortem fratris Caroli noni, anno salutis 1574. Nam in Polonia certior factus de fratris interitu, in Galliam quàm primum properat: id quod videre licet in libris de ea re impressis. Plures Galliæ primates, obuiā ierūt, vt eius maiestatem salutarent, eíque de tam fœlici & pernecessario Gallis aduentu, summè gratularētur. Augustæ Taurinorū exceptus fuit valde humaniter à duce Sabaudiæ & illustrissima Margareta., vbi quasdam vrbes transalpinas Duci reddidit. Ibidem aliquid propositum de componendis Gallicis tumultibus, sed frustrà, magno Reipublica damno. Interea Dux Mompenserius princeps virtute clarus, nonnullas vrbes, in regione Pictonum, expugnatione capit. Rex Lugdunum venit, magno Lugdunensium applausu & ouatione, sub finem Augusti, vbi edictum constituit, quoquidem his ignoscit, qui tempore fratris sui Caroli noni arma ceperūt inimica, promittitque, si sibi obediant, securum in priuatas eorum domos reditū. Fuit sacratus in vrbe Rhemorū, ab illustrissimo Cardinale Guisio, eius loci Archiepiscopo, 13. Februarij. 1575. & 15. die eiusdem mēsis nobilissimam Ludouica Lotharenā clarissimi Comitis Vaudemontij filiam, sibi matrimonio iunxit. Cúmque toto hoc anno, omnia belli incendio flagrarent, & miserè populus à militibus vexaretur, huic humanissimus Rex opem tulit, Pacificationis Edicto publicato Lutetiæ 14. Maij 1576. Deum precemur vt tātus Rex diutissimè Galliæ cōseruetur, viuatq; annos Nestoreos.

LVDOVICA Lotharena, clarissimi Comitis Vaudemōtij filia, Christianissimi Francorum & Polonorum Regis Henrici tertij vxor, tantùm præstat cęteris omnibus heroinis formæ admirabili & prope diuina elegātia, quantā animi sublimitate nobilitate, morūque & grauitate & humanitate plusquā insigni.





IOANNES Antonius Bayfius à ſecretis Regij cubiculi, oriundus à ſtirpe doctorũ hominũ nobilis Bayfiorũ familiæ, ex Andegauenſi prouincia, egregius poeta Græcus, Latinus & Gallicus, inter primos fuit qui tetrum illud ignorationis monſtrum fugans è Gallia, introduxit veterẽ illam ac iucundã Græcorum ac Latinorũ Poeſin, menſurámque carminũ cum orthographia metris accõmodata: idque ad cõmunem Muſices vſum. Et vnà cũ Petro Ronſardo & Remigio Bellaquæo (qui vno fere tẽpore tanquã ex equo Troiano, vt fertur, é ſchola Io. Aurati prodiere) Callimachum, Pindarũ, Horatium, excitauit é mortis caligine. Immenſæ ſuæ doctrinæ & eruditioni indicio ſunt eius opera, edita & edenda. Viget adhuc Pariſiis ſcribens perdocta poemata, quæ breui editurus eſt in lucem.

BERNARDVS Girardæus Dominus de Haillan. à Secretis Regis, & eiuſdem Hiſtoriographus, elegãter ſcripſit Gallico idiomate hiſtoriam regum Frãciæ, ab eorũ origine ad Carolum vſque eius nominis ſeptimũ, antea fere mendoſam, ob aſſentationem Gallicorũ ſcriptorũ erga ſuos reges, & incuriã externorum, aut eorundẽ male affectum in noſtrates animum: ſeu certe propter æmulationẽ aliquam, qua detrahebãt nationi Gallicæ. Veritatem (oculũ hiſtorię) pro ſcopo habuit, ad quã omnẽ ſuam ita retulit induſtriam, vt (quando de Regibus, miniſtris, magiſtratibus & ſubditis ſermonẽ inſtituit) deprimat ea quæ digna vituperio ſunt & reprehenſione, & efferat quę laudem in iis cõmereri iudicauit, Virtuti præmium ſuum, hoc eſt laudem, vitio vituperationem deferens. Neque vnquã regibus ſuis & nationi proprię adulatus eſt, ne mutilatã aliqua parte faceret hiſtoriam ſuam. Ideoque veri & integri Hiſtorici nomẽ adeptus eſt. Scripſit & alia pleraque Latinè & Gallicè, cùm numeroſa tum ſoluta oratione: quæ omnia digna lectione ſunt, & præcipue is liber qui de Statu & ſucceſſu rerum Gallicarum inſcribitur.





FRANCISCVS Belleforestus Comming. ob editionem Carlaidos, Tragicarum enarrationum, Cõcionum militarium, Historiæ vniuersi orbis, Cosmographiæ, Annalium Franciæ, & innumerorum aliorum operum quę edidit, iure dici potest Ornamentum linguæ Gallicæ. Nec minus hunc mirabilem reddit summus in dicendo lepos, quam eius labor assiduus. Scripsit enim (cum vix annum ætatis suæ quadragesimum attigerit) plura volumina quam quiuis alius, & scribit quotidie. Catalogum suorum operum habebis in Bibliotheca Gallica Antonij Verderij.

ANDREAS Theuetus, Engolismensis, Cosmographus Regius, terras veteribus & neotericis ignotas perlustrauit, cum nullus antea fuisset ausus optare, ne dicam aggredi nauigationem vltra nostrum Tropicum. Atque hoc iter susceptum ad quatuor mundi partes per spatium 17. annorum persecutus; Cosmographiam construxit, in qua mira refert: quod opus excusum est in folio & in duos diuisum tomos, Parisijs apud Petrum Lhullier, & Gulielmum Chauldiere.







PETRVS Primaldayus, Andegauensis, Scutifer, dominus à Primaldaya & Barrea, Academiam Gallicam scripsit in qua per Dialogum non minus doctè quam ornatè de recta morum informatione, ac de ratione bene beatéque viuendi in quouis vitæ genere disputat. Atque huius operis beneficio debet in eorum numero constitui qui sua ætate floruerũt in bene dicẽdo. Eóque maiore laurea dignus est, quod armis dat operam & literis. Prior huius Academiæ pars tam fœliciter excepta fuit ab omnibus iis qui fauent literis; vt motus fuerit ad editionem alterius partis, quæ simul typis mandata est.

ANTONIVS Verderius, Scutifer, dominus Vallispriuatæ & Luriaci, Regis consiliarius & Ærarij Regij apud Lugdunenses Antigraphæus, oriundus ex Verderiorum familia Foresiensis prouinciæ; orbatus cum esset patre menses tres natus, Mater eius nomine Omnisancta Terrassa, curauit postquam grandior euasit paulò, vt instituerctur in literis: in quas tam amico fuit animo, vt nihil præter virtutem & sciẽtias amplecteretur. Magna fuit suorum expectatio de illo: & nisi rei Familiaris administrationem suscepisset, vxorem ducens annum agens duntaxat XIX. dici non potest quantos fructus percepisset. Quamuis ab eo tempore literarum studia commiscuit cum disciplina militari & publicorum munerum administratione: nec parum profuere vigiliæ suæ, ex quibus scripta permulta emanarunt: videlicet, Poemata Gallica, Prosopographia, Variæ lectiones, in Aristophanis Plutum comment. Bartholomæi Tegij responsa, Bibliotheca Gallica, Imagines deorũ qui ab antiquis colebantur, partim ex Italico sermone in Gallicũ versæ, partim de propria industria adauctæ, & alia pleraq;. Habet etiã præ manibus Senecæ philosophi omnia opera in Gallicã linguã versa, cum annotationibus & scholiis, quæ breui in lucẽ editurus est.





IOANNES Gorreus Parisiensis, Doctor Medicus, Latine scripsit Definitionum Medicarum libros XXIIII. literis Græcis distinctos, & iuxta Alphabeti ordinem. Ex Græco etiam Hipocratis Iusiurandum, De arte, De antiqua medicina, De medico, Latina ciuitate donauit. Vitam cum morte commutauit non multo postquam Christianiss. Henricus III. Regni Franciæ suscepit gubernacula. Quantæ doctrinæ erat testantur nonnulli versus Iacobi Greuini eius discipuli in limine Poematum Theriacω̃n, & Alexipharmacω̃n Nicandri Poëtæ Græci ab eodem Greuino è Græco versibus Gallicis expressorum & eidem Gorreo dicatorum.

LAVRENTIVS Ioubertus, Valentinus Delphinas, Medicus Regius, post obitum Gulielmi Rondeletij professoris Regij & Cancellarij in schola Monspeliensi, in huius locum suffectus est, tanquam omnium qui tunc ibi degebant dignissimus: quod munus exercet hoc tempore: nec minus celebratur eius experientia in re medica, quam doctæ & exquisitæ illius Lucubrationes quas èdidit tam in Latina quam vernacula lingua. Has videre licebit in Bibliotheca Gallica.

APPENDIX



APPENDIX
ALIQVOT IMAGINVM ANTIQVARVM.




GVLIELMVS ROVILLIVS LECTORI.



Oc nostro qualicunque Iconum Promptuario ferme ad exitum perducto, oblatæ nobis fuerunt paucæ aliquot Illustrium virorũ, qui iamdudum emicuerũt, effigies. Quas, quòd paucæ admodum essent, nonnullis aliis, prout nobis diligenter inuestigantibus reperire licuit, augere conati sumus. Eas ergo sub finem huiusce de Iconibus Libelli, velut additamentum, Beneuolentiæ tuæ offerimus. Quibus intereà frui poteris: dum proxima editione singulas, ordine suo, ac tempore quo illustres illi viri floruerunt, inseri ac disponi, Deo auxiliante, curabimus.







HIPPOCRATES domo & genere Doriẽsis, vrbe Cous, Heraclidæ & Phænaretis filius, natus est primo anno LXXX. Olympiadis, anno scilicet mundi 3505. vt computat Funccius. Vir ingenio summus & dignus qui medicinæ pręcepta, sparsa vndique & dissipata, primus in ordinem redigeret, diuinísque suis scriptis illustraret: in quibus nullum est verbum, quod non ex penetralibus naturæ depromptũ, & profunda sapientia imbutum esse videatur. Populares suos Græcos tanto est amore prosequutus, vt ad Artaxerxem Persarum regem, quamuis maximis donis ab Hystanide Hellespontiorum pręfecto euocatus proficisci noluerit. Mortuus est Larissæ, post Democritum, annos natus centum & quatuor: vel vt alij referunt centum & nouem. Honores eosdem cum Hercule à grata Gręcia obtinuit, quod venientem ab Illyriis pestem prędixisset, eíque malo per discipulos suos occurrisset, vt Sabellicus scribit libro decimo, capite octauo. Statua ei posita, capite tecto pileo. Filios reliquit Thessalum & Draconem.

HERODOTVS Halicarnasseus (vt author est Suidas) claróque apud suos genere ortus, quem Cicero libro secundo de Legibus patrem historię appellat, anno mundi 3522. vt supputat Funccius, Gręcè scripsit historiam libris nouem, quorũ quilibet Musę nomine inscribitur. Cœpit à Cyro Persarum rege, vt scribit Volater. lib. 15. Anthrop. Fuit omnibus tyrãnis infensissimus. Quare cùm patriã à Lygdamo tyranno videret occupatã, secessit in Samũ: eóque extincto, quũ ad suos rediisset, inuidię obnoxius factus, spontè Thuriũ Atheniensiũ coloniã in exiliũ profectus est, vbi etiã mortuus esse dicitur & sepultus. Plinius asserit lib. 12. cap. 14. eũ Thurij historiã scripsisse: & quidẽ Ionicè eam confecit, laxior Thucydide. Quapropter hunc Liuio, illum Salustio, Quintilianus comparat.





THEOPHRASTVS Eresius Aristotelis discipulus fuit, magistrũ imitatus est, & in Physicis multa scripsit: præsertim verò doctissimos illos commentarios de plãtarũ historia & causis. Plurima sortitus est nomina: primũ enim Tyrtamus appellabatur: deinde Euphrastus est appellatus, & postremò Theophrastus, ob oris & eloquẽtię suauitatem propemodũ diuinam. Hic Peripateticorum doctissimus & eloquentissimus fuit, Aristotelis præceptoris in schola successor, quiquidem dicere solebat, doctum hominẽ ex omnibus solũ neque alienis locis peregrinũ esse, neque inopem amicorum. Habuit discipulos ad duo millia. Opera eius à Diogene commemorantur. Floruit anno mundi 3645. Excessit è vita admodum senex. Vide Laertium, Suidam, & Strabonem.

ÆSCVLAPIVS Apollinis filius fuit, cui plerique inuẽtũ medicinę referũt acceptũ: at potius Apollinem eius patrem, primum esse qui medicinę vsum attulerit dicendum est, vnde meruerit deitatem: idcirco dicit Ouidius libr. 1. Metamorph.

Inuentum Medicina meum est, opifexque per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.


Sed filius qui Romã adductus fuit, anno mundi 3673. vrbis 461. in ea adeo excelluit, vt mortuum Hippolytũ fingatur ad vitam reuocasse, & Androgeum Minois filium, ab Atheniensibus interfectum, vt recitat Propertius lib. 2. Hic fulmine ictus periit, quod medicinę arcana discipulos docere noluisset: vnde ars medica per quadringentos annos, vsque ad Hippocratis tẽpora (qui eam erexit) intermortua, magno hominum detrimento, iacuit.





TITVS Liuius nobilis historiæ Romanæ scriptor, patria Patauinus, natus est anno ab vrbe condita DC.XCIIII. anno mundi 3095. Hūc Caius princeps tanquā verbosum insectatur: Pollio verò tanquam Patauinitatem redolentem. Quintiliano maximè laudatur, eúmque Herodoto comparat, in cōcionibus pręsertim: suadétque pueris ediscendum, vt Ciceronis imitatorem. De hoc Hieronymus ad Paulinū sic scribit, Ad T. Liuium lacteo eloquentiæ fonte manātem, de vltimis Hispanię Galliarúmque finibus, quosdā venisse nobiles legimus, & quos ad cōtemplationem sui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditū omnibus seculis celebrandúmque miraculum, vt tantā vrbem ingressi, aliud extra vrbē quærerent. Excessit Paduæ, anno quinto imperij Tiberij, ætatis autem 70. mundi, 3983. salutis nostræ, 21.

DIOSCORIDES Anazarbeus Medicus, magnæ existimationis, Marci Antonij & Cleopatræ familiaris fuit. Scripsit plura ad medicinam maximè spectātia: libros 5. de medica materia & vnum de lethalibus venenis, eorúmque præcautione & curatione: déque notis quæ morsus ictúsue animaliū venenum relinquentium sequuntur, & eorum curatione. Eiusdem extant à capite vsque ad pedes libri duo Gręci, in Bibliotheca Augustę Vindelicorū, libri duo de medicamentis simplicibus paratu facilibus, secundum morbos & affectus corporis digesti, extant etiā manuscripti Græcè in Bibliotheca Augustana, quos Ioannes Moibanus medicus transtulit, & opus propter ipsius immaturam mortem, nondum absolutum Conradus Gesnerus perfecit. Additæ sunt annotationes & Gręcus contextus. Dioscoridis item & Stephani Atheniensis medicorum Alphabetum Empiricum Græcè manuscriptum aliud à paratu facilibus Dioscor idis, extat apud Gasparum Vuolphium medicum. Ferūtur & multa alia Dioscoridis. Floruit circiter annum mundi 3918.





CORNELIVS Celſus vir doctus ſcripſit de Arte Rhetorica, de re ruſtica & de medicina. Verum ad nos tantum eius medicina peruenit oratorio modo conſcripta. Volaterran. lib. 14. Sub primis Cæſaribus vixit, quo tẽpore Latini ſermonis puritas & elegantia effloruit. Ius ciuile & Philoſophiam monumentis illuſtrauit: rei militaris, & rei ruſticæ libros edidit: qui & dignus (vt ait Fabius) vel ipſo propoſito, vt eum illa omnia tenuiſſe credamus. Columella ſcribit eum fuiſſe nõ ſolùm agricolationis, ſed etiam vniuerſæ naturæ prudentẽ. Fabius Quintilianus in Rhetoricis quamuis artis æmulus Celſum perſtringat, tamen ipſa veritate coactus, eruditum virum appellat libro nono, & ſequenti ſic tradit, Scripſit nõ parum multa Cornelius Scepticos ſecutus, non ſine cultu ac nitore. Plinius verò ſæpè Celſum inter authores retulit, in indice librorũ qui primus inſcribitur. Apud Marcellum Empiricum autem, quædam Epiſtolæ Celſo falsò tribuuntur.

STRABO Amaſeus Philoſophus, inſignis Geographus extitit, qui temporibus Auguſti & Tiberij claruit. Scripſit commentarios Geographicos, qui etiam hodie omniũ manibus teruntur. Huius Geographicorum libri ſeptemdecim, olim vt putatur, à Guarino Veronenſi, ac Gregorio Tifernate Latinitate donati fuere, ac denuò à Conrado Heresbachio recogniti, ac pleriſque locis, de integro verſi fuere. Epitome etiam eorũdem librorum, incerto authore, in Latinum ſermonẽ è Græco conuerſa, Hieronymo Gemuſæo interprete. Opus excuſum eſt Baſileæ, in officina Curionis 1539. idem Græcè excuſum Venetiis apud Aldum 1516. & Latinè ibidem 1511. Baſileæ, Græcè & Latinè è regione duabus columnis. Iidem rerum Geographicarum libri 17. à Gulielmo Xylandro recogniti & emendati & ab eodem in ſermonem Latinum tranſcripti, adiectis annotatiunculis ibidem editi fuêre anno 1571.





PHILO Iudæus Philoſophus fuit clarus, Alexãdriæ natus, diſciplinîſque omnibus eruditus, & in noſtra & Græcorũ philoſophia bene verſatus: eloquentiæ autem Platonicæ tam diligens æmulator, vt illud vulgò de eo iactaretur, ἢ πλάτων φιλωνίζει ἢ φίλων πλατωνίζει, id eſt, aut Plato Philoniſſat, aut Philo Platoniſſat. In diuinis autem legibus, & patriis inſtitutis quantus fuerit, ex his quæ nobis librorum ſuorum tradidit monumẽtis, indicatur. Temporibus Caij, quanta acciderint Iudæis mala, voluminibus abſoluit, quibus & ſuam legationem, pro Iudæis, apud Imperatorem retulit, quam obiit, ſub Pontio Pilato Iudææ præfecto, anno mundi 3993. Chriſti, 31. triennio antè quàm pro peccatis noſtris pateretur. Ioſephus huius legationis meminit libro 18. Hunc Porphyrius quoque libro quarto, magnis laudibus eſt proſecutus.

SENECA natione Hiſpanus fuit, patria Cordubẽſis, Academicus Philoſophus & Neronis præceptor: à quo diuitiis ingentibus auctus, quum in Piſonianæ cõiurationis ſuſpicionem veniſſet, eiuſdem iuſſu inciſis venis, mortem obiit, anno ab vrbe condita 818. Chriſti 68. mundi 4030. Fuit & alter Seneca tragicus Poëta, cuius fabulæ decem ad nos peruenerunt. Vtriúſque meminit Sidonius Apollinaris ad felicem,

Non quod Corduba præpotens alumnis
Facundum ciet, hîc putes legendum,
Quorum vnus colit hiſpidum Platona,
Incaſſúmque ſuum mouet Neronem:
Orchetram canit alter Euripidis,
Pictum fæcibus Aeſchylum ſequutus,
Aut plauſtris ſolitum ſonare Theſpim,
Qui poſt pulpita trita ſub cothurno
Ducebant olidæ patrem capellæ.





PLINIVS ſecundus Veronenſis, temporibus Veſpaſiani vndecimi Romanorũ Imperatoris vixit, cuius negotia adminiſtrabat, anno mundi 4032. Chriſti 70. Noctibus verò & ſucciſiuis (vt ipſe inquit) temporibus opus de rerum natura cõſcripſit, vnus omnium parciſſimus temporis. Periit in mõtis Veſuuij incendio, dum eius cauſam indagare & curioſius inueſtigare cupit, circiter annum ab Vrbe condita 832. Eius vitam diligentius narrat ſororis filius Cæcilius Plinius, cuius extat liber Epiſtolarũ, & Panægyricus, Traiano Cæſari dicatus, quo illi gratias agit Cõſul ab eo factus. Quintiliani filiam dote iuuit, & Martialem Poëtam ſecedentem viatico proſecutus eſt, vt ipſe teſtatur in epiſtolis. Volater. lib. 18.

IOSEPHVS Iudæus conſcripſit Græcè antiquitatis Iudæorum hiſtoriã libris viginti, ab exordio mundi vſque ad decimum tertium annum Domitiani: bellũ verò Iudaïcum cum Romanis geſtum ſcripſit libris ſeptem: anno ab vrbe condita, 845. vt ipſe docet in peroratione antiquitatum: Nonio Aſpreana & Flauio Clemente conſulibus, anno mundi 4057. Chriſti, 95. quo tempore agmina Hæreſeon exorta, Menandro Simonis Magi diſcipulo, & Cerintho quodam, autoribus. Quin & Ebionei eo ipſo tempore exorti ſunt: de quibus Irenæus ſcribit lib. 1. cap. 21. & ſequentibus.







IVVENALIS Aquinas, Poëta insignis, discipulus fuit Frontini Grammatici, qui quidem scripsit quinque libros satyrarum, sed non inueniuntur, quod eorum iactura sit facta, exceptis sexdecim satyris, in lucem vbique editis, propter magnam authoris celebritatem, in eo versus genere, in quo, Lucilio cæterisque Poëtis Satyricis, qui ad hoc vsque tempus fuerũt, lõngè acrior fuisse palàm est omnibus. Vixit tempore Martialis, cum quo maxima ei intercessit familiaritas. Obiit in Ægypto 80. annis natus, floruítque circiter annum mũdi 4060. & Christi 100. Vide Gesnerum in sua Bibliotheca.

GALENVS Pergami natus, patre Nicone insigni geometra & architecto diuite, cuius præceptor fuit Pelops, vt ipse testatur libro quarto de Locis affectis capite 7. & in libr. de Atra bile. Vixit Romæ temporibus Traiani, Cõmodi & Antonini Pij Imperatorum anno mundi 4100. salutis verò humanæ 140. Plurima scripsit in Geometria, Dialectica, Rhetorica, Philosophia, maximè vero in Medicina. Itaque Auerroes in S. Collect. illum omnibus medicis anteferre non dubitauit. Vixit annos 70. secundum Suidam: alij 140. annos asserunt, vt testatur Cœlius lib. 16. Antiq. lect. cap. 40. In patria tandem fatis cessit.







ORIGENES Damaſcenus vixit tempore Seueri Imperatoris circiter annum mundi 4160. & Chriſti 210. Erat tanta doctrina cumulatus, vt omnes eum admirarentur tanquã in omni literarum genere conſummatiſſimũ, Quod ad Theologiam attinet, quantum in ea valuerit teſtãtur eius ſcripta, & Commentarij in magnã partem veteris & noui Teſtamẽti. Si plura de eo, Lector videre voluerit, conſulat Tritemij librũ de Scriptoribus Eccleſiaſticis, legátque vitã eius quæ eſt in principio eius operum quæ Lutetiæ edita fuere, anno 1574. Poterit etiam videre Bibliothecam Geſneri.

TERTVLLIANVS, Afer, Centurionis proconſularis filius Theologus primus Chriſtianorũ, qui Latinè ſcripſerunt, multa opuſcula conſcripſit, maximo eloquentiæ ſplendore, in quibus indicat, animã immortalem quidẽ eſſe, ſed eam effigiatũ corpus eſſe contendit, neque hanc tantũ, ſed ipſum etiã Deũ corporeũ eſſe dicit, licet non effigiatum, neque tamen hinc hęreticus creditur eſſe factus. Fuit acris & magni ingenij, vt pote qui res diuinas & humanas probè calluerit. Docuit enim, in maxima celebritate Rhetoricam apud Carthaginenſes. Huius ſcripta beatiſſimus martyr Cyprianus in tanta veneratione habuit, vt nullũ, ſine eorũ lectione diem preteriret. Scripſit de Patientia Dei lib. vnũ. Aduerſus Praxeã lib. 1. contra Marcionem libros. 5. contra Iudæos lib. 1. Contra omnes hæreſes libr. 1. De proſcriptionibus hæreticorũ lib. 1. Aduerſus Hermogenẽ. Cõtra Valentinianos. De carne Chriſti. De reſurrectione carnis. De corona militis. Ad martyres. De pœnitentia. De velandis virginibus, De habitu muliebri, & alia plurima. Floruit anno mundi 4171. Chriſti verò 209. ſub Seuero Imperatore.





D. AMBROSIVS in Gallia ſub Cōſtantij imperio natus fuit, patre Symmacho, pręfecto Galliæ. Infanti in prætoria domo dormienti, apes circa os viſæ ſunt oberrare: patrē, impubes amiſit, inde cum matre & ſorore Marcellina Romam profectus ibi ſtudiis ſeſe addixit: & tandē cauſas agere cœpit. Mox à Probo prætorij præfecto, conſiliorū & gubernationis ſocius fuit adſcitus. Conſulari poſtea dignitate inſignitus, ad regēdā Liguriā miſſus eſt à Probo. Mortuo Auxentio Mediolanēſi Epiſcopo, fuit is à populo, Epiſcopus electus: renuit illud munus: ſed Imperator populi electione delectatus, eā confirmat. Elegitur in Epiſcopū, anno Chriſti 378. ſub Damaſo Papa. Plurima ſcripſit: contra omnes fere hæreſes acriter pugnauit. Præfuit Epiſcopatui, annis 22. obiit anno Chriſti 400. Arcadij & Honorij tertio, ſenex admodū. Claruit ſub Theodoſio Imper. | domini 380.

D. AVGVSTINVS, matre Monica, patre Patricio in citate Thaguſtenſi natus, Chriſtianus quidē, ſed mediocri fortuna. In pueritia à matre de Chriſto inſtitutus eſt, ſed baptiſmus dilatus. A pueris ludū frequentauit, præceptore Manlio Theodoro. Manichæorū opinionem diu ſectatus eſt. Romæ docuit Rhetoricā: inde Mediolanū accerſitus, ſenſimà Manichæis defecit, cū Ambroſij cōciones diligēter audiret, & ad religionem Chriſtianā tranſiit, & ſuſcepit baptiſmū cum Alipio, & naturali filio Adeodato, natus annos 33. poſt Maximi tyranni mortem. Domū inde in Africā rediit, & in agris ſuis vixit. Mox Hipponenſis eccleſiæ pręsbyter à Valerio ordinatus, & tandē etiā eius coëpiſcopus. Eo mortuo ad Epiſcopatū euectus eſt, quē ſanctiſſimè & factis & cōcionibus & ſcriptis adminiſtrauit. Cōtra hæreticos accerrimè diſputauit. Donatiſtarū ſecta multū ei negotij exhibuit: cū mulieribus, ne cognatis quidē, ꝑpter ſuſpicionē, nō habitauit. Veſtitu mūdo, mēſa frugali vtebatur, & vino. Tādē pręſente Poſſidonio & aliis piè in Domino obdormiuit, cū vixiſſet annos 76. anno mūdi 4395. Chriſt. 434. in eccleſiaſtica fūctione 40. Huius vitā Poſſidonius Calamēſis epiſcopus deſcripſit.



PAVLVS Ægineta, mirabili ardore diſcendi percitus, difficillimas peregrinationes ſuſtinuit, vt medicam artem cognoſceret. Libros reliquit in medicina, non ſua inuentione, ſed Galeni imitatione, cuius veluti ſimia dici poteſt. A Ioanne filio Serapionis allegatur ſimpliciter Pauli nomine, & ſimiliter ab aliis Medicis. Scripſit lib. 7. Græcos, collatione vetuſtorum exemplariũ reſtitutos, & quibuſdam in locis auctos, per Hieronymũ Gemuſceum impreſſos Baſileæ, qui fuerunt verſi à Ioãne Guinterio Andernaco, & ab Albano Tornio, quos prior commentariis illuſtrauit. Aeginetæ libros Henricus Stephanus, cum aliis præcipuorum medicorum libris excudit. Floruit anno mundi 4398. ſalutis 439.







ACVRSIVS natione Florentinus, iuris consultissimus, fuit. Azonis Doctoris discipulum fuisse eũ perhibetur, qui cum admirabili ingenio, & multarũ rerum cognitione, valeret, Reipublicæ moderandæ maximè idoneus, vniuersum iuris Ciuilis corpus, primus glosis ornauit & explanauit. Huius autem libros semper imprimendos curauere docti, vbicũque fuit excusum corpus Iuris, cum glosis & commentariis: eáque de causa omnium Iurisconsultorum celeberrimus existimatur, vtpote qui primus Ius Ciuile interpretatus fuerit. Floruit is anno salutis 1236. vt ipse in Autẽtica testatur. Scripsit etiam super instituta.

DINVS Mugelanus Iuris vtriusque peritissimus, tãta fuit animi solertia, vt omnes suę ætatis Iurisconsultos superasse creditus sit. Fuit acutus & eloquens in dicendo, disputando & decidendo: & idcirco eleganter & copiosè totum ius Ciuile, multis scriptis, exposuit & clarius legum studiosis reddidit. De mãdato Bonifacij Papę VIII. primus eleganter, post Archidiaconũ, scripsit super 6. Decretalũ lib. 1. super Codice lib. 10. super ff. veteri libr. 24. super ff. nouo. libros 12. super ff. Infortiato lib. 14. Consilia multa lib. 1. super Titulũ de actionibus in Institutis. Super titulũ, De regulis Iuris, & infinita alia quę nõ reperiuntur. Floruit anno salutis 1300.







ALBERTVS Magnus, natione Teutonicus, patria Sueuus, ex Laugingẽ oriundus in Academia Parisiensi encyclopediam ac præsertim Theologiæ scientiam hausit, quam dissemi-nauit postea in Germania. Fuit & alius eiusdem nominis, propter eruditionem, natione Patauinus. Prior fuit Episcopus Ratisponẽsis, qui Episcopi officio, integerrimè aliquot annos functus, tanta dignitate sese tandẽ spõtè exuit, vt animæ saluti magis vacaret. Itaque Coloniam reuersus ad suos, cucullã induit, & ibi vsque ad finem vitæ, docendo & scribendo perseuerauit. Scripsit multa & penè infinita opuscula, Summam Theologiæ lib. 4. super sententias lib. 4. De quatuor coæuis lib. 1. De homine: de bono: de vita spirituali: in officiũ Missæ: de corpore Christi: de muliere forti: de multiplici timore: de laudibus sanctę Mariæ: defensorium mendicantiũ, & multa alia. Obiit sub Rodulpho Imperatore, anno domini 1280. Coloniæ sepultus.

NICOLAVS de Lyra natione Anglus, monachus Franciscanus, in Theologia valde eruditus fuit, multaque scripsit ad Christianam pietatem promouendam, vt ex eius scriptis facile cuiuis Theologiæ studioso constare poterit. Hebraïcã linguam is perfectè calluit: fuit ingenio prompto, nec minus conuersatione quã scientia venerandus. Eius opera omnibus sacrã scripturã discere cupientibus, necessaria esse, nemo melius nouit, quàm qui se in eorũ lectione exercitauit. Sũt qui eũ ob verborũ simplicitatem contemnẽdum existimant, sed si res ipsas, non verba isti detrectatores spectarint, non dubium est quin ab eis maximè laudetur. Scripsit super sententias lib. 4. In Genesim ad literã lib. 1. In exodum: in Leuiticum: in Numeros: in Deuteronomiũ: in Iosuë: in Ruth: in Paralipomenon: in Esdram & Neemiam, in Tobiã: in Iudith: in Ester. Claruit tẽporibus Ludouici Imperatoris 4. & Ioãnis Papę vicesimi secũdi anno domini 1320.





BARTOLVS Sentini in Vmbria natus, Iurifconfultus fuit perfpicaciffimus, qui in omnibus Italiæ gymnafiis exactæ doctrinæ documenta reliquit. In ftudendo erat valde affiduus, laboris patiens, fobrius. Quare voluptates omnes adeò feuerè reiecerat, vt ne horula quidem extra naturæ neceffitatẽ ftudiis fubtraheretur. Eam feueritatem etiam retinuit in condamnandis fontibus, cùm rerum capitalium iudiciis præeffet, vt reum furti nec ritè confeffum & infontem, pręcipiti fententia fupplicio affecerit. Ob id inuidiæ plebis obnoxius, vt hominum confortium fugeret, in quandam villam fe recepit, ftudiorum gratia, è qua demum egreffus, æquales fuos doctrinæ firmitate, & mira iudicij conftantia fuperauit. Obiit Perufiæ, quadragefimo fexto ætatis fuæ anno. Domini 1355.

BALDVS, honefta Vbaldorũ gente Perufiæ natus, Bartholum præceptorem habuit, quem ingenij fubtilitate & varietate doctrinæ fuperauit. Huic tamen multa conuoluenti, inuertentíque ftabilis fcientiæ conftantia deerat. Ioannes Galeacius Vicecomes, cum Ticini Gymnafium conderet, magnis præmiis eum euocauit. Peruenit ad longuam fenectutem, & annos natus feptuaginta fex, fato functus eft, paulò antequam ille princeps, moreretur. *Scripfit fuper Codice lib.9. fuper ff. veteri libros 24. fuper ff. nouo, lib.12. fuper ff. Infortiati lib. 14. fuper Inftitutis lib. 4. De vfu feudorum lib.1. Super Autenti. lib.1. fuper 2. Decretalium lib. 1. Additiones fpeculi, lib.1. confilia multa, lib.1. & alia complura. Scripfit commentarios, fuper totum corpus iuris ciuilis. Item practicam Lugduni impreffam, & Margaritam feu Repertorium. Baldi lecturæ accuratiffimè editæ funt, cũ annotationibus, nouis fummariis & Indice, Venetiis apud Iũtas 1572.*





PAVLVS de Caſtro, Iureconſultus celeberrimus, multa conſcripſit ad leges pertinentia, ſtylo non minus elegãti quàm vtili, quibus, vir admirabilis ſuæ eruditionis & prudentiæ teſtimonia omnibus clara exhibuit. Ius docuit, in omnibus ferè claris Italiæ Academiis. Scripſit ſuper Codice lib. 9. ſuper ff. veteri lib. 24. Conſilia elegantiſſima, ſingularia, & opus Conſiliorum in duo volumina partitum, cum pluribus aliis cõmẽtationibus compoſuit: vt poſteritati, ſingulari beneficio, & propenſa in ſtudioſos omnes, voluntate, ſeſe profuturum aliquando gloriaretur, quemadmodum ipſis profuit qui eodem ſeculo vixerunt. Scripſit etiam ſuper ff. nouo libros duodecim: ſuper ff. inforciati, libros quatuordecim: ſuper Inſtitutis lib. quatuor. Citatur quoque repetitio eius in 1. ff. ver. de indiciis, l. ſi de vi. Conſilia eius ab erroribus vindicata & additionibus, nouíſque rerũ notabilium ſummis, ſupra priores editiones feliciter aucta, ſtudio & opera Leonardi à lege, Venetiis impreſſa ſunt 1570. in folio, & anno 1571. Claruit anno reparatæ ſalutis humanæ 1437.

ZABARELLA natione Patauinus, Romanæ eccleſiæ Cardinalis presbyter iuris pontificij conſultiſſimus, vnde ampliſſimam dignitatem ſuam exornauit, vt prelatos decet, erat maximo ingenio & doctrina præditus, cuius ſpecimen frugiferum edidiſſe eum, ipſius ſcripta ſatis teſtantur. Floruit circiter annum Domini 1443.



INDEX SECVNDAE PAR-tis huius operis, ordine Alphabetico digestus.



INDEX
APPENDICIS.



FINIS.



479

542

f/2/44

